This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ln-35.27 copy A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MARCI VITRUVII POLLIONIS

DE

ARCHITECTURA

LIBRI DECEM.

EX FIDE LIBRORUM SCRIPTORUM RECENSUIT,
EMENDAVIT, SUISQUE ET VIRORUM DOCTORUM
ANNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

IO. GOTTLOB SCHNEIDER, Saxo.

TOMUS SECUNDUS
COMMENTARIORUM
PARTEM PRIOREM TENENS.

LIPSIAE
SUMTIBUS ET LITTERIS G. J. GÖSCHEN.
ANNO MDCCCVIII.

Digitized by Google

Lw 35.27 copy A

Digitized by Google

COMMENTARII

AD

M. VITRUVII POLLIONIS

DE ARCHITECTURA

LIBROS DECEM.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LIBRI I. PRAEFATIONEM.

Cum divina mens tua — Guelf. *Dum div. tua mens.* Eundem ordinem verborum servat Wratisl. et Franeck. Deinde *Imperatoro Caesar* Wrat.

tantis occupationibus — Expectat lector, ut Vitruvius in unum aliquod argumentum causamque collectas superiores rationes ponat, cur Caesarem non sit ausus interpellare; at is non de Caesaris occupationibus sed de suis subito infit loqui, quae sane ad Caesarem non pertinebant; nec commendationem eae habent ullam scriptorum, quibus potius otium impendere oportet. Quare Barthii coniectura proposita in Advers. I, 10 *occupato in rebus* habet quo se commendet lectoribus. Dativum ne miretur lector, comparat vir doctus locum paulo inferius positum: *quin primo quoque tempore de his rebus ea tibi ederem.*

ne non apto — Wrat. alteram negationem omisit. Post *tempore* pronomen *te* interserit liber Ripensis, quod non est necesse facere. Laetiana Editio unde *compellans* in margine positum pro varietate lectionis acceperit, nescio.

2.

curam — constitutione — Guelf. Wratisl. *cura.* Deinde *constitutionem* Sulpic. Wratisl. et Edd. ceterae praeter Galianeam et Rodianam, quae pravam tamen interpunctionem verborum reliquit. Scilicet iam olim vitium vulgatae correxerat Turnebus Advers. 30, 36 et verum dedit Guelf. et liber Ripensis; quanquam ex Ripensi Falsterus apud Fabricium in Biblioth. latina lectionem ita memorat, ut *curam* post *constitutione* ponatur.

opportunitate — Sulpic. Guelf. Wrat. hic et ubique *oportu-*

Digitized by Google

nitate scriptum habent: deinde *civitat aperte* vitio dat Sulpic. cui simile est, quod habet postea Wrat. *publicorum officiorum.*

primo quoque tempore — Vossianus liber *quoque* omittit. Equidem verba *de his rebus*, tanquam glossam in margine adscriptam pronomini *ea* abesse malim.

quod primum parenti tuo de eo fueram notus — Verba *de eo* recte liber Vossianus omittere videtur, quae fortasse olim fuerant adscripta ad praecedens *ea.* Deinde post *virtutis* Wratisl. inserit verbum *erat*, quod erit fortasse qui in *eram* mutandum censeat et servandum. Ceterum in Edit. Barbari *primum* omissum annotavit Galiani; eadem dedit *ut eius virtutis.*

concilium — Wratisl. *consilium.* Ceterum satis dextre adulatur Octaviano Vitruvius, dum patrem non a Romanis inter deorum numerum relatum, sed ab ipso deorum concilio allectum et dedicatum fuisse ait.

idem studium meum — in te contulit favorem — Sulpiciana sola cum Editione Barbari dat *illud idem studium*, quod mihi praeplacet. Deinde *memoriam* ex Barbari Editione recepit Galiani; quod non probo. Displicet in sermone Vitruvii *favor*, quem is transtulit ad filium, cum potius ex nostrorum hominum sensu petere ab Octaviano deberet, ut is in memoria patris permanens ad Vitruvium favorem transferret.

M. Aurelio — Wratisl. omittit *M.*

Numisio — Sulpic. *Numidico* dat, liber Ripensis *Numidio*, Guelf. *Minidio*, Wratisl. *Numicio.* Iucundus *Minidio* dedit, quod nomen servarunt Edd. sequentes. D. Barbarus, qui *Minidio* dedit, annotavit in Codd. aliquot esse *Numidico* vel *Numidio*, in aliis *L. Mussidio* scriptum; ipse ait meminisse se legere in numismate *L. Mussidium*, monetae cudendae praefectum. *Numidio* ex libro Ripensi recepit Galiani. Contra nostram lectionem cum Venuti (Osservazioni sulle scoperte d'Ercolano) Ignarra (De Palaestra Neapolitana) et Fea (Opere di Mengs) dedit Rode, qui eundem Numisium putant esse, quem theatri Herculanensis architectum nominat inscriptio.

Digitized by Google

Cn. Cornelio — Wrat. Franeck. *Gn. Cornelio.*

apparationem — Sulpic. *praeparationem.* Deinde eadem cum Wratisl. et Guelf. *refectionem.* Contra *perfectionem* habet liber Ripensis.

commoda accepi — Liber Ripensis cum Wratisl. interserit *semper.* Deinde *quaecunque primo* Guelf. *quae quem primo* Wrat. *mihi primo* Sulp. Comparant Interpretes locum *Frontini* de Aquaed. Artic. 118 *ex fisco accipit commoda.* Ita *commoda veteranorum* dixit Cicero ad Divers. 11, 2.

recognitionem — *servasti* — Wratisl. in extremo addit *in animo.* Galiani vertit: *à titolo di ricognizione*, Rode: *gewährtest mir aber nachher einen Gnadengehalt.* Quae significatio vocabuli nullo scriptoris latini exemplo poterit firmari. *Recognoscimus reminiscendo:* (ut ait Cicero Tuscul. I, 24.) quae significatio ut est omnium prima et frequentissima in scriptoribus istius aevi, ita sola huic loco convenit. Commoda primum acceperit cum duobus aliis Romanis Vitruvius ab Octaviano, dum eum in bellicis expeditionibus officiis iuvaret praestandis; post bella memoria hominis exciderat animo imperatoris et commoda fuerunt intermissa, donec Octavianus commendatum sibi a sorore Vitruvium recognosceret, eique commoda eadem, quae ipsi antea tribuerat, firmaret.

3.

multa te — Sulpic. *te multa.* Deinde *reliquoque tempore* dedi pro vulgata et librorum omnium scriptura *reliquo quoque tempore*, quam corrigi iussit *Buttmannus* in annotatione inter Corrigenda posita Editionis Rodianae. Ita scilicet iam olim scripsit Barbarus.

ut posteris memoriae traderentur — Quoniam aedificia publica ab Octaviano structa nomen eius inscriptum gerebant, memoriam possunt dici tradere Octaviani posteris. Sed in structura verborum et consecutione temporum inest difficultas, quae vitii aut lacunae suspicionem attendenti possit iniicere. *animad*

Digitized by Google

verti, multa te aedificavisse et nunc aedificare, bene habent; sed vix recte potest dici *animadverti, te reliquo tempore curam habiturum et publicorum et privatorum aedificiorum.* Requiri enim videtur in altero membro: *et spero* vel *confido, te — curam habiturum.* Denique *traderentur* ex usu sermonis, qui regnavit aetate ista per scripta hominum doctorum, mutandum erat in *tradantur.*

perscriptiones terminatas — Vulgatum omnium librorum in *praescriptiones* solus Galiani mutavit, *precetti precisi* interpretatus, eumque secutus Rode *diese bestimmten Regeln* vertit. Mihi ab initio *perscriptiones* nullo modo tolerari posse videbantur, quae isto aevo in rationibus et tabulis locum habuerunt, ut verbum *perscribere, perscriptor* apud Ciceronem. Contra *praescriptio* fere simili significatione usurpatur atque *index.* In Ciceronis Or. 2 agraria cap. 9 *a quibus ei locus primus invidiae in praescriptione legis concessus est.* ubi Graevius ex Codd. Pithoei, Erfurd. et Palatino dedit: *in indice et praescriptione legis*, aliae Edd. vitiosius *perscriptione* habent. *Praescriptio legis* est in nominibus eorum, qui una cum Rullo legem tulerant, sicut in SCtis eorum, qui scribendo affuere, ut recte admonuit Ernesti. Est tamen locus Academ. 4, 46 unde vulgata lectio Vitruvii defendi posse videatur: *hanc normam, hanc regulam, hanc praescriptionem esse naturae:* sed ista metaphora a fabris est translata, qui praescribunt rubrica ligna secanda. Sed ne sic quidem putabam a Vitruvio *praescriptiones* fuisse dictas de libris suis in universum. Nimis enim et superbum et temerarium videbatur in Vitruvio, Octaviani iudicium de operibus suis et ante factis et futuris, *qualia sint opera*, ad libros suos referre et dirigere velle. Deinde quid ineptius cogitari et dici poterat, quam Caesarem in his Vitruvii libris *praescriptiones* id est praecepta attendere iubere, ut per se nec alius iudicio explorato nota habere possit *qualia sint et ante facta opera et qualia sint futura opera.* Sed etiamsi concedamus Vitruvio, homini non diserto, inepte loqui; quaerebam, quid *praescriptio-*

Digitized by Google

nes, id est praecepta, *terminatae* sint? Terminatae latine dicuntur finitae, et opponuntur infinitis. *Praecepta finita* simpliciter nemo, credo, dixerit, non magis quam *praescriptiones terminatas*. Mihi igitur Vitruvius dicere videbatur argumenta ante singulos libros posita, ut sunt h. l. in libro Wratislaviensi statim argumenta singulorum capitum subiecta. Infra in Praefatione libri IV est: *utilissimam rem putavi antea disciplinae corpus ad perfectam ordinationem perducere et praescriptas in singulis voluminibus singulorum generum qualitates explicare.* Ubi *praescribere singulorum generum qualitates* est sine dubio argumenta rerum tradendarum quae et quales sint, antea ponere. Hoc igitur loco similiter *qualitatem operum ante factorum et futurorum*, id est, operum, quae et qualia in quoque vel antecedente vel sequente libro tradita sint, praescriptiones, vel argumenta seu indices, breves dici putabam a Vitruvio subiectas Praefationi, ut Caesar Augustus statim ipse cognoscere facile posset, de quo opere liber quisque operis totius praecipiat. Ita Columella iunctim argumenta librorum singulorum libro extremo seu XI subiecit; (compara Morgagni annotationem ad XI, 3, 65 p. 601 edit. meae) item Gellius; contra Vitruvius commoditatis causa statim Praefationi eadem subiicere voluit argumenta. Haec quidem sententia animo meo insederat; sed postea, quam ad hos commentarios retractandos accessissem, vidi rationem hanc non satis commode procedere. Vitruvius enim ubi *perscriptiones terminatas* Augustum *attendere* vult, quo rectius opera sua vel facta vel futura ipse iudicet, vix potuit ita argumenta librorum initiis praescripta dicere, sed ipsos libros intelligi voluit. Itaque addit: *namque his voluminibus aperui omnes disciplinae rationes.* Accedunt etiam aliae rationes quas in Praefatione aperui, ubi de consilio et fine operis Vitruviani disputo. Quam ob causam mutavi etiam vulgarem verborum distinctionem. Comma enim post *opera* positum protuli et post sequentia verba *per te* collocavi, ut intelligantur *opera per te facta et futura.* Nimis enim infinitum erat, si Vitruvius Augustum voluisset ex

Digitized by Google

suis libris *opera et ante facta et futura* omnia, quaecunque Romae usquam a quoquam fuerant facta, *qualia sint*, iudicare.

Ceterum *perscriptiones terminatae* videntur dictae esse pro *terminationibus*. Libri 2 cap. 1 *finire terminationibus species architecturae*. Libri 6 cap. 1 horizontem ita describit: *terminatio orientis atque occidentis circa terrae librationem, qua dividitur pars superior et inferior mundi, habere videtur libratam naturali modo circuitionem*. Libri 8 cap. 4 est: *cuius agrorum regiones incredibili finitae sunt terminatione. Terminationem rerum expetendarum* dixit Cicero Fin. Bon. 5, 10 quam hodie definitionem dicimus. *Perscriptiones* igitur *terminatae* videntur esse descriptiones artis corporis in partes et generum in species, partiumque definitiones. Ipse enim libri 3 Praefatione, ubi repetit librorum anteriorum argumenta: *rationesque*, inquit, *summae architecturae partitione distribui, finitionibusque terminavi*. ex quo loco possit aliquis Galiani *praescriptiones* defendere, ita tamen, ut potius *finitiones* quam *praecepta* interpretari necesse sit. Iterum libri 2 cap. 1 est: *finireque terminationibus eius* (architecturae) *species*. Sed *perscriptiones* defendit locus in Praefatione libri 3: *nunc in tertio de deorum immortalium aedibus sacris dicam, et uti oporteat perscriptas esse exponam*. Denique in libri 10 cap. 15 (vulgo 22) sect. 1 est: *Itaque his praescriptionibus si quis attendere voluerit, ex varietate eorum eligendo et in unam comparationem conferendo, non indigebit auxiliis, sed quascunque res aut rationibus aut locis opus fuerit, sine dubitatione poterit explicare*. Sed ibi *praescriptiones* videntur potius esse ea, quae antea scripta sunt a Vitruvio.

per te nota posses habere — Guelf. Wrat. Franeck. Cotton. *per te posses nota habere*. Sequens *his* omisit Wratisl. Ponam nunc argumenta libri I ex Codice Wratisl. descripta: *Explicit Prologus: Incipiunt capitula: I. de architectis instituendis. II. Ex quibus rebus architectura constet. III. de edibus sacris. IIII. de hostiis operum et balnearum et fenestris. V. de qualitatibus locorum et copiis operum. VI. de partibus architectu-*

Digitized by Google

rae. VII. De corporatura animalium et locorum salubritate. VIII. de iocineribus animalium inspiciendis ad explorandam aeris qualitatem. IX. de municipio de loco in locum translato. X. de fundamentis murorum et turrium constitutionibus. XI. de divisione operum, quae inter muros sunt, et dispositione, ut ventorum noxii flatus vitentur. Expliciunt capitula. Incipit primus liber Vitruvii de Architectura. Architecti est scientia et seqq.

AD CAPUT I.

Architecti — Hoc ex Sulpic. Guelf. Wrat. Cotton. restitui in locum vulgati *architectura*, cum qua *iudicium* minus bene congruit. Verba sequentia *cuius iudicio probantur omnia* omisit Fran. et Voss. postea *a ceteris* Sulpic.

Fabrica est — Fran. *Et fabrica est.* Sequens *usu* ex Vincentio restitui, sine quo *trita* non habet, quo referatur: vulgatum *usus*. Infra sect. 15 *opus* dixit pro *fabrica*. *Fabrica* scilicet est ars et opus fabri. Infra in Praefatione libri VI. *non modo architecturae sed omnino ne fabricae quidem notitiam habent*. Quinctilianus 8, 3, 34 *Piraticam quoque ut musicam et fabricam dici adhuc dubitabant mei praeceptores.* Idem 2, 17, 10 *nec fabrica sit ars; casas enim primi illi sine arte fecerunt: nec musica; cantatur ac saltatur per omnes gentes aliquo modo.*

qua manibus — Hoc pro vulgato *quae* debetur coniecturae Buttmanni plane necessariae.

e materia — Sulpic. *et materia*, Cotton. *ea materia.* Voluit, credo, *ex* dare. In Wratisl. *evidenter* per compendium scriptum legi.

uniuscuiusque generis — Ita plane est in Sulpic. pro vulgato *cuiuscunque*, idemque voluerunt dare Guelf. Wrat. ubi est *uniuscuiuscunque.*

opus et ad propositum deformationis — Vulgatur *opus est, ad prop. d.* Sed Wratisl. habet plane scriptum *opus et ad pr. d.*

Digitized by Google

Franeck. *et opus est*, *ad pr. d.* habere dicitur. Locum totum ita vertit Galiani: *La Pratica è una continua e consumata reflessione sull' uso, e si eseguisce colle mani dando una forma propria alla materia necessaria, di qualunque genere ella sia.* Similiter Rode: *Die Ausübung ist eine durch Nachdenken und stete Uebung erworbene mechanische Fertigkeit, aus jeder Art von Materialien ein Gebäude nach vorgelegtem Risse aufzuführen;* nisi quod is fabricam nimis anguste circumscripsit et ad solam domus struendae scientiam retulit. Miror viros doctos tam parum ad fabricae vim et ad usum vocabuli *meditationis* animum attentum habuisse. Fabrica usu discitur; hinc trita usu meditatio dicitur. Meditatio, ut graece μελέτη, dicitur pro exercitatione, et Cicero *labores meditati ad huius vitae studium* similiter dixit Catilin. I, 10. Vulgata haec sunt, nec plura exempla res desiderat. Meditatio *usu trita* dicitur, uti graece multo brevius τριβή. Nam ita Plato Phaedri p. 351. Bip. de rhetorica: οὐκ ἔστι τέχνη, ἀλλ' ἄτεχνος τριβή.

quae res fabricatas — Wratisl. *quaerens fabricare.* Deinde *solertiae ac rationis* Sulpic. Vatic. Cotton. Guelf. Fran. Vincentius. *solliciae ac rationis* Wratisl.

proportionis — Sulpic. Vatic. Cotton. Arundel. et Vossianus (annotante Laeto) Ripensis, Guelf. Wrat. et Vincentius *proportione* habent.

2.

contenderunt — Sulpic. Vatic. Guelf. Fran. *contenderant* dant, quod recepit Rode; recte, si quidem is statim etiam *fuerant* dedit.

confisi fuerunt — Sic Sulpic. et Wrat. reliquae Edd. dant *fuerant.*

persecuti — Arundel. et Ripensis *consecuti* dant.

omnibus armis ornati — Videtur graecum παναοπλίαν reddere voluisse.

Digitized by Google

3.

Cum in omnibus — Praepositionem omisit Guelf. *cum omnibus in* Barb.

quod significatur et quod significat — Expressit graeca τὸ σημαινόμενον et τὸ σημαῖνον.

exercitatus esse debere — Ita Sulpic. Guelf. Wrat. Vatic. Fran. et Vossiani, teste Oudendorpio ad Suetonii p. 783, item liber Turnebi Advers. 25, 12. *exercitatum* pessime vulgatae Edd. dant. Deinde *qui architectum* omisso *se* Wrat.

et ingeniosum — Guelf. Wrat. Cotton. *etiam ingeniosum;* deinde *oportet esse* Guelf. Wrat.

ad disciplinas docilem — Ita cum Guelf. Rode scripsit; *ad disciplinam* Sulp. Wrat. utrumque vocabulum omisit Vincentius.

aut disciplina sine ingenio — Guelf. *aut sine ingenio disciplina.*

peritus graphidos — Wrat. *peritus idem descriptionibus figurarum vel picturae graphidos.* Vides glossam e margine in textum irrepsisse. Postea *geometriae* Barbarus dedit.

et optices — arithmetica — Haec verba omittunt Sulpic. Guelf. Voss. *quare literarum oportet ut sit peritus, non ignarus graphidos, eruditus geometria et non ignarus* Ripensis. Ex ipsa Vitruvii interpretatione apparet, hos esse librariorum errores. In Wrat. desunt verba *et optices non ignarus*, sed deinde est ibi: *instructus archime.*

complures — Barbarus *plures* dedit; deinde *audierit* Guelf. Wrat. Fran. iidem postea *scierit.*

habeat — In Wrat. *habeant* per notam scriptum est.

4.

cur ita sint — Guelf. *sunt.* Deinde *graphidis* Guelf. Wrat. Vatic. Cotton. Postea *pictus* Wrat.

euthygramnu — Sulpic. Guelf. Fran. *ex euthygrammis circini*, Wrat. *ex chuthygrammis circiui.* Iocundus antiquam scripturam servavit; Ciseranus in pluribus Codd. *euthygrammatis*

Digitized by Google

circini tradidit usum, in paucis *euthigramis* scriptum reperit: nostram in Argentoratensi Philandri positam iam reperio, ubi annotatur, Priscianensem Franciscum coniecisse scriptum a Vitruvio *ex euthygrammis et cyclicis*. Idem Philander in exemplaribus aliquot antiquis esse ait *turbigrammi*. Correctionem, cuicunque debeatur, quamvis libris scriptis abnuentibus probat etiam Turnebus Advers. 25, 12. Intelligi *regulam*, quae infra cap. 2 cum circino nominatur in eodem usu, monuit Philander. Est ergo *τὸ εὐθύγραμμον*. Quod sequitur *maxime facilius*, in eo alterutrum vocabulum abundare videri possit.

normarumque et librationum — Philander posterius vocabulum pro *libramentorum* dictum interpretatur. Galiani interpretatur locum *le direzioni delle squadre de' livelli et delle linee*: quem sequitur Rode, quasi *librationes* essent eaedem quae *librae*. *Norma* h. l. est pro *normatio*.

Opticen — Fran. Wrat. *Opthicen*. Deinde *aedifficiis* Wrat. Postea *dicuntur* Guelf. Wrat.

vero sumptus — consummantur — Sulpic. *ratio sumptus — consumatur*. In Iocundi, Philandri et Galiani editionibus nec *ratio* nec *vero* apparet, in libro Guelf. et Cotton. *vero* exstat, in Wratisl. est *ob — consumantur*.

geometricis rationibus — Galiani *arithmeticis* correxit, quod fieri voluisse etiam Philandrum, apparet ex eius annotatione, eaque scriptura sola mihi etiam vera videtur; quare lunulis circumscriptam texto orationis inserui.

5.

novisse — Wrat. *novissime*, deinde *architectis designantur*.

de quibus argumentis — Vulgatam omnium Edd. et librorum lectionem ex libro Ripensi mutavit Rode in *ornamentis*, quod fieri non debuisse recte admonuit Buttmannus. Quanquam rectius *de quorum argumentis* Vitruvius dicturus fuisse mihi videtur.

stolatas, quae — Scripturam Sulpic. *stolatas et quae* primus Galiani ex libris Vatic. quibus accedit Guelf. Wrat. Voss.,

Digitized by Google

correxit, sed iterum reduxit Rode. Deinde *Caryathides* Wrat. *Cariat.* Fran. *Carratides* Ripensis. Postea *columpnis* Wrat. hic et ubicunque vocabulum occurrit.

mutulos — collocaverit, *percontantibus* — Iocundus *mutilos* dedit. *conlocaverit* Fran. *percuntantibus* Guelf. *percunct.* Fran.

Carya — Peloponnensis — Caria Guelf. Wrat. Fran. *Peloponnensis* Sulpic. Guelf. Wrat. Vatic. Fran. Cotton. quod cur in *Peloponnesi* mutatum sit a Iocundo, non intelligo. Heringa in Observ. Critic. cap. 19 p. 154 ad Arcadicum oppidum referre malebat narrationem propter locum Herodoti 8, 26 ubi narrat post pugnam ad Thermopylas Arcadas nonnullos ad Xerxem transfugisse. Praeterea apud Holstenium ad Stephanum Byz. referri ex Capaccii fide inscriptionem hanc: *Τῇ Ἑλλάδι τὸ τρόπαιον ἱστάθη κατανιηθέντων τῶν Καρυατῶν.* Lessingius noster (*Kleinere antiquarische Aufsätze* Vol. X p. 369) Vitruvii narrationem fabulosam perhibet, et Caryatides intelligi vult virgines Laconicas in honorem Dianae Caryatidos saltantes, quales refert Pausanias 3, 11, quales etiam Praxiteles, teste Plinio 36, 4 sect. 5, fecerat. Tales etiam positas fuisse putat a Diogene statuario in columnis Pantheon Agrippae ornantibus apud Plinium 36, 4 sect. 10. Vitruvianas Caryatidas in solo Pandrosio Attico reliquas pinxit et descripsit Stuart et Le Roi. Ceterum locus Sidonii Apollinaris 2 Epist. 1. ubi Basileensis Editio habet: *Ab ortu lacum porticus intuetur, magis rotundatis fulta cariatidis quam columnis invidiosa mobilibus*, qua Phílander usus est, dum ad h. l. inde *cariatidas* prima inflexione laudabat, in recentioribus et libris scriptis habet *collyriis — manubilibus.* Collyria Savaro cylindria et semicolumnia interpretatur, et ponit locum ex vetere Historia quatuor coronatorum: *et coeperunt artifices quadratarii incidere lapidem ad collyrium columnae.* Deinde ex Itinerario apponit: *monubiles merae pulcritudinis factae.* Sirmondus *coluriis* scriptum maluit, interpretatus *pilas ex pluribus saxis in orbem accisis extructas.* Inscite! Sidonius nihil nisi

Digitized by Google

parvitatem et speciem columnarum vocabulo *collyria* voluit obtegere et excusare.

indixerunt — Wrat. *induxerunt.* Deinde *Ita* Fran.

civitate deleta — Antiquam scripturam Sulpic. Vatic. Cotton Fran. Guelf. Wrat. *declarata* correxit Iocundus. Equidem totum colon deletum malim. Quid enim significat *civitas deleta*, et quidem interiecta inter *viris interfectis*, et *matronas*? Pro *abduxerunt* Sulp. dat *adduxerunt.*

non uno — Guelf. Wrat. Fran. *non una.* Deinde *aeterni* Wrat.

designaverunt — Wrat. addit *que.* Deinde *ferendo* cum Sulpic. Wratisl. Fran. dedi, *ferundo* est a prima manu in Guelf. et in Edd. inde a Iocundi exemplo. Postea *Cariacium* Wrat.

6.

Agesipolidos — In Sulpic. est *Agestillae polidos.* Vatic. cum Guelf. Wrat. Franeck. *Hagestillae polidos.* Cotton. *Hagaestillaepolidos.* Arundel. *Hagaesipolidos*, proxime ad verum. Iocundus *Agaesipolidos* dedit, quod qui primus in *Cleombroti* ex testimonio Herodoti mutarit, non reperio. Phllandri Argentoratensis *Cleombroti* habet. Sed Vitruvio suus error, si erravit cum aliis, erat relinquendus.

Plataeeo — Sulpic. *Pitalco* dat cum Vatic. Guelf. *Citalco* Voss. *Pytalico* Wrat. sed correctum *Pylatico.* Voluit ergo *Pylaico* dare, quod equidem praeferrem, ceu magis simile scripturae reliquorum Codd.

spoliorum et praedae — Recte haec verba veluti glossam additam vocabulo *manubiis* damnavit *A. Schottus Observ. human.* 5, 23. Igitur seclusi. *ex manibus* dat Wratisl.

victoriae — Vocabulum veluti glossam, verborum *laudis et virtutis* interpretationem continentem, recte damnavit idem Schottus. *trophaeo* Sulp. Wrat. Postea *simulachra* Wrat.

sustinentia tectum — Sulpic. *substinentia.* Pausanias 3, 11. στοὰν Περσικὴν describens: εἰσὶ δ' ἐπὶ τῶν κιόνων Πέρσαι λίθου λευκοῦ καὶ ἄλλοι καὶ Μαρδόνιος ὁ Γωβρύου· πεποίηται δὲ καὶ

Digitized by Google

Ἀρτεμισία et cet. ubi verba *ἐκὶ τῶν κιόνων* de zoophoro interpretatur Winkelmannus in Hist. Artium II p. 637 ed. Vindob. non probante Italico interprete *Fea*, versionis Tom. 2 p. 180. Pausanias alibi *ὑπὲρ τῶν κιόνων* dicit, veluti 5, 10, 2 de templo Olympico: *τῆς ὑπὲρ τῶν κιόνων περιθεούσης ζώνης κατὰ τὸ ἐντὸς ἀσπίδες εἰσὶν ἐκίχρυσοι.* Idem 2, 17, 3 *ὁπόσα δὲ ὑπὲρ τοὺς κίονάς ἐστιν εἰργασμένα, τὰ μὲν ἐς τὴν Διὸς γένεσιν καὶ θεῶν καὶ Γιγάντων μάχην ἔχει, τὰ δ' ἐς τὸν πρὸς Τροίαν πόλεμον καὶ Ἴλίου τὴν ἅλωσιν.*

uti et hostes — Sulpic. *et* omisit. Deinde *affecti*, quod est in Cotton. qui primus dederit pro *effectus*, quod est in Sulpic. Iocundi, Guelf. Wrat. Fran. nescio. Philandri Argentoratensis *affecti* habet.

varietates egregias auxerunt operibus — Vide an potius *duxerunt* scripserit Vitruvius.

Item sunt — Wratisl. *Et tamen sunt.* Deinde *eiusdem historiae generis* Sulpic.

oportet — Quod dedit Iocundus *oporteat*, est in Guelf. Wrat. Cotton. Fran.

7.

Philosophia — perficit architectum — Wrat. *philosophicia — perficitur architectus.*

castitate fieri potest — Castitatem avaritiae opponi etiam in oratione Ciceronis pro lege Manilia annotavit Turnebus Advers. 25, 12 iterumque 30, 36. Deinde *fuerunt* est in Wratisl.

Haec enim — Vaticani, Ripensis, Cotton. Guelf. Wrat. *et haec enim.* Voluitne *etenim haec?*

varias naturales — Wrat. interserit *et;* deinde *cursionibus* pro *cursibus* Vaticanus 2.

spiritus naturales — Galiani *de' venti*, Rode *Gas* posuit. De vocabuli interpretatione videbimus ad locum de aqua ducenda. Deinde *nemo mederi* Sulpic.

Ctesibii — Sulpic. *Itemque Thesbie.* Vatic. Guelf. Wrat.

Digitized by Google

Cotton. *Item qui cum Thesbia.* Franeck. *Etthesbiae.* Iocundus *qui Thesbiae*, quod servavit Philandri Argentoratensis. Similia monstra libri scripti alibi in eodem nomine habent in Vitruvio.

libros — Omittunt Sulpic. Fran. Voss. Guelf. Wrat. Deinde *eiusdem generis* Sulpic. Guelf. Wrat. quod cur Iocundus mutaverit in *eiusmodi*, non video.

leget, sentire — Vulgatum *leget, cum iis sentire* Iocundo debetur. Cum Sulpic. faciunt Guelf. Wrat. Fran. Vatic. Voss.

fuerit institutus — Sulpic. Vatic. Cotton. Fran. Guelf. Wrat. *erit* dant.

8.

canonicam — Sulpic. *cantionicam.* Mihi additamentum *et mathematicam* alienum videtur et a glossatore profectum. Ante *scorpionum* Wratisl. *ut* interserit.

foramina hemitoniorum — Ita Sulpic. Iocundi, Guelf. *emitoniorum* Fran. Cotton. Wrat. *homotonorum* dedit Philandri Argentoratensis; an prima et quo auctore nescio. Comparavit iam olim Turnebus locum Heronis p. 127 *ἐπάλουν δὲ τὰ μὲν συνέχοντα τοὺς ἀγκῶνας* (brachia) *νεῦρα τόνον*, (ita Turnebus laudat graeca, Adversar. XI, 4 in edito est *νευρότονον*) *ἔνιοι δὲ ἐνάτονον, ἔνιοι δὲ ἡμιτόνιον.* et p. 130 *μόνα δὲ τὰ ἡμιτόνια ἀδιάλυτα διαμένει ἕνεκα τοῦ τοὺς τόνους δυσπόλους τίθεσθαι εἰς αὐτά.* p. 131 *τὰ δὲ περὶ τὸ κλινθίον, λέγω δὲ τὸ ἡμιτόνιον, ὅπως διαλλάσσῃ, ἐροῦμεν.* p. 137 *τὰ εὐθύτονα τὰ μὲν ἄλλα πάντα τὰ αὐτὰ ἔχει τῷ παλιντόνῳ, πλὴν ὅτι τὰ δύο ἡμιτόνια εἰς ἓν κλινθίον ἀγκεῖται ἀπέχοντα ἀλλήλων τὸ τῆς διώστρας πλάτος.* Unde patet hoc quidem priore loco recte nos restituisse antiquam lectionem; posteriore vero *homotona* servandum erat, ubi Sulpic. Vatic. 2. Cotton. item *hemitonia*, Guelf. *omotonia*, Wrat. *ometonia.*

ergatis aut — Omisit Sulpic. Iocundi, Guelf. Wrat. Fran. sed adiici in aliquot Codicibus admonuit Philander comparato libri X cap. 16. Pro *suculis* inepte *surculis* Sulpic. Vatic. Fran. Voss. Guelf. Wrat.

Digitized by Google

praecluduntur — Nescio ex quo fonte *percluduntur* in Editionem Galiani et Laeti manaverit. *praeliguntur* deinde Wrat.

eas tensiones — Wrat. *eas intensiones: tentiones* Sulp. Guelf. Deinceps *utrique* Wrat. unde *utrinque* efficere malim. *utraeque* Guelf. Fran. Voss. Postea *mittere* simplex dant Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

impedient — Wrat. *impedirent.* Deinde *certam* pro *directam* dat Sulpic.

9.

Item in theatris — Omittunt *item* Guelf. Wrat. Fran. sequens *in* Sulp. Wrat. Ceterum totum locum ita posui in textu, uti scribendum censeo; singula deinceps verba ex vulgari lectione recensebo.

et sonituum discrimine — Sulpic. Guelf. Voss. Wrat. *et* omittunt. Deinde *sonitum et discrimina* Sulpic. Guelf. Wrat. *sonitum et* Fran. *sonitu et* Voss.

ἠχεῖα vocant — *Ethea* Fran. Wrat. *echea* Vatic. Deinde *appellant* Guelf. Wrat. Vatic. Fran. Cotton. *alii ἠχιεῖα* uncis inclusum addit Laetiana. Turnebus Advers. 25, 12 et 30, 36 laudavit Scholia Theocriti ad Idyllium 2. ubi est: *φησὶν Ἀπολλόδωρος Ἀθήνησι τὸν ἱεροφάντην τῆς πόρης ἐκπαλουμένης ἐκπρούειν τὸ καλούμενον ἠχεῖον.* Plura infra videbimus loca. Philander annotat quosdam Codices pro *aerea* habere *echetica*, i. e. *ἠχητικά.*

divisa circinatione — Sulpic. cum Edd. Iocundi, Philandri, Galiani, Guelf. Wrat. *d. in circinatione diat.* Sequens *et* omittit Sulp. Wrat. Deinde *diatesseron* Wrat. Qui primus praepositionem translocaverit, non reperio. *Circinatio* est ambitus theatri circularis.

diapason — Sulpic. Guelf. Fran. Vatic. 1. Cotton. *disdiapason*, Wrat. *uischiopason.* Vitium apertum correxit Iocundus. Postea *ut* Sulpic.

dispositionibus — Sulpic. *disputationibus.* Vitruvius *scenici sonitus vocem* dicit histrionum et musicorum; *conveniens in*

Digitized by Google

dispositionibus est pro conveniens ad vasa disposita. *offenderint* dat Wrat. et deinde *pervenit aures.* Vides quam parva et leni mutatione et sensui et structurae verborum laboranti in vulgata lectione consuluerim. Vulgabatur autem ita: *vasa aerea quae in cellis sub gr. mathematica ratione collocantur, et sonituum discrimine, quae Graeci ἠχεῖα vocant, ad symphonias* et cet. Verba *quae Graeci ἠχεῖα vocant* in suum locum reduxi; solum pronomen *quae* altero in loco fuit omissum. Reliqua emendatio nititur librorum scriptorum auctoritate.

10.

inclinationes — Vatic. Voss. Fran. Guelf. Wrat. *inclinationem.* Deinde *aeris et* Sulp. Vatic. 2. Cotton. Guelf. Wrat.

aedificiis communibus parietum — Interpretes omnes vertunt, quasi sit scriptum *communium parietum*, i. e. quae communes parietes habent. Sed dictio latina structuram talem ferre non videtur. Solus Galiani vocabulum *aedificiis* omittens *parietes communes* interpretatur exteriores, in communem id est publicum locum conversos; eundemque sensum extorquere conatur ex locis 2 c. 8. 6 c. 9.

et luminum — Copulam omittunt Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat.

eius modi — Sulpic. *huius modi.* Deinde *nec controversiae* Wrat. Postea idem *scribendum* dat.

cavere possit — Ita Sulp. Vatic. Voss. Guelf. Wrat. Primus Iocundus *caveri* dedit. Deinde *cautione* pro *captione* alicunde apponit margo Laetianae.

et coeli ratio — Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *etiam coeli ratio.*

11.

tanta haec — Wrat. *haec tanta.* Deinde *repente architectos profiteri.* Etiam Vatic. Guelf. Wrat. omittunt *se.*

Digitized by Google

plurium — Sulp. Vatic. Cotton. Fran. Guelf. Wrat *plerunque*, unde *plerarumque* efficit Friesemann.

pervenerint — Laetiana nescio unde varietatem *perveniant* annotavit.

12.

At — videbitur, — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *Ac.* Deinde *videtur* Sulp. Postea *memoriam* malebat Barth Adversar. 31, 4 quasi naturae oppositam.

animadverterint — Wrat. *adverterint.* Deinde *connexionem rerum et coniunctionem* Arundel. *credent* dedi ex Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Arund. Wrat. *credetur* debetur Iocundo.

omnibus litteris agnoscunt easdem notas, — Vulgo distinguunt *eruditionibus variis instruuntur omnibus litteris*, quod vertit Galiani: *apprendono gli erudimenti di tutte le scienze, imparano queste ed in oltre la reciproca connessione di esse tutte.* Rode cum Iocundo et Philandro verba *omnibus litteris* puncto utrinque posito separavit, et vertit: *wenn man in den mannichfaltigen Gattungen der Gelehrsamkeit unterrichtet ist, so faſst man die Merkmale der Aehnlichkeit.* Mihi aliter et sententiae convenientius distinguere verba necesse est visum. *Notas* videtur dicere, quae principia nostri dicunt.

Ideoque — Barth Adversar. l. c. *ideo quod* corrigebat. Causam non intelligo.

Pythius — *Pithios* Guelf. *Pythios* Vatic. Fran. *Pichius* Wrat. Deinde *primus* Sulpic. pro *Prienae* dat cum Wratisl. In Guelf. est *primus t prieni.* Vatic. Cotton. Fran. *Prieni.* De ipso artifice dicetur infra ad Praefationem libri VII.

posse facere — praestare interpretatur, ut paulo post: *mirum et magnum facere*, Barth Adversar. 24, 9. Deinde *quam si singulas* Wrat.

13.

re non expeditur — Barth. Adversar. l. c. *expetitur* coniiciebat, quo non opus est. Voluit Vitruvius: *quod verbis Pythius*

Digitized by Google

magnifice amplificatum proposuit, re vera nec demonstrari potest, nec usu verum esse cognoscitur.

uti fuit Aristarchus — Ex Vincentio, Editione Philandri, Laeti et Galiani adscivi *fuit* pro *fuerit*. In Wrat. est ordo verborum inversus.

agrammatos — Wrat. *agrammaticus*. Idem *publicus* pro *Polycletus*. Vatic. Fran. *Polyclitus*.

aniatrologetos — Sulpic. *amateologetos*. Iocundus *aniatrologetos* dedit. Vatic. 1. *aniatrologetus*, Vatic. 2. *aniastrologicus*. Quod dedit nescio quo auctore Galiani *aniatrologicos* est in Guelf. ex correctione, et in annotatione Philandri Argentoratensis positum. *aniatrisloycus* Wrat. Ciseranus in versione *amethолicus*, in Corrigendis *amethodicus* habet; annotationi praescriptum est *ametrologetos*. In Codd. fere omnibus vitiatum vocabulum reperisse testatur; in quibusdam fuit *amethologetos*, in aliis *amatehologetos*, *accologitus*, *aniatrologetos*, *aniapeos*, *ametholicos*. Addit *un vetusto vocabulo postilato incontro di questo* habuisse scriptum ἀφαρμαπολόγετος.

nec in ceteris doctrinis singulis excellens — Egregiam Wrat. lectionem adscivi in locum vulgaris *singulariter*. Vincentius addit *et praeclarus*.

elegantias — Wrat. *eligantias*. Deinde *caderet* Vatic. 2. Post *potestatem* desidero *hominis unius*.

14.

Nec tamen non tantum architecti non possunt — Suus Vitruvio sermo relinquendus et condonandus potius videtur, sane non elegans et aevi istius consuetudini congruens, quam cum Buttmanno scribere brevius et rectius: *Nec tamen architecti tantum non p.*

non efficiunt — Wrat. *non* omisit. *effiunt* Fran.

Ergo si — Barth Advers. 31, 4 repertum in Editione nescio qua *Ego* mutari voluit in *Eho*.

Digitized by Google

superet, qui — Wrat. interserit *et*, deinde *praestiterint* dat. Postea *Pichius* Wratisl.

15.

animadverterit — Guelf. Vatic. 1. *animadvertit*, quod probo, nisi *animadverterat* malis. Deinde *ratione* pro *ratiocinatione* Vatic. 1.

operis effectum — Vatic. 1. *effectu* dat. Vulgatum *effectus* nullo modo ferri poterat. Nec potest esse numerus pluralis; ita enim debebat *operum* esse. Sic deinceps *ratiocinationem* scripsi pro *ratiocinatio*. Solus Fran. *rationem* dat, *ratione* Guelf. Wrat. Cotton.

rhythmo et de pedum motu — Wrat. *pithmo*, in qua lectione quid lateat, docet comparatio Codicis Toletani, in quo est *sfigmo*. Sed And. Schottus Observ. hum. 5, 23 maluit in Vitruvio scriptum: *venarum et pedum rhythmo*, addens locum Martiani: *Herophilus aegrorum venas rhythmorum collocatione pensabat*. Nisi Schotti rationem probaveris, tum profecto cum Toletano libro scribendum *de venarum sphygmo et de pedum motu*, scilicet ad rhythmi rationem exigendo. Interim hanc rationem in textu secutus sum, dum quis meliorem excogitaverit. Tandem incidi in locum Varronis apud Gellium 3, 10 qui huc inprimis pertinet: *Venas etiam in hominibus vel potius arterias Medicos musicos dicere ait numero moveri septenario, quod ipsi appellant τὴν διὰ τεσσάρων συμφωνίαν, quae fit in collatione quaternarii numeri.* Deinde *et ad pedum motus* Sulpic. Vatic. Cotton. Fran. Guelf. Wrat.

At si — Sulpic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *Ut si*. In verbo *modulabitur* Voss. omittit litteras *ula*, videtur igitur *moderabitur* voluisse dare.

suam — iucunditatem — *suae* Sulpic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Deinde *iocunditatem* Sulp. Fran. Guelf. Wrat.

Digitized by Google

16.

sympathia — Wrat. *symphonia.* Sequentia verba *in quadratis et trigonis* spectare mihi non videntur ad Chaldaeorum placita, quae tradit Cicero de Divinat. 2, 42 *Vim quandam esse aiunt signifero in orbe talem, ut eius orbis unaquaeque pars, alia alio modo moveat immutetque coelum, perinde ut quaeque stellae cum iis finitimisque partibus sint quoque tempore: eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quae vocantur errantia. Cum autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus eius, qui nascitur, aut in eam, quae coniunctum aliquid habeat aut consentiens, ea trigona illi et quadrata nominant.* Diligentius haec explicantur a Sexto Empirico contra Astronomos. Sed alia ratione figuras Astrologorum, trigonum, quadratum et hexagonum cum Musicorum intervallis tribus, diatessaron, diapente et diapason comparavit ipse Vitruvius infra 6, 1, 6. ubi vide dicenda, et interpres graecus Ptolemaei Apotelesmatum Libri I cuius verba excerpsit ad h. l. Philander. Fuit haec Pythagoraeorum *musica convenientia astrorum*, quam vocat noster infra 5 c. 6.

Pertinet huc inprimis fragmentum Alexandri Aetoli ineditum apud Theon. Smyrnaeum in libro, cui titulum is *περὶ τῶν εἰς τὸ μαθηματικὸν χρησίμων* fecit, quod ex Codice Vossiano descripserat H. Grotius. Huius exemplum Ioannis Stobaei Sermonum cum Codicibus Parisiensibus comparatum fuit inter manus viri docti, qui varietatem scripturae inde excerptam iunxit variis lectionibus Codicum Vitruvii et annotationibus Is. Vossii, in margine libri adscriptis, in Collectione MSta Bibliothecae Goettingensis, quam liberalissime et more suo mecum communicavit egregius Heyne. Ita igitur Alexander, cuius versus a me emendatos ponam, subditis Codicis scripturis. Ante omnia tamen lectorem admonitum volo, Alexandrum Ephesium nominare Heraclitum de Allegoriis Homericis c. 12 p. 45 Schow. ubi nonus cum decimo versu paulo emendatiores leguntur.

Digitized by Google

Ὑψοῦ δ' ἄλλοθεν ἄλλος ὑπέρτατον ἔλλαχε κύκλον·
ἀγχοτάτη μὲν δῖα Σεληναίη περὶ γαῖαν·
δεύτερος αὖ Στίλβων χελυσσόου ὁρμείου·
τῷ ἔπι φωσφόρος ἐστὶ φαεινότατος Κυθερείης·
τέτρατος αὐτὸς ὕπερθεν ἐπ' ἠέλιος φέρεθ' ἵπποις·
πέμπτος δ' αὖ Πυρόεις φαέθων Θρήϊκος Ἄρηος·
ἕκτος δ' αὖ φαέθων Διὸς ἀγλαὸς ἵσταται ἀστήρ·
ἕβδομος αὖ φαίνων Κρόνου ἀγχόθι τέλλεται ἀστήρ·
πάντες δ' ἑπτατόνοιο λύρης φθόγγοισι συνῳδὸν
ἁρμονίην στείχουσι διασταδὸν ἄλλος ἀπ' ἄλλου.
καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς·
Γαῖα μὲν οὖν ὑκάτη τε βαρεῖά τε μεσσόθι ναίει·
ἀπλανέων δὲ σφαῖρα συνημμένη ἔπλετο νώτοις·
μέσσην δ' ἠέλιος πλαγκτῶν θέσιν ἔσχ' ὑπὲρ ἄστρων·
τοῦ δ' ἀπὸ δὴ ψυχρὸς μὲν ἔχει διὰ τέσσαρα κύκλος·
πείνου δ' ἡμίτονον φαίνων ἀνίῃσι χαλασθείς·
τῷ δὲ τόσον φαέθων, ὅσον ὄβριμος Ἄρεος ἀστήρ·
ἠέλιος ὑπὸ τοῖσι τόνον τερψίμβροτον ἴσχει·
αἴγλης δ' ἠελίοιο τριημίτονον Κυθερείης·
ἡμίτονον δὲ ὑπὸ στίλβων φέρεθ' Ἑρμείαο·
τόσσον τε χρωσθεῖσα φύσιν πολυπαμπέα μήνη·
πέντει δ' ἠελίοις θέσιν διὰ ἔλαχε χθὼν
αὐτὴ κεντάζωνος· ἀπ' ἠερίης φλογόεν πῦρ
ἁρμοσθεῖσ' ἀπτῖσι κυρὸς πρυεροῖσί τε πάχναις
οὐρανὸν ἑξάτονον (γρ. τόνον) ἔσχεθε τῶν διὰ πάντων.
τοίνυν τοι σειρὴν ὁ Διὸς παῖς ἥρμοσεν Ἑρμῆς
ἑπτάτονον πίθαριν, θεομήτορος εἰκόνα πόσμου.

In tertio versu margo adscriptum habet quod dedi χελυσσόου, in textu erat χελιζώου ὁρμείου. In quarto erat τῶν ἔπι. Versu sexto Codex habet φ — οο. Versu 8 ἕβδομος φαίνεται — ἄστρον.

Versu 10 Codex στοιχοῦσιν — ἐπ' ἄλλην dat. ubi conieceram στείχουσιν, antequam in Heracliti libro προσέχουσι διαστὰς ἄλλος ἀπ' ἄλλου scriptum reperissem. Schow παρέχουσιν malebat scribi. Codex Grotii διαστάσει dabat; quod in διασταδὸν mutavi.

Digitized by Google

Versu 11 Codex habet *μέσηθι ναίη*, versu 12 *νότης*, versu 13 *πλανητῶν θέσιν ὑπέρσχεσ ἄστρων.*

Versu 14 Codex dabat *τεσσάρων*, quod prosaica oratio flagitabat, ubi dicendum erat: *τούτου ἀπέχει ὁ ψυχρὸς (τοῦ Κρόνου) πόλος διὰ τεσσάρων.* Hinc forte versu 8 scribendum: *ἕβδομος ἀὐ ψυχρὸν — τέλλεται ἄστρον.* A quo tamen termino metiatur distantiam Saturni non video.

Versu 15 *φαίνων* est stella Iovis. Versum 16 non expedio. Sensus esse debet, tantundem Martis stellam distare a Iove, quantum Iupiter a Saturno. In Codice est *τάσιν — ἕβριμος.*

Versus 17 sententiam Plinius interpretabitur: *a Sole ad Martem tonum, id est quantum ad Lunam a terra.*

Versu 18 Codex habet *ἡελίοις ἡ.* Plinius *a Venere ad Solem sexquiplum.*

Versu 19 Codex *δεὶ ὑποστίλβων — ἑρμείας* habet. Plinius: *a Luna ad Mercurium spatii eius* (toni) *dimidium, et ab eo ad Venerem fere tantundem.*

Versu 20 Codex dabat *τόσσον δὲ.* Versum 21 equidem non intelligo nec extrico. Facile quidem metrum sanabimus scribendo *πέντρου δ' ἡελίοιο θέσιν χθὼν ἔλλαχε δῖα.* Sed quid sibi vult *ἡελίοιο*? Versum 22 non magis expedio. Post verba *ἀπ' ἠερίης φλογόεν πῦρ* videntur versus aliquot excidisse ad zonarum conditionem et temperaturam pertinentes. Versu 24 scribendum videtur *οὐρανὸς ἑξάτονος τόνον ἔσχεθε τὸν διὰ πασῶν.* Plinius: *Ita septem tonos effici, quam διὰ πασῶν harmoniam vocant, hoc est universitatem concentus. Τόνον* igitur dixit pro *ἁρμονίαν* poeta, si manum eius tenemus. In Codice enim ita, ut edidi, scriptum extabat vocabulum *τόνον.*

Versum 25 ita corrigendum suspicor *Τοίην τοι σειρῆν' ὁ Διός.*

Ceterum Theon hunc poetam *μουσικώτατον Ἀλέξανδρον* vocat, annotante Grotio. Addo reliquum locum Plinii 2, 20. *Pythagoras interdum ex musica ratione appellat tonum, quantum absit a Terra Luna. — a Marte usque Iovem dimidium: ab eo ad Saturnum dimidium: et inde sexquiplum ad Signiferum. — In ea*

Digitized by Google

(universitate concentus) *Saturnum Dorio moveri phthongo, Iovem Phrygio, et in reliquis similia iucunda magis quam necessaria subtilitate.* Doctrinam Pythagoraeorum exponit et explodit Aristoteles de Coelo 2 cap. 9 toto, post eum Plutarchus de Platonica ψυχογονία cap. 31 p. 324 seqq. ed. Hutten. Contra nuper Helvetus *Prevost* in Commentatione inserta Commentariis Academiae Berolinensis anni 1804 *(Quelques remarques sur l'ame humaine suivie de l'explication d'un passage de Timée)* bene docuit quam prope a vero absit, et quam originem causamque habuerit opinio Pythagorae.

cum geometris — Sulpic. Fran. Voss. Guelf. Wrat. *a geometris*, nisi quod Wrat. *geometricis* habet. Sequens *de visu* in Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. Voss. scribitur *diuisus*, in Argentoratensi 1543 *de usu.* Postea Fran. *appellatus.*

manu ac tractationibus — Sulpic. Iocund. Vatic. Fran. Voss. Guelf. Wrat. *manu aut tr.* Philandri Argentoratensis iam verum posuit. Deinde *eligantiam* Wrat. Ceterum *quae* malim, ad *operum* referendum: nam opera ad elegantiam manu perducuntur, *ingressus* vero ad *effectum* tantum.

abunde videtur fecisse — Iocundus *is* ante *videtur* inseruit, quod pronomen abest a Sulpic. Vatic. Voss. Guelf. Wrat. Franeck.

habet notas, easque — Wratisl. *habet* omisit, Sulp. *habeat;* deinde *eas* Sulpic. Fran. Voss. Vatic. Wrat.

ne deficiatur — Ita pro vulgatis *ne destituatur vel deficiat* Sulpic. Iocundi, Argentor. 1543, Iuntina, Franeck. Guelf. Cotton. Vossiani duo, (teste Oudendorpio ad Suetonii Aug. 84 p. 306.) In Wrat. est *ne deficiat.* Infra in Praefatione libri VIII est: *si non terrestri cibo membra corporis alantur, deficientur.* ubi Sulpic. Guelf. Wrat. dant *deficient.* In Argentoratensi Philandri 1550 emendationem, si ita appellari potest, iam positam reperio.

17.

faciliter contra — In Cotton. Voss. est *facilius*, quod probans Bondam p. 23 deinceps corrigit *quo pluribus.*

Digitized by Google

Tarentini — Sulpic. *Tarentinus*, Vatic. 1. *Talentini*. Deinde *Scopinas a Syracusis* Sulp. Wrat. tamen *Scopuas* Wrat.

et gnomonicas — Copulam omittit Sulp. Guelf. Wrat. *ignominicas* Franeck.

18.

a naturali solertia — Guelf. *ab naturali*. Ceterum haec verba non sunt iungenda cum *concedatur*, sed potius cum *habere talia ingenia*, et significare videntur *ob naturalem solertiam*.

omnibus eruditionibus debeat — Sulpic. *omnibus debeat erud.*

summas, sed etiam mediocres — Wratisl. inepte *sed etiam summas mediocres* habet.

peto, Caesar, et a te — Sulpic. *peto a te Caesar*. Deinceps *qui ea volumina* Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *mea* omittere omnino dicitur Vossianus.

sunt lecturi — Sola Sulpic. dat: *lecturi, expostulo.* quod verbum si in aliis etiam libris repertum fuisset, lubens adscivissem. Deinde mutato ordine *ad regulam artis grammaticae* Sulpic. Wrat. Voss.

rhetor disertus — Sulpic. *rethor*, Wrat. *discretus — summus*. Deinde *nixus sum* Sulpic. Unde Laetiana *uisus* in margine apposuerit, nescio.

polliceor, uti spero, his vol. — Clausula haec tam subito a sermone reliquo abludit et tantam scriptoris balbutiem prodit, ut eam vix sanam esse credam sed potius vitiis a librariis temeratam. Primum expectabam: *polliceor et spero me* (Sulpic. pronomen omisit) *praestaturum*. Hucusque bene. Sed adiungitur *sine dubio*, quod cum verbis *uti spero* vel *et spero* non bene coit. Qui enim *sperat*, non certo scit, quid sit eventurum *sine dubio*. Deinde quid praestaturus sit, non indicavit aut plane insolita atque obscura ratione indicavit. Quis enim uspiam scriptum legit *praestare in volumine de artis potestate, quaeque insunt in ea ratiocinationes, aedificantibus et sapientibus?* Galiani vertit: *Quanto però al forte dell' arte, ed alla Teorica*

Digitized by Google

della medesima, prometto, come spero, non solo a tutti quelli — di trattarla in questi libri senza dubbio con tutta la maestria. Paulo melius Rode: *was aber meine Kunst selbst und die Theorie derselben betrifft, so getraue ich mir zu versprechen, dafs nicht blofs der Bauverständige, sondern auoh jeder gescheide Mann sie aus meinen Schriften in aller Vollständigkeit und mit aller Gründlichkeit soll erlernen können.* Mihi quidem Vitruvius non *praestaturum* sed potius *satisfacturum* scripsisse aut scribere voluisse videtur.

AD CAPUT II.

διάθεσιν *vocant* — Vatic. Guelf. Franeck. Cotton. *vocitant.* Deinde Wratisl. Franeck. *eurithmia* dant. Ceterum H. Wottonus in Elementis Architecturae additis Editioni Laetianae p. 29 de h. l. ita docet: *Duae priores mea sententia praeteriri possunt. Nam quantum intelligo, aut ex illius interpretibus, aut ipso textu (qui in illo loco, in quo forte clarissimus esse debebat, est maxime obscurus) per* ordinationem *nihil aliud indicat, quam constitutionem moduli totius operis; nec per* dispositionem *amplius quam planam et plenam expressionem primae Ideae aut designationis illius; quae forte magis pertinent ad artificem quam censorem. Reliquae quatuor sufficiunt ad damnandam aut absolvendam quamcunque fabricam.*

2.

modica — commoditas — Ut modus est graece μέτρον, sic *modicus* nunc dicitur pro μέτριος. Est igitur *modica membrorum operis commoditas* idem, quod mensura commoda membrorum. Sic infra IX. c. 9. *qui denticuli versationes modicas faciunt et motiones.* Varronis *modum agri modicum* R. R. I, 18, 4 Gesnerus modum normalem interpretatur, equidem vulgarem, ut apud Herodotum τοῦ μετρίου πήχεος μέζων I, 72. Infra IV. c. 2 fastigia *commoda* opponuntur *spatiosioribus.* Recte igitur Galiani

Digitized by Google

vertit: *un misurato comodo de' membri.* Male contra Rode: *die bequeme Beschaffenheit der Theile.*

universaeque proportionis — Male Wratisl. *proportiones.* Galiani recte vertit: *e 'l rapporto di tutte le sue proporzioni alla simmetria.* Male Rode. Ceterum Galiani monet Vitruvium limites ordinationis transgressum symmetriam immiscuisse ordinationi.

ποσότης — Franeck. *Possotes.*

sumptione e singulisque — Sulpic. et Franeck. a prima manu dant: *sumptio ex.* Wratisl. *sumptio et.* Vossianus *sumptio e.* Vincentius Bellov. *e* omisit. Vulgarem scripturam, ubi *modulorum effectus* iungenda sunt, interpretatur Rode: *die Gröſse aber ist die gefällige Wirkung des Models, nach welchem die Verhältnisse der einzelnen Theile des Gebäudes zum Ganzen bestimmt werden.* At ita vocabulum *conveniens*, quod ad verba *singulisque membrorum partibus universi operis* pertinet, ab iis ita avellitur, ut verba ista plane omni structura diruta collabantur, nec habeant, unde pendeant, nec sensum ullum edant. Deinde Vitruvium Rode facit explicantem, non id quod exspectabamus, quid sit quantitas et unde oriatur, sed simpliciter dicentem quantitatem esse effectum modulorum. At quaerimus, unde isti moduli sumuntur? Nulla est responsionis species in versione germanica; in textu tamen inest haec: *ex ipsius operis sumtione*, de quorum verborum structura quaeritur. Rode post *modulorum* posuit incisum, ut post *operis;* itaque *modulorum — conveniens effectus* iungi voluit. Reliqua ergo ita constabunt: *ex sumptione ipsius operis e singulisque membrorum partibus universi operis.* Quam vero *sumptionem* dicit Vitruvius? *Modulorum* scilicet *ipsius operis.* At ita sequi debebat *singulorumque membrorum partium universi operis.* Quod si *sumtione* statim cum *totius operis* iungas, quae est illa *sumtio operis?* Versio Rodiana verbum *sumptione* plane neglexit. Galiani vertit: *la Quantità è la giusta distribuzione dei Moduli presi dalla stessa opera, e adattata a ogni membro di ciascuna parte della medesima.* In annotatione

Digitized by Google

monet *modulum* esse partem sumtam ex ipso opere et accommodatam membris omnibus eiusdem, ut habeant omnes partes quantitatem eam, quam quaerimus. Haec vero sententia ex verbis Vitruvii non aliter existet, nisi scripseris *modulorum ex ipso opere sumptorum singulisque — operis conveniens effectus:* aut propius ad Codicum scripturam: *modulorum ipsius operis sumptio, singulisque — operis conveniens effectus.* Licebit etiam suspicari fuisse olim scriptum: *modulorum ex ipsius operis membris sumptio, singulisque partibus* et cet. De modulo nunc videamus reliqua Vitruvii loca. Igitur libro IV c. 3 de doricis aedibus ita tradit: *Frons aedis Doricae in loco quo columnae constituuntur, dividatur, si tetrastylos erit, in partes XXVIII, si hexastylos, XLIV. ex his pars una erit modulus, qui graece ἐμβάτης dicitur, cuius moduli constitutione ratiocinationibus efficiuntur omnis operis distributiones.* Hesychii locum *ἐμβατὴρ, παρὰ τοῖς ἀρχιτέκτοσι τόκος*, ad istum locum posuit Is. Vossius in annotatione MSS. et *τόκος* corrigendum censuit. Modulum enim esse velut principium et mensuram totius operis. Eundem Hesychii locum comparaverat antea Turnebus Advers. XI, 4 in Vitruvio *ἐμβατὴρ* corrigens. De quo mox videbimus. Alter locus est V, cap. 9. *Itaque si Dorici generis erunt columnae, dimetiantur earum altitudines cum capitulis in partes XV, et ex eis partibus una constituatur, et fiat modulus: ad cuius moduli rationem omnis operis erit explicatio.* Hinc dicitur ibidem *modulatio*, ordinatio et dimensio per modulos: *habeantque exteriores columnas Doricas cum epistyliis et ornamentis ex ratione modulationis Doricae perfectas.* et post verba supra posita iterum: *Ceteri operis modulationes uti in aedibus sacris in libro quarto scriptum est.* Tertius est locus X, 16. *quibus rebus Graecorum pensitationes ad modulos habeant rationem. Modulos graciliores columnarum* habes libri IV, cap. 1. *Proportio est ratae partis membrorum in omni opere totiusque commodulatio, ex qua ratio efficitur symmetriarum. Modulus* igitur est *portio, rata pars*, et graece *ἐμβάτης*. In Compendio Architecturae est:

Digitized by Google

Quantitas est modus singulorum membrorum universo respondens operi.

elegansque in — Franeck. *eligansque.* Deinde *in* omittunt Sulpic. Guelf. Wrat. Franeck. Vossianus cum Vincentio. Postea *quantitate* dat liber Ripensis. *Compositiones* vocat opera composita ex pluribus membris, *opus* vero dicit de fabrica, seu fabricatione. Ceterum post *qualitate* expectabam ut Vitruvius adderet, *quae graece ποιότης dicitur.*

Species dispositionis — Ripensis liber *Species compositionis.* Vincentius excerpsit: *Huius species quae Gr. d. ἰδέαι, hae: ichnographia* et cet. In Compendio est: *Dispositio est apta rebus conclavium institutio et operis futuri forma, tribus figuris divisa, quae a Graecis ἰδέα appellatur. Hae sunt ergo tres figurae, Ichnographia* et cet. Unde nascitur suspicio in verbis Vitruvii esse turbatum a librariis et locum esse lacunosum. Diversa enim a dispositione est *forma futuri operis*, tribus figuris exprimenda, quae Graece *ἰδέαι* dicuntur. Ita vero facile vocabulum *ἰδέαι* tuebimur contra Meisterum tentantem p. 174 cum verbis *quae Graece dicuntur.* In loco Isidori Orig. 19, 9. *Dispositio est areae vel soli et fundamentorum descriptio* nihil est praesidii ad locum Vitruvii explicandum, in quo lacuna est statuenda, aut dicendum cum Galiano Vitruvium gemina vocabuli *dispositio* significatione falsum ab una, cui proprius hic erat locus, ad alteram mente aberrasse. Scilicet Vitruvius hic pluribus vocabulis graecis quae ipse latine vertit, aliter usus esse reperitur, quam in antiquiorum graecorum scriptorum libris usurpata agnoscimus. Ita *ordinationem* dixit, quae proprie erat descriptio aedificii in membra et partes vel partitio, partiumque inter se comparatio iusta. *Dispositionem* primum recte et ex usu vulgari vocabuli *rerum aptam collocationem* definiit. Sed dum *species dispositionis*, aut *terminationes dispositionum* dicit, aperte alium loquendi usum diversamque vocabuli, numero plurali positi, significationem secutus est. Errorem Vitruvio obiecerunt loca scriptorum graecorum, ubi *διαθέσεις* plurali numero vocabantur rerum

Digitized by Google

simulacra et repraesentationes mirabili artificio expressarum. Homo igitur in arte dicendi et grammatica non adeo, quod ipse initio librorum confitetur, exercitatus, διαθέσεις putabat esse species generis illius, quod vocabuli διάθεσις singulari numero designatum repererat. Huic meae interpretationi maxima verisimilitudinis species et auctoritas accedere videtur ex loco posteriore, ubi *terminationes dispositionum* plurali numero dicuntur, quas antea *species dispositionis* singulari vocaverat. Antea vero, quam vocabuli graeci usum exemplis demonstrem allatis, lubet de vocabulo *species* annotare locum Ciceronis Topicorum c. 7. *In divisione formae sunt, quas Graeci ἰδέας vocant: nostri, si qui haec forte tractant, species appellant; non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si latine quidem dici possit, specierum et speciebus dicere: et saepe his casibus utendum est: at formis et formarum velim. Cum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam.* Tum vero addit: *Formas qui putat idem esse quod partes, confundit artem, et similitudine quadam conturbatus, non satis acute, quae sunt secernenda, distinguit.* Hunc postremum locum posuit Clavis Ciceroniana ita, tanquam Cicero usum vocabuli *pars* pro specie plane improbaverit, cum tamen ipse saepius *partem* pro specie posuerit. Locum de Invent. I, 28. Partit. 37. Orat. I, 6. ad Diversos V, 34 annotavit ipse Ernesti. Sed is debebat potius ponere locum Topicorum c. 3. ubi est: *A forma generis, quam interdum, quo planius accipiatur, partem licet nominare.* Ita Cicero de Invent. I, 22 *partes* duas facit partitionis, subdit tamen: *nunc utroque genere partitionis quemadmodum conveniat uti.* Postea: *Nam genus est quod plures partes amplectitur, ut animal. Pars est, quae subest generi, ut equus.* Denique: *ne, quum genus posueris, eius speciem aliquam, sicuti diversam ac dissimilem partem, ponas in eadem partitione.* Vides igitur Ciceronem ἰδέαν reddidisse vocabulis *species, formae, partes.* Sic etiam Vitruvius I c. 3. *Partes architecturae sunt tres, aedificatio,*

Digitized by Google

gnomonice, *machinatio*. Hae sunt enim species potius ex vero et dialectico loquendi usu.

Nunc διαθέσεις explicabimus. Callixenus Rhodius in descriptione pompae Ptolemaei Philadelphi apud Athenaeum 5, 8. p. 200 *καὶ γὰρ διαθέσεις πολλαὶ ἦσαν ἔξωθεν ἦσαν ἄξιαι, καὶ θηρίων κλῆσις καὶ ἵππων καὶ λεόντων καμμεγέθεις εἴκοσι.* ad quem locum interpretandum utitur Casaubonus iis verbis, quibus supra sum interpretatus vocabulum. Sed eo in loco Callixeni potius sunt figurae hominum vel animalium per loca certa dispositae et monstratae in pompa. Sed idem Callixenus c. 6 p. 196 aliter adhibet, ubi memorat *χιτῶνας χρυσοῦφεῖς ἐφαπτίδας τε, τινὰς μὲν εἰκόνας ἐχούσας τῶν βασιλέων ἐνυφασμένας, τὰς δὲ μυθικὰς διαθέσεις.* ubi Casaubonus interpretatur *fabularia argumenta*, et comparat locum de Polemone Periegeta p. 210 *ἐξηγούμενος διάθεσιν ἐν Φλιοῦντι γεγραμμένην ὑπὸ Σπίλλακος.* i. e. argumentum tabulae pictae. Alia est διάθεσις in pictura, de qua Plinius 35. s. 36 no. 10 *Cedebat Apelles Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris, hoc est, quanto quid a quo distare deberet.* quam Gallice Harduinus *l'ordonnance du tableau* interpretatur. Plutarchus de poetis legendis: *αἱ περὶ τὰς νεκυίας τερατουργίαι καὶ διαθέσεις ὀνόμασι φοβεροῖς ἐνδημιουργοῦσαι φάσματα καὶ εἴδωλα κοταμῶν* et cet. ubi sunt portentosae de inferis narrationes et inferorum locorum descriptiones. Polybius 2, 61 Phylarchum culpans ait: *τὰς Μαντινέων ἡμῖν συμφορὰς μετ' αὐξήσεως καὶ διαθέσεως ἐξηγήσατο.* Idem 34, 4 vel apud Strabonem I p. 67 Sieb. Homerum excusans affert licentiam poeticam, *ποιητικὴν ἐξουσίαν*; quam ait constare *ἐξ ἱστορίας καὶ διαθέσεως καὶ μύθου*; proprium *τῆς διαθέσεως* esse et finem *τὴν ἐνάργειαν*, evidentiam, *ὡς ὅταν μαχομένους εἰσάγῃ*, veluti cum pugnantes inducit. Idem Polybius 10, 27, 8. *τοῖς αἱρουμένοις τὰς ἐκκλησιαστικὰς τῶν διηγήσεων προφέρεσθαι καὶ μετ' αὐξήσεως ἔνια καὶ διαθέσεως εἰθισμένοις ἐξαγγέλλειν.* Ita enim pro vulgato διαβάσεως scribendum esse in Indice demum vidit Interpres nuperus, qui suspicatur *παραστατικὰς διαθέσεις* in fragmento Polybii apud Suidam in voc. *διαστατικώτερον* huc

Digitized by Google

pertinere. De declamatione locorum poeticorum et dramaticorum cum gestu Plutarchus in Demosth. c. 7. ubi Satyrus actor dicitur ῥῆσιν poeticam κλάσαι καὶ διαλαβεῖν ἐν ἤθει πρέποντι καὶ διαθέσει. ubi *actione* vertitur. Idem Q. Symp. 7, 8. πρόσεστι δὲ ὑπόκρισις πρέπουσα τῷ ἤθει καὶ φωνῆς κλάσμα καὶ σχῆμα καὶ διαθέσεις ἑκόμεναι τοῖς λεγομένοις. Similes locos Luciani et Synesii posuit Ernesti Lexici rhetorici p. 73.

Ichnographia — Vatic. 2. *Ichonographia*, quasi *Iconographia* dare voluerit. Compendium: *Ichnographia est areae vel soli et fundamentorum descriptio.* quae inepte Isidorus ad dispositionem transtulit.

modice continens — Sulpic. Franeck. *modicae.* Sequens *ex* omisit Wrat. Deinde *soleis* Vincentius, *soliis* Vatic. Postea *discrepationes* pro *descriptiones* Wrat. Vocabulum *modice* vertunt Galiani quidem *in piccolo fatto*, Rode *nach verjüngtem Maſsstabe.* Sic paulo post *modice picta* iterum iidem vertunt. Sed quid significat *continens?* quod vocabulum uterque Interpres neglexit. *Machina est continens ex materia coniunctio* Nostro X c. 1. ubi male Galiani cum Rodio vertit, ille *commissura soda*, hic *feste Verbindung. Continens* est graecum συνεχὴς, quod dicitur de partibus totius corporis alicuius inter se connexis et aptis. Sic Varro R. R. I, 48, 1. *continentia tria in spica*, i. e. connexa et cohaerentia. Hic igitur circini regulaeque usus continens est coniunctus et connexus usus utriusque instrumenti. Cicero Rhetoricorum I, 26 *continentia cum ipso negotio sunt ea quae semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari.*

imago — est frontis — Librarius Codicis Vossiani similitudine vocabuli *frontis* falsus intermedia omnia omisit. Vatic. 1. *futuri* omisit. Compendium sic: *Orthographia est laterum et altitudinis exstructio.*

Scenographia — Franeck. *Scaenographia.* Deinde *abscidentium* Wrat. *ascendentium* Sulpic. Ciseranus ex Codd. *abscidentium*, *abscindentium* et *abscendentium* memoravit. Compen-

Digitized by Google

dium sic: *Scenographia est frontis et totius operis per picturam ostensio.* Ceterum *Sciographia* est in Editionibus quibusdam; quod in *Scenographia* cum mutari iussisset Hermolaus Barbarus, contra gentilis eius Dan. Barbarus, quem Baldus in Lexico secutus est, si quis rem ipsam et definitionem Vitruvii recte consideret, apparere statim putavit *Sciographia* scribendum esse. Credo eum vocabulum *adumbratio* respexisse, quod referri videtur ad umbram vocabulo *Sciographiae* comprehensam. Verum equidem librorum scriptorum auctoritatem sequendam censui, quam alter Vitruvii locus confirmat. Laet monet *Scenographia* esse in Iucundea editione anni 1523, in Argentinensi Philandri anni 1543 et in Codice Arundeliano; Philandrea anni 1586 *Scenographia* item in textu, sed annotationi *Sciographia* praescriptum habet, quod posterius vocabulum cum Galiano recte reiecit Rode. Iam olim docui in Annotationibus ad Eclogas Physicas p. 265 *Sciographiae* nomen antiquius esse quam *Scenographiae*; et pictorem Apollodorum σκιαγράφον cognominatum fuisse, quod scenas pingeret, qui serius σκηνογράφος vocatus fuit, narrant Photius et Hesychius Grammatici, quorum auctoritatem locis compluribus scriptorum Atticorum confirmavi. Quod Nicomachum narrat Plinius libri 35 sect. 36 no. 22 *primum Ulyssem pileatum pinxisse*, id Eustathius ad Iliadis librum 10 versum 265 p. 804 et Scholion Victorianum in *Heynii* egregii Editione p. 625 de Apollodoro retulit his verbis: Ἀπολλόδωρος ὁ σκιαγράφος πρῶτος ἔγραψε πῖλον Ὀδυσσεῖ. In antiquioribus igitur picturis ante inventam scenographiam Ulysses pileatus non conspiciebatur.

effectus — voluptate — Comma male positum vulgo post *plena* erat retrahendum post *vigilantiaeque*, ut *voluptas effectus* iungatur et intelligatur. Hic locus me admonet de simili Ciceronis Rhetoricorum I, 25 *Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philosophiae, poeticae, geometriae, litterarum:* ubi nisi *voluntate* de animi propensione explicueris, *voluptate* scribendum censeo.

Digitized by Google

explicatio — Vatic. 1. *explanatio.* Sequens *vigore mobili* ad mentem et animum referendum **εὐρυθμίαν** Graecum reddit.

3.

in compositionibus — Wrat. *in* omittit, Vincentius per compendium *cōibus* scriptum dat. Idem sequens *operis* omittit. Si *convenientia* est adiectivum, male sequi videtur *altitudinis et latitudinis.* Quodsi est nomen, tum deesse videtur *iusta.*

respondent — Tenenda erat scriptura Sulpic. Guelf. et Vinc. pro vulgato *respondeant*, uti supra est: *cum membra convenientia sunt.*

4.

Item symmetria — Vincentius non inepte *Item* omisit.

ex ipsius operis membris conveniens consensus — Vertit Galiani: *La Simmetria è un accordo uniforme fra le membra della stessa opera.* Rode: *Ebenmaſs ist das gute Verhältniſs der Theile eines Gebäudes gegen einander.* Sed haec Vitruvianis verbis non inest sententia, nisi *ex* in *in* mutaveris aut plane deleveris. An dicendum est *consensum convenientem ex membris* esse consensum ex membris inter se comparatis collectum? Infra libri 3 cap. 1 sic tradit de symmetria: *Aedium compositio constat ex symmetria, cuius rationem diligentissime architecti tenere debent. Ea autem paritur a proportione, quae graece ἀναλογία dicitur. Proportio est ratae partis membrorum in omni opere totiusque commodulatio, ex qua ratio efficitur symmetriarum. Namque non potest aedes ulla sine symmetria atque proportione rationem habere compositionis, nisi uti ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem. — Ergo si ita natura composuit corpus hominis, uti proportionibus membra ad summam figurationem eius respondeant, cum causa constituisse videntur antiqui etiam in operum perfectionibus, ut singulorum membrorum ad universam figurae speciem habeant commensus exactionem.*

ratae partis — Vincent. Vatic. Voss. *latae partis.* Male.

Digitized by Google

Est quem *modulum* ante vocavit. Cicero Tuscul. I, 39. *omnia ista, perinde ut cuique data sunt pro rata parte, ita longa aut brevia dicuntur*, id est, ut vulgo dicitur, pro portione.

ut in hominis — Wrat. *uti in hominis.*

partibus symmetros — Sulpic. Vincent. Vatic. Guelf. Fran. Cotton. *particulis.* Deinde *sinmetros* Franeck. Liber Ripensis *Symmetria est, sicuti in op. perf.* quae est sine dubio coniectura viri docti, non libri scripti, ex Philandri aut antiquiore Editione ducta. Galiani enim *Symmetros* retinuit. Itaque lectionibus ex Ripensi libro allatis minime confidendum censeo uti Codicum scriptorum auctoritati. Rationem statim afferam. Post *symmetros* enim vulgo omissa sunt verba *eurhythmiae qualitas*, quae restitui ex Sulpic. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Scilicet Iocundus mutilavit foedissime Vitruvii locum, qui primus omisit vel resecuit verba, sine quibus sententia loco non constat. Pro *sic est* levi mutatione dedi *sic et.*

Et primum in aedibus — Wratisl. *Capitulum III de aedibus sacris* inepte hinc exorditur.

aut e columnarum — Verum ex Sulpic. Guelf. Franeck. Cotton. Vatic. et libro Ripensi restituit Rode in locum vulgati *ut e.* et diu est, cum Philander et Vossius de Fabrica Triremium p. 96 vitium correxit. Deinde *de triglypho* Sulpic. *aut triglypho* Wratisl. Guelf. Franeck.

embates; in balista — Sulpic. *aut etiam e batere balistae foramine*, quod ipsum coniecit Is. Vossius de Fabrica Trirem. l. c. *e batere* ex Arundel. laudavit Laet. *aut etiam embatere balistae foramine* Guelf. Wrat. Franeck. Vatic. *triglypho embate, in balista foramine* maluit Philander, *aut embatare balistae foramine* Turnebus Advers. 30 c. 36. *aut etiam embate; in balista e foramine* Fea; suam coniecturam posuit Rode, sane non ineptam.

περίτρητον — De vocabulo dicetur ad X, 17. Theoriam hanc ex diametro peritreti reliquas partes dimetiendi tradit copiose Philo Mathematic. Veter. p. 51 et ante eum Hero ibidem p. 141. 142 seqq.

Digitized by Google

in navibus interscalmio — Praepositionem *in* omittit Guelf. Wrat. et Vossius l. c. cum Sulpiciana. Deinde *interscalpio* Vatic. 1. Franeck. *in navibus ex interscalmio* corrigit Fea. Ceterum *vocant* ex h. l. posuit Is. Vossius de Fabr. Trirem.

quod dicitur — *quod difeciace* Sulpic. *quae diphe-ciaca* Franeck. et Guelf. *quae diffeciata* Wratisl. *quae difeciaca* Vatic. 1. *quae difetyuca* Vatic. 2. *dipheiaca* in libro suo reperit scriptum Turnebus Advers. 25 c. 12. *iphesiaca* in Cotton. reperit Is. Vossius de Fabr. Trir. p. 95 qui *εἰρεσίας* corrigit. Contra Turnebus *δρόφαντα* aut *diasphaca* coniecit. Meibomius de Fabrica Triremium, Amstelod. 1671 p. XIII totum hunc locum partim e MS. emendatum dedit ita: *aut e columnarum cr. aut e triglypho, aut etiam embatere foramine, quod Graeci περίπτερον vocitant, navibus interscalmio* (malebat tamen *aut navium ex interscalmio*) *quod διχηχαῖη dicitur, item caeterorum operum e membris invenitur symmetriarum ratiocinatio.* Idem p. XI. „Ideo *διχηχαῖον μεσοσκάλμιον* bicubitale interscalmium, quod Vitruvius posuit, intelligendum est de spatio inter proximos binos scalmos seu remos, III pedum, non autem, ut Salmasius male putavit, pedum IV.“ Hucusque Meibomius. Mihi vocabulum graecum, quod latino *interscalmio* respondeat, ignotum esse fateor; sed in vestigiis scripturae varietatis latere videtur *diaphesis* vel *diapheteria*, *διάφεσις*, *διαφετηρία*, quas voces etsi in nullo scriptore graeco exstare fateor, ad analogiam tamen factas respondere agnoscent intelligentes. Vossii *εἰρεσίας* nemo facile probabit; sed forte in *διαξειρεσίας* mutatum non displicebit vocabulum. Interim locum graeci vocabuli vacuum reliqui, interpolandum olim ab eo, qui reperierit verum; iocundi enim nugae sunt *διχηχαῖη*, quod vulgo vocabulum hic positum reperitur, et ipsa grammatica verborum structura repudiat. D. Barbarus monuit in Codd. aliquot esse *dichisim*; esse autem *dijacem* et *diichisim* gubernaculi partem illam, quae ansa dicitur, cuius mensuram ex interscalmio sumi. Equidem velim noscitare Codices illos scriptos, quos Barbarus memorat: nihil enim simile in

Digitized by Google

reliquis reperitur. Interpretatio autem Barbari, nomine eius digna, videtur ad vocabulum graecum οἶαξ referri. Exemplum mihi unicum innotuit, ubi scalmus ad magnitudinem navigii indicandam adhibetur. Suidas sub vocabulo ἐκπώτιον posuit locum hunc anonymi scriptoris: ὃν οὐδὲν ἦν δεκασκάλμου μεῖζον. ubi δεκάσκαλμος tamen ordines decem remigum significare videtur, ut in Polybio σκαλμὸς θρανίτης similiter dicitur.

5.

Decor — probatis — compositi — Wratisl. *probabilis rebus compositi autem cum auctoritate.*

qui graece — Sulpic. Vatic. Guelf. Wrat. *quod* dant, sed solus Wrat. deinceps *thematisma*, quod voluerunt etiam dare prius nominati libri. Ceterum vereor ut Vitruvius θεματισμὸν recte interpretatus sit *stationem*, eamque a *consuetudine* distinxerit. Certe notam certam non indicavit, qua consuetudinem a statione distingueremus. Galiani stationem vertens *statuto* putabat esse usum e natura rei tractum, cum consuetudo sit ex libidine hominis orta. Rode *Costume* vertit, et *consuetudinem*, ut Galiani, *Gewohnheit*. θεματισμὸς cum a natura distinguitur, continet omnia ea, quae hominis voluntas, libido et consuetudo posuit, statuit, et in usum vitae induxit. Ita hodieque ius positivum seu θετικὸν dicimus, cui naturale opponitur. θεματισμὸς est, quae alias θέσις dicitur. Ita Sextus Empiricus contra Grammaticos cap. 7 πότερον φύσει ἢ θέσει τὰ ὀνόματα i. e. utrum nomina sunt natura, an ex positione et instituto hominum. Deinde: οὐκ ἄρα φύσει τῶν ὀνομάτων τὰ μὲν ἀῤῥενικὰ, τὰ δὲ θηλυκὰ, ἀλλὰ κατὰ θεματισμὸν τὰ μὲν τοιαῦτα γίνεται, τὰ δὲ τοιαῦτα. ubi κατὰ θεματισμὸν idem est quod κατὰ θέσιν vel θέσει. Ab hac vero positione consuetudo non est diversa.

aut natura — Vincentius *vel materia — ut cum Iovi et Coelo — sub divo constituebantur.*

Iovi Fulguri — Galiani *Fulguratori* interpretatur, et compa-

Digitized by Google

rat *Dianae nemori* IV c. 7 et *Iovem lapidem*. Galianum sequitur Rode.

Coelo — Wratisl. *Coeli*. Rode ita vertit, ut *Coelus* sit pro Deo. Quem qui ferre hoc loco potest, is *Fulgur* eodem numero habere non debebat detrectare. Mihi *Iovi Fulguratori et Coeliti* coniunctim scribendum videbatur. Iupiter, Fulgurator graece est ἀστραπαῖος; sed multa alia in coelo Iupiter edit signa, unde cognomina traxit, veluti ὑέτιος, περαύνιος, καταιβάτης, εὐάνεμος, ὄμβριος, σημαλέος dicitur. Haec igitur cognomina omnia vocabulum *Coeles* complecti videtur. Διὸς Κονίου ναὸς οὐκ ἔχων ὄροφον est in Pausaniae Atticis cap. 40 s. 5. Postquam haec scripseram, vidi Salmasium ad Solinum p. 802 ubi de fulguribus conditis agit, quae loco septo et lapide imposito consecrari solita erant, locum Vitruvii postquam posuisset, addere: Sacella haec vocabantur, templa nimirum sine tecto. Sed et quod sine tecto est et foramine aperto patet, templum etiam dicitur. Sophocles σηκὸν ἀπαλυφῆ vocat. Locus est in Philoctete 1327 de dracone Minervae sacellum servante: ὃς τὸν ἀπαλυφῆ σηκὸν φυλάσσει πρόφιος οἰκουρῶν ὄφις. Argumentum graecum metricum fabulae βωμὸν ἐκπεπεχωσμένον Ἀθηνᾶς appellat. Vix fieri potest, ut Salmasius aedificia Fulguri sub divo constituta comparaverit cum bidentalibus romanis, ἐνηλυσίοις dictis graece, de quibus etiam Scaliger antea eadem docuerat ad Festum sub voc. *Sceleratus campus*. Quicquid tamen eius rei sit, ex Salmasii libro didici, quae ad h. l. pertinent, alia. Servius ad Aeneidis librum IX ex Salmasii correctione ita tradit: *Unde in Capitolio superna pars tecti patet, quae lapidem ipsum Terminum spectat. Nam Termino non nisi sub divo sacrificabatur.* Monet ibidem Salmasius supra Dium Fidium perforatum fuisse templi tectum. Sed alia est ratio tectorum perforatorum templorum. Denique de Coelo etiam dubitare coepi, postquam in Gruteri Inscriptione 12 *Coelum aeternum* videram divinis honoribus cultum. Apud Fabrettum Inscript. p. 690 pariter est: *Coelo aeterno, Terrae matri, Mercurio menestratori sacrum posuit L. Octavius L. F.*

Digitized by Google

Verus et Octavia Euhoda mater. Tertia Inscriptio ibidem est no. 113 ubi *Coelo aeterno Atilia Compse et Atilia Victoria Gratias* profitentur.

hypaethraque constituuntur — Sulpicius *hyphaetraque constituuntur.* Vincentius *hypaethraque constituebantur.* Vulgatum *constituuntur*, quod est etiam in Wrat. Rode ex Vatic. 2 et Guelf. mutasse videtur in *constituentur.* Paulo post Vatic. 1 *vidimus* habet.

Herculi — Wratisl. *Hercoli.*

Florae — fonti cum — Wrat. *Floraeque.* Deinde *phouticon Nymphis* Sulpic. *fontis N.* Guelf. *fonte cymphis* Wrat. *fonti cum Nymphis* Vaticani, quae ipsa erat coniectura Turnebi 25, 12 qui e Cicerone de Legibus 2 fontis aram memorat; eaque correctio, quippe e Sulpic. scriptura facile derivanda, unice probanda et vulgatae *fontium Nymphis* praeferenda videbatur.

florida foliisque — Wratisl. *floriora et florida folliisque* habet, ubi forte vocabulum *floridiora* latet.

construentur — erit — Wratisl. *construuntur — erunt.*

quod et ab — Sulpic. *quod severo* omissis *et ab.* Guelf. Wrat. *ab* tantum omittunt. Deinde *ab teneritate* Guelf. *ab tenuitate* Wrat. Denique *eorum institutio* Sulpic. Guelf. Ripensis.

6.

cum aedificiis — Vincentius *ut cum aedificiis.* Deinde *eligantia* Wrat. Paulo antea malim *exprimetur* propter sequens futurum tempus.

prospectus — Sic ex libro Ripensi dedit Rode praeeunte Galiano cum aliis. Sulpic. Guelf. Wrat. *perfectus*, Vatic. 2. *perfectos*, Codices alii a Philandro inspecti *perspectus* dant. *Perfectus* hic locum plane alienum occuparunt nescio quo primum immigrare iubente. Perraltus Codicem antiquum antestatur nescio quem. Verum restitui.

aut in pulvinatis capitulis et (columnis) Ionicis — Sulpic. Vatic. Arund. Guelf. Wratisl. Franeck. *aut in pulvinatis columnis*

Digitized by Google

(*pulvinaticis columnis* Wrat.) *et Ionicis epistyliis* (*epistiliis* Guelf. *epistylia* Franeck.) *capitulis* (*capitibus* Arundel.) *exprimentur. triglyphis.* Ex Cottoniano etiam libro *epistyliis capitulis exp. triglyphis* annotatum est. Postea *offenduntur* liber Vossianus habet, in quo verba *capitulis et* omissa dicuntur ex vulgari lectione. Galiani dedit cum Philandro: *pulvinatis capitulis et columnis Ionicis epistyliis — triglyphi.* Philander monet in exemplaribus quibusdam esse *pulvinatis capitulis*, ut libri 3 capite ultimo. *Pulvinata capitula, Ionicis columnis imposita*, memorantur etiam libri 4 cap. 1 extremo. Recte igitur fecisse videtur qui *capitulis* ex alieno loco restituit in suum, sed male is vocem *columnis* omisit. Quare Philandream lectionem probo, quanquam ita *columnis* abundare agnoscam. Itaque vocabulum lunulis additis seclusi. Ceterum *pulvinata* dici a similitudine pulvinorum, quales in picturis vasculorum vulgo Tuscorum dictorum reperiuntur instrati sedilibus et scamnis, finibus utrinque in volutae speciem intortis, suspicatur *Stieglitz* Archaeologiae architect. I p. 31.

alius ante — Dedi quod sententia postulare videbatur pro *aliis.*

7.

si primum — Vincentius *ut si primum.* Idem postea *aedificia construantur* pro *fana constituantur.*

Aesculapio — In Aesculapii Attici templo κρήνην memorat Pausanias Atticorum cap. 21 et Xenophon Memorab. 3, 13, 3 fontem calidae aquae nominat. Plutarchus in Quaestionibus Romanis p. 365 ed. Hutten. quaerit: διὰ τί τοῦ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἱερὸν ἔξω πόλεώς ἐστι; πότερον ὅτι τὰς ἔξω διατριβὰς ὑγιεινοτέρας ἐνόμισεν εἶναι τῶν ἐν τῷ ἄστει; Addit de Graecorum more haec: καὶ γὰρ Ἕλληνες ἐν τόποις καθαροῖς καὶ ὑψηλοῖς ἐκτισμῶς ἱδρυμένα τὰ Ἀσκληπίεια ἔχουσιν. — Ἐπιδαυρίοις δ' οὐ κατὰ πόλιν ἀλλὰ κόρρω τὸ Ἀσκληπιεῖόν ἐστιν.

Saluti — Ὑγίειαν dicere voluit. Ita Inscriptio Muratoriana p. 141 no. 3 *Aesculapio et Hygiae hoc templum cum fonti-*

Digitized by Google

bus suis sacrum aliquis dedicat. Ad *eorum deorum* intellige *aedibus.*

uti ex natura — dignitate — Wratisl. *et uti et natura* omisso *dignitate.*

Item naturae decor erit — i. e. ex natura decor erit. Wrat. exorditur hinc Capitulum IV *de hostiis operum et balnearum et fenestris.*

capientur — Sulpic. Guelf. Wrat. Vatic. Franeck. Voss. *capiantur.*

balneis et hibernaculis ab occidente hiberno — De balneis repetit libri 5 cap. 10. de reliquis 6 cap. 7.

partibus — Ita Sulpic. Guelf. Wrat. Franeck. Iucundus *paribus* dedit, quod corrigere iussit Turnebus Advers. 30, 36. Deinde pro *coeli* est in Wrat. *tali.* Post *certa* copulam *et* omittunt Sulpic. Vatic. Franeck. Wratisl.

8.

Distributio — Wratisl. Capitulum V exorditur hinc *De qualitatibus locorum et copiis operum.* Vocabulo ipso aliter utitur infra libri 3 capite 1. *qui etiam aedes deorum immortalium constituentes ita membra operum ordinaverunt, ut proportionibus et symmetriis separatae atque universae convenientes efficerentur eorum distributiones.* Quae erant potius *ordinationes* dicendae.

parcaque — Recte Wratisl. *peritaque.* Vincentius *per eaque.*

cum ratione temperatio — cum omittit Vincentius, Guelf. Vatic. Voss. Deinde *temperantiae* Sulpic.

Haec ita — Vincent. *Hoc,* Wrat. *hic itaque.* Deinde *quaerat* Vinc.

poterunt — Vinc. *possunt,* Franeck. *potuerunt.* Deinde *comparari nisi labore vel sumptu magno* Vincentius.

non omnibus locis — Vatic. 2. *non in omnibus l.* Vossianus *locis* omittit. Postea *copia* omisso *est* Wratisl.

Digitized by Google

comportationes — Philander et Galiani *comparationes* ediderunt.

fluviatica — lota — Wratisl. *fluviarita — loca.* In Guelf. *loca* est suprascriptum. Praeceptum repetit Palladius I, 10.

Inopiae — Vincentius *Inopia — suppleatur* pro *vitabuntur.* Sulpic. omisit *quoque.* Wratisl. *habietis.* Deinde *populo* omittit Vincent.

Reliqua quoque his similiter — Sulpic. *Reliqua his similiter.* Franeck. Cotton. Voss. Wrat. *reliquaque*, Guelf. *reliquaque quae.* Sequens *his* omittit Vinc. *similiter*, quod omnino tenendum erat, etiam Vincent. Guelf. Wrat. Vatic. Franeck. Cotton. Vulgo erat *similia.*

9.

aut ad pecuniae — *et ad* Sulp. Guelf. Wrat. Vatic. Franeck.

elegantiae — Sulpic. Guelf. Wrat. Franeck. et Vaticani *eloquentiae*, quod recepit Galiani. Recte. Elegantiae et elegantium hominum non dicitur dignitas, sed eloquentiae et eloquentium hominum, quales qui Romae munera et magistratus maxime eloquentia consequebantur. Infra 6 cap. 8 *forensibus autem et disertis elegantiora et spatiosiora ad conventus excipiendos.*

aliter disponentur — Haec est Philandri correctio; libri enim scripti Guelf. Franeck. Wrat. Cotton. Voss. *alte.*

non item — In Corrigendis *Buttmannus* recte ita pro *idem* scribendum esse admonuit, et sic dedit Philandri Argentoratensis 1550. *feneratoribus* Sulpic. Wrat.

AD CAPUT III.

De partibus et terminationibus — Wratisl. Capitulum VI inscribit ita, ut verba *et terminationibus* omittat. *Partes* a Vitruvio hic dici, quae vulgo sunt species vel formae, monui ad cap. 2.

bipartito — Wratisl. *biparticio;* deinde Sulpic. hic et ubique *oportunitatis*, cum qua statim facit etiam Wratisl.

Digitized by Google

et portarum — Copulam *et* omittit Wrat.

communium locorum — Lectionem Sulpic. Franeck. Cotton. Guelf. Wrat. Vatic. *communium locorum* recte revocavit in locum vulgaris *omnium* Galiani et probavit Wesseling. Observ. p. 67.

uti portus — Sulpic. Guelf. Wrat. *ut portus.* Deinde *qua eisdem* Wratisl. Postea *publicis locis designantur* Wrat. Vocabulum *locis* omittit Franeck. Vossianus.

2.

Firmitatis erit — Wratisl. post *firmitatis* additum habet *vero* per compendium unius literae *.u.* sic scriptum.

et ex quaque — Sulpic. *quaque est materia.* Franeck. Guelf. Wrat. *quaque e materia.* Voss. *e quaque mat.* cum Vincentio. *atque e materia* liber Ripensis. Sequens *copiarum* omisit Vincentius.

Utilitatis autem — Vincentius addit *cum fuerit*, quae sane ex praecedente sectione non facile intelliguntur, sed rectius repetuntur, ut in tertio membro de venustate.

usus locorum — Vincentius *pro usu* rectius dat, liber Arundel. *usus*, unde Galiani *sine impeditione usus*, *locorum dispositio* recte edidit. Vulgo est *usu.*

regiones — Sulpic. *religiones.* Sequens *sui* omittit Wrat.

elegans — Wrat. *eligans.* Deinde *connexus* pro *commensus* Sulpic.

ratiocinationes — Ita Sulpic. Guelf. Wrat. Franeck. Vatic. Cotton. Vinc. Sequiores *rationes* dederunt.

AD CAPUT IV.

De electione — Wratisl. *Capitulum VII* inscribit *de coopertura animalium et locorum salubritate.*

Is — erit — Wratisl. *hiis — erunt.* Deinde *nec pruinosus* Vincentius. Liber Ripensis *pluviosus* dat.

regionesque — neque — neque — Wratisl. *que* et alterum

Digitized by Google

neque omittit. Prius *neque* in *non* mutat Vincent. Pro *temperatas* Sulpic. *seperatas* habet.

si evitabitur — Sulpic. Vatic. *sic evit.* Franeck. Wrat. *sic vitab.* Etiam Vincentius *vitabitur* habet. Deinceps *plaustris* Wratisl.

oppidum — et iis — Wrat. *opidum.* Deinde *his* Sulpic. Guelf. Wrat. Franeck. Vatic.

flatus — efficient — Guelf. Wrat. *flatu;* deinde Wrat. *efficiunt.* Columella I, 5, 6. *palus caloribus noxium virus eructat et infestis aculeis armata gignit animalia, quae in nos densissimis examinibus involant, tum etiam nantium serpentiumque pestes, hiberna destituta uligine, coeno et fermentata colluvie vere natas emittit, e quibus saepe contrahuntur caeci morbi* et cet. Varro I, 12 de vitandis locis palustribus: *et quod arescunt, crescuntque animalia quaedam minuta, quae non possunt oculi consequi, et per aera intus in corpus per os ac nares perveniunt atque efficiunt difficiles morbos.*

aut ad occidentem — Praepositionem omittit Guelf. Wrat. Franeck. Vatic. Deinde *quod per aestatem* Vatic.

2.

mutationibus — iis locis — Sulpic. *mutationes.* Deinde *his* Sulpic. Guelf. Wrat. Franeck. Vatic. Statim etiam *his* pro *iis* dant Sulp. Guelf. Wrat.

vinariis tectis — Vocabulum *tectis* omittit Sulpiciana, in *tecti* mutari voluit Turnebus Advers. 30 c. 36. Sed recte Philander monuit cellas vinarias fuisse etiam *apertas*, ex Plinio 14 c. 25 et Geoponicis 7, 2.

ea regio — Sulpic. *illa regio*, deinde *et* ante *granaria* omittit.

3.

calor cum — a rebus — Wrat. *calorem cum.* Sequens *a rebus* pro vulgato *aeribus*, quod est in Codd. ex libro Ripensi recepit Rode; sed ea ipsa fuit a Philandro proposita correctio,

Digitized by Google

cum altera *a corporibus.* Ciseranus expressit quod in uno Codice scriptum reperit *acribus*, in pluribus erat *aeribus.*

eripit et — Verbum hinc post *fervidis* translatum collocant Sulpic. Guelf. Wrat. Vatic. Ripensis. Deinceps *exsugendo* Wratisl.

candens si refrigeratur — Verba *est*, *si* vulgatae, *candens est*, *si* omittunt Sulpic. Franeck. Vatic. Guelf. Wrat. Deinde *refrigeretur* vulgatum e Ripensi correxi.

redurescit et restituitur — Sulpic. Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. habent scriptum *redurescat et restituatur.*

4.

solum in — Wratisl. *solis pestil.* Deinde *pestilentissimae sint.*

etiam quae a frigidis — Edd. vett. aliquot *etiam quod quae*, sed *quod* abest a Sulpic. et Codd. scriptis. Fateor tamen mihi Iocundi emendationem non displicere, in qua repetendum est *licet considerare ex eo, quod. ab frigidis* est in Vatic. Wratisl.

sed dissolvuntur — Wrat. male *si dissol.* Idem deinceps *quod etiam ex calidae locis.*

valetudinibus — Sulpic. Wratisl. *valitud.* Deinceps *infirmantur* Wratisl.

5.

in moenibus — Sulpic. *ut moenibus.* Deinde *his* cum Wratisl.

caloribus flatus — Franeckerani *caloris* probat Bondam p. 37. Solus Wratisl. interserit vocabulum *bestiarum* memorabili varietate, quam alicunde etiam commemoravit margo Laetianae, quamque licebit defendere ex loco superiore, ubi est: *spiritusque bestiarum palustrium venenatos — in habitatorum corpora flatus spargent.* Deinde *possint* Sulpic.

Namque ex principiis — Sulpic. Guelf. *namque principiis.*

Digitized by Google

Wratisl. *namque in principiis.* Edd. vett. a Iocundo usque *nam quia ex princ.* Laetus *nam ex pr.* dedit. *namque ex* cum Galiano Ripensis liber.

στοιχεῖα — Sulpic. *sthechia*, sed corrigitur *stoechia.* Wratisl. *scenophia.*

. ut omnia corpora sunt — Sulpic. et Wratisl. *considerare oportet*, *ut omn. c. sint*, sed Wrat. *sunt* habet.

id est ex calore — Sulpic. praepositionem omittit. *a calore* Guelf. Wrat.

et terreno — Copulam omittit Sulp. Franeck. Wrat. Deinceps *et his mixtionibus* Edd. antiquae. *ita mixtionibus* Sulpic. Guelf. *et mixt.* Vatic. Franeck. Wrat. Postea *generatum* Wrat.

6.

quibus — cum exuberat — quibusque Ripensis liber. *exsuperat* Sulp. Guelf. Wrat. Deinde *calore*, *tunc* Wrat. In hoc membro *quibus* sententiam et verborum structuram turbat; quare vitiosum pronomen aut tollendum censeo.

ab certis — *a certis* Sulp. *ab ceteris* Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. *a caeteris* Ripensis.

cetera principia — Sulpic. *ceteraque.* Deinde *ut liquida* Sulp. Guelf. Wrat. *a liquida corruptura* alicunde memorat margo Laetianae. Postea *compositionibus* Franeck. Guelf. Wrat.

Item e refrigerationibus — Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. *Item haec e refr.* nisi quod singularem *refrigeratione* habet Franeck.

etiamque terreni — Sulpic. Franeck. Ripensis *terrae.* Deinde *plenitudine* Vatic. 2. Postea pro *aëria* Sulpic. Franeck. Guelf. *aer*, sed in Guelf. erasa est litera *r*, Wratisl. *ac.*

7.

Sed si quis — Vatic. Guelf. *Sed si qui.* Deinde *intendatque* Guelf. Wrat. *teneatque* Sulpic. *Intendere* sic est apud Palladium.

Digitized by Google

longe aliam — Sulp. Franeck. *longe aliter.* Deinde *Volucres habent terreni minus* Wrat. altero *minus* omisso.

temperate et aëris — Sulpic. Vatic. *temperaturae aeris.* Copulam omittit etiam Guelf. Wrat. Franeck. et Ripensis.

plurimumque ex aëre et terreno — Franeck. *plurimoque.* Deinde *ex aere et terrenis* Sulp. *ex aeris et terreni* Franeck. Guelf. Wrat. Vulgata debetur Philandro.

quam paulum — Barbarus *parum* edidit. *oppido, quapropter quo minus* Arundel. Inepte Laet *quo magis* corrigi voluit.

Itaque — Wratisl. *Igitur.* De philosophiae hoc genere comparabit lector Aristotelem de Part. Anim. II, 2. de Respiratione c. 14. Plutarchum de Placitis Philosoph. 4, 7. et Historiam literar. Piscium p. 180.

terrestria, quod — Cum sequatur iterum *quod* in apodosi, malim hoc loco *quae* scribere.

8.

et ex iis — Sulp. Vatic. *et e princ.* Deinde *exsuperationibus* Franeck. Vatic. Guelf. Wrat. *exuper.* Sulp.

indicavimus — Sulp. Franeck. Vatic. 1 *iudicamus*, Vatic. 2 *iudicavimus*, Guelf. *indicamus*, Wrat. *vitamus.* Deinde *quom quaerenda* Sulpic.

9.

Itaque etiam — Wratisl. *Capitulum VIII* hic exorditur inscriptum: *De loterinibus* (iocerinibus) *animalium insipiendis* (inspiciendis) *ad exemplanandam* (explanandam) *aeris qualitatem.*

veterem — rationem — E Franeck. Vatic. vulgatum *veterum* correxi. Deinde *Maioribus* Wratisl. Postea *e* ante *pecoribus immolatis* vulgo positum recte omittunt Sulp. Franeck. Guelf. Wrat. Cicero de Divinatione II, 13. Democriti hac de re sententiam immerito ridet: *Is habitu extorum et colore declarari censet non haec duntaxat, pabuli genus et earum rerum,*

Digitized by Google

quas terra procreet, vel ubertatem vel tenuitatem; salubritatem etiam aut pestilentiam extis significari putat. Ita enim recte locum correxit Davisius, contra pervertit nuperrimus Interpres Helvetus.

pascebantur in iis — Wrat. *pascentur in hiis.* Sulp. Guelf. *in his.* Deinde *iocinora* Franeck. Guelf. Wrat. Paulo post *iocinorum* Guelf. Wrat.

prima, alia — Sulpic. Vatic. 1. Franeck. Guelf. Wrat. *primo.*

item in humanis — Recte Buttmannus vulgatum *idem* corrigens excidisse in sequentibus suspicatur verbum *rati*, quod inserit post *futuram.* Idem ego verbum corruptum latere censeo in verbis *et ita.*

10.

terrae videantur — Solus Wratisl. interserit *habere.*

Cretensium — Sulpic. *crescentium.* Deinde *Potereum* Sulpic. *Potherum* Wrat. Ripensis liber dat *Catarhactum* sive *Cataractum.* Scilicet Turnebus Adversar. 30, 36 ex Edd. afferens *Prythereum* corrigebat e Geographis *Catarhactas.*

Cretae — Sulpic. *Chretae.* Deinde *corrinam* Guelf. *corcinam* Wratisl. Postea Franeck. *cortyna* pro *Gortynam.*

splenem habent — Haec verba Franeck. cum Guelf. omisit, et statim *si quae autem* Guelf. Wratisl. Philander annotationi praescripsit verba *splenetica sunt*, quasi vulgarem scripturam, et in aliis Codd. rectius esse monuit *splenem habent.*

etiam medici — Sulpic. *et medici — in his locis — Chretenses asplenon.* Deinde *imminuerunt* Franeck. cum Sulpic. *imminuerint* Wratisl. Postea *liniosos* Vatic. 1.

11.

orientem, eaeque — Sulpic. *occidentem haeque — littus maxima.*

fit aquae exitus — Sulpic. Franeck. Vatic. 1 *fit* vulgo ante *aquae* positum omittunt, recte; item deinde praepositionem *ex*

Digitized by Google

ante *mari* collocatam, cum Guelf. Wrat. Postea *mare* dant Fran. Vatic. 1.

in paludes — concitatur amarisque — Sulpic. *in paludibus.* Deinde *concitata marisque* Sulpic. Guelf. Wrat.

exemplar — Wratisl. *exempla* dat. Deinde *Aquileiam* Sulpic. *Aquilejam* Vatic. *Aquileyam* Wratisl.

12.

Pomtinae — Ita Guelf. *Pomptinae* Franeck. *Pontinae paludes* Sulpic. *Pontinae* etiam Wratisl. Deinde *putescunt* Guelf. Franeck.

Item in Apulia — Wratisl. hinc *Capitulum IX* exorditur *De municipio de loco in locum translato.*

oppidum Salpia — Wratisl. *opidum Sapia.* Guelf. Vatic. Franeck. *Salpia*, Sulpic. *Salapia.* Plinius 3 sect. 16 *Salapiam in Apulia Dauniorum oppidum Hannibalis meretricio amore inclytam* nominat. In Appiani Hannibalicis c. 45 Edd. nominabant Σαλατίαν, Codices Σαλλατίαν vel Ἀλλατίαν, Schweighaeuser Σαλαπίαν dedit ex correctione Stephani et Palmerii, qui comparant Livii historiam 26 c. 38 et Valerii Maximi 3, 8, 1 extern. In Appiano de Civil. Bellis I c. 52 vulgatam librorum omnium scripturam Σαλπίαν idem Schweighaeuser mutavit in Σαλαπίαν. Cicero Agrar. II. 27 *nisi mavultis in Sipontina siccitate aut in Salapinorum pestilentiae finibus collocari.* ubi eadem est scripturae varietas.

senatuque populoque romano — Sulpic. *senatu P. Q. R.* Verior lectio est in Franeck. Guelf. Wratisl.

nummoque — mancipio dedit — Sulpic. Wrat. *minimoque*, deinde Sulp. *mancipia.* Per aes et libram iure mancipii dedit Hostilius terram Salapinis. Ceterum Ciseranus in libris aliquot scriptum testatur *Tullum Hostilium.* Livius 31 c. 4 L. et A. Hostilium, Catones, cum aliis creatos decemviros narrat agro Samniti Apuloque metiendo dividendoque veteranis, quod eius publicum populi romani esset.

Digitized by Google

in mare — perfecit — Wratisl. priora verba omittit, et posterius mutilat ablata parte dimidia *fecit.*

Salpini — Sic Vatic. Wrat. Guelf. et alii libri cum Sulpic. *Salapini* Edd. multae. Deinde Sulpic. dedit *mil. pass.* Franeck. Guelf. Wrat. Ripensis *milia.* Guelf. Wrat. *passus.* Postea *veteri* Sulpic. *in* ante *salubri* omittit Wrat.

AD CAPUT V.

De fundamentis murorum et turrium — Wratisl. *Capitulum X* inscribit: *De fundamento murorum et constitutionibus turrium.*

Cum ergo — erit — Sulpic. *Quom.* Wrat. *erunt.* Sequens *in moenibus collocandis* dedi cum Rodio ex Codice Philandri, libro Ripensi, Vincentio et Franeck. Vulgatum *moenium collocandorum*, quod est etiam in Sulp. Guelf. Wrat. nulla alia ratione defendi posse videtur, nisi ut *facta* intelligas et praepositionem *in* deleas, ita: *cum his rationibus erit salubritatis moenium collocandorum facta explicatio.*

viarum munitiones — id est *viae munitae.* Deinde *oportunitates* Sulp. Guelf. Wrat.

portus marinae subvectiones habuerint — Guelf. *portos.* Deinde *marinos* Vincentius, *subvectionis* Vatic. 1. *habuerit* Guelf. Wrat. Vatic. 1. Vincent. Sequentia *ad moenia comportationes* omisit Vincent. Postea *murorum* omisso *que* Wrat.

si queat inveniri — Ita iam olim vulgatum *queant* correxit Philander; rectum edebatur tamen libri 3 cap. 3. Deinde *pro ratione videantur* Vatic.

ampliore — parietum, qui — Wrat. *ampliorem.* Vincent. *parietes supra* et cet.

2.

dextra ac sinistra — Wrat. *et sinistra.* Deinde *telo vulnerentur* dat, in Guelf. est *vulnerentur*, ut in Franeck. sed *n* puncto subdito damnatur. Deesse *telis* alicubi monet margo Laetianae.

Digitized by Google

sit aditus — Wrat. ordinem invertit; verba *ita circumdandum* omisit Vincentius, sed is postea dedit *praecipitia circumdanda*. Deinde *loca praecipua* Ripensis liber.

scaeva — Ita iam olim Turnebus Advers. 30, 36 comparato Gellio 12, 13 correxit vulgatum σκαιὰ. Sulpic. *scea*, Guelf. Wrat. Vincentius, Regius et Arundel. *sceua*, Franeck. Vatic. 1. *scaeva*. Pro *portarum* esse alicubi scriptum *locorum* monet Laetianae margo. Ceterum huc pertinet locus Taciti Hist. 5, 11 de Hierosolymis: *Duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta et turres, ubi mons iuvisset, in sexaginta pedes, inter devexa in centenos vicenosque attollebantur, mira specie ac procul intuentibus pares.* Magis etiam locus Dionis Cassii de muris Byzantii mox afferendus. Quod attinet ad vocabulum *scaeva*, vix alibi hac notione occurrit, quam hic locus desiderat. Sed ecce Servius ad Aeneidis locum III, 351 *Scaeaeque amplector limina portae: Scaea*, inquit, *porta dicta est non a pugnis ante se factis scaevis id est malis, (nam et ante sic dicta est) nec ab itinere ingressis scaevo id est sinistro, quod ingressi non recto sed sinistro eunt itinere: sed a cadavere Laomedontis, hoc est scaeomate, quod in eius fuerit superliminio.* Ubi secundam rationem unice probo ad Vitruvium translatam. Vocabulum σκαίωμα pro cadavere positum nondum est repertum, sed alia notione extat in Polybio 5, 59, 9 quae unice huc pertinet. Loquitur de Seleuciae situ: πρόσβασιν δὲ μίαν ἔχει κατὰ τὴν ἀπὸ θαλάττης πλευρὰν κλιμακωτὴν καὶ χειροποίητον, ἐγκλίμασι καὶ σκαιώμασι κυκλοῖς καὶ συνεχέσι διειλημμένην. Ita enim Codices Vaticanus et Florentinus pro vulgato σκαλώμασι scriptum habent. Vulgatum ex simili σκαληνὸς vocabulo interpretari conatus est nuperus Editor, sed Vitruvii hic locus facit ut σκαιώμασι probem, praecipue cum vocabulum alibi non lectum a Servio fuerit positum ex scriptore aliquo antiquo, etsi notione aliena.

Digitized by Google

tunc dextrum — Vatic. *tum*, Guelf. *dum*. Intellige scutum sinistra manu geri, dextra hastam aut gladium.

circuitionibus — Videbatur mihi voluisse *ἐν κύκλῳ* reddere. Hinc Hesychius *κύκλους καὶ τρόχους τὰ τείχη* interpretatur, et Sophoclem monet *τρόχον Κυκλώπειον* in Hercule fabula vocasse Tiryntha. Sic Thucydides, Xenophon et Demosthenes *κύκλον τοῦ ἄστεος, τοῦ Πειραιῶς* vocant muros, monente iam olim H. Stephano in Thes. G. L. Contra Philander anfractibus sinuosis, Galiani polygonis muris interpretatur. Scilicet Vegetius de Re militari 4, 2 ita tradit: *Urbes claudebant sinuosis anfractibus veteres.* quem morem Vitruvius non laudat, nisi *anguli procurrentes* potius ad *quadrata oppida* pertinent. Anfractus sinuosos Philandri firmare videtur etiam locus Taciti supra positus, item alter Dionis Cassii, et tertius Appiani paulo postea ponendi.

difficiliter defenditur — *difficulter* male dedit Laetiana. Vulgatum enim habet etiam Vincentius, qui statim dat *eo quod* — *tuetur*. Etiam Sulp. cum reliquis Edd. habent *tuetur*. Ex Guelf. Rode dedit *tueatur*.

3.

alius alium — Vincentius habet *se invicem*, quae est vulgati interpretatio. Reddidit Vitruvius graecum *ἀλλήλους*. Sequens *possint* omisit Wrat. Pro *supra* Philander coniecerat scribendum *sibi*.

tum in crassitudine — Franeck. *dum in eius crass.* Etiam Sulpic. Guelf. Wrat. dant *dum*.

taleae — Sulpic. Vatic. Guelf. Wrat. Ripensis *tabulae* dant. Deinde *oleaginae* Sulpic. Wrat. *tabulae oleagine* ex libris memoravit Ciseranus. *ustilatae* Guelf. Wrat.

creberrime instruantur — Sulp. *celerrime*. Fran. *creberrimae*. Philander alicunde annotavit *interstruantur*. De verbo *instruere* hoc sensu dicetur accuratius ad libri 2 cap. 8 sect. 2. *Muri*

Digitized by Google

frontes sunt, quos *orthostatas* et *frontes* iterum dicit libri 2 cap. 8 sect. 4 ubi vide annotata.

nec tempestas nec caries — Guelf. Wrat. *nec caries nec temp.* Ripensis cum Franeck. *tempestates.*

ea et in terra — Sulp. *ea etiam in terra.* Deinde *permanent utiles* Wrat. Postea *faciundi* Guelf.

4.

Intervalla — turrium — Graece Thucydides *μεταπύργια* vocat, alii *μεσοπύργια.* De Byzantii muris Dio Cassius 74 c. 10 *πύργοι τε πολλοὶ καὶ μεγάλοι ἔξω τε ἐπεῖμενοι καὶ θυρίδας πέριξ ἐναλλὰξ ἔχοντες ἦσαν, ὥστε τοὺς προσβάλλοντας τῷ κύκλῳ ἐντὸς αὐτῶν ἀπολαμβάνεσθαι· δι' ὀλίγου τε γὰρ καὶ οὐ κατευθὺ, ἀλλ' οἱ μὲν τῇ οἱ δὲ τῇ σκολιώτερον ὠκοδομημένοι, πᾶν τὸ προσπίπτον σφίσιν ἐκυκλοῦντο.* De *μεσοπυργίοις* est docta annotatio Wesselingii ad Diodori 17, 24. Cf. Arriani Anabas. 6, 10, 8. 4, 26, 13. ubi variatur scriptura inter *μεταπύργια* et *μεσοπύργια.* Hinc intelliges locum nostri sect. 2. *turres sunt proiiciendae in exteriorem partem,* quem nemo facile intelligat, antequam de forma muri totius edoctus fuerit, quod obscure fecit Vitruvius, ubi ait: *collocanda oppida circuitionibus.* Sed de his supra satis iam fuit disputatum. Addo nunc locum clarissimum omnium Appiani Mithridat. c. 37 de Athenis oppugnatis: *Ἀρχέλαος αὐτίκα νυκτὸς τὰ κεκτωκότα τοῦ τείχους ὠκοδόμει, μηνοειδῆ αὐτοῖς πολλὰ περιθεὶς ἔνδοθεν.* Sulla vero oppugnans ea *ὡς ἐν στενῷ καὶ βαλλόμενος ἄνωθεν ἔκ τε μετώπου καὶ τῶν πλαγίων, ὡς ἐν μηνοειδέσι χωρίοις* et cet.

sagittae missione — Sulpic. Iocundus, Philander, Galiani *emissione.* Vatic. Guelf. Wrat. *sagitta emissionis.* Nostrum dedit Franeck. Ex Ripensi *emissionis* temere recepit Rode.

dextra ac — Wrat. *et* dat. Copulam plane omittunt Sulp. Fran. Guelf. Postea *reiciantur* Fran. Guelf. Wrat.

Etiam contra — Sic Sulpic. Sequiores *Etiamque* dederunt, quod est etiam in Guelf. Wrat.

Digitized by Google

inferiora — Ita recte Rode ex Franeck. *interiora* Ripensis. Vulgo, etiam in Sulpic. Guelf. Wrat. est *inferiores*. Pessime *contra*, *interior* dedit Philander, Galiani et Laetus. Sequens *est* ante *murus* omisit Wrat.

et itinera — contignata — Revocavi, quam in Edd. quibusdam extare constat ex annotatione Philandri, lectionem *et*. Libri enim scripti cum Edd. Sulpic. Iocundi, Philandri, Galiani dant *ut;* sed causa hic nulla affertur. Sulpic. etiam *continuata* habet, quod vitium correxit Iocundus. *ferro fixo* male Wrat. Ceterum turres ianua utrinque aperta patebant. Dionysius in Etymol. M. sub voce *Ἀρμάριον — ἐχοίουν δὲ αὐτοὺς διαπέρους, θύρας ἔχοντας παθάπερ τοιχωρυγίους.*

5.

polygoniae — Sulp. Fran. *polygoneae*. Guelf. Wrat. *polygonea*, Vatic. 2. Vincentius *polygonae*. Deinde *facienda* Wrat.

tundendo — Wrat. *tondendo*. Deinde *rotunditatibus* Sulp. Ripensis.

cuneos — Wrat. *cuneis* — *addigendo lredere*. Vatic. Vincentius *cuneus*. Infra 6, 11 cuneos iterum nominat in fornice.

munitiones muri turriumque — Wrat. *municos muri, turris, turriumque*. Deinde *maximae* Franeck. *sunt tutiores* Guelf. Wrat.

suffossores — Ex libro Ripensi adscivi in locum *suffossiones*. Intelligi *ὄρυγας* ex libro 10, 21 monuit Falster apud Fabricium.

valent nocere — Inepte Wrat. repetit *eis nocere*.

6.

plano pede — moenia oppugnanda — Fran. *plane*. Idem cum Wrat. *mimia*. Vincentius *expugnanda*. Plinius 3 s. 9 de urbe Roma: *Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opera mirabili: namque eum muris aequavit, qua maxime patebat aditu plano.*

exstruendum est — sustineatur — Guelf. *est* omisit; Sulp. *substineatur*.

Digitized by Google

7.

substructionis fundamentum — Galiani vocabulum *substructionis* omisit interpretari, Rode *des Grundes* vertit. Utitur vocabulo iterum Vitruvius 5, 3 et 6, 11. *Grundbau* reddit Index Rodianus.

constituendum est — Haec verba omisit Sulp. Vatic. Fran. Wratisl.

pectinatim dispositae — Infra 6, 11. *praeterea introrsus contra terrenum uti dentes coniuncti muro serratim struantur, uti singuli dentes ab muro tantum distent, quanta altitudo futura erit substructionis.*

solent esse — Vulgatum *solventes se* sic emendatum est in Editione Laeti et Galiani. Sulp. Wrat. vulgatum servant, sed Guelf. *solentesse* scriptum habet, ita ut litera *l* suppositis punctis damnetur, supra sequens autem *e* litera *v* collocata sit. Voluit igitur corrector efficere *solventes se.*

neque universo pondere premens — Miror apertum vitium in vulgato *universa* ab Interpretibus omnibus praeteritum. Guelf. *pondera* dat.

non poterit — Negationem in libris omnibus, praeter Ripensem, omissam, addi iussit Philander, et primus inseruit Rode.

8.

praefiniendum — Wrat. *praesumendum.* Deinde *possimus habere* Sulp.

sive caementum — Wrat. *seu caem.* Idem deinde *Non uti Babylone* omisso *enim.*

Babylone — Wrat. *Babilonicae.* Deinde Franeck. *habundantes.*

pro calce et arena et cocto latere factum — Philander malebat *eo et cocto latere factum;* contra Salmasius Exercit. Plinian. p. 867 corrigi voluit *eo pro calce et arena — farctum.* Sed neutra coniectura opus erit, si *liquido bitumine* non solum

Digitized by Google

cum *abundantes* iunxeris, sed eadem verba iterum ad *factum murum* transtuleris cogitatione.

sed locorum proprietates — Intellige *possunt habere.* Ineptissimam lectionem *seu locorum,* quae Editiones omnes pervagata est, auctoritate etiam Franeck. et Ripensis libri correxi.

uti ex his comparationibus — Sulpic. *compactionibus* dedit. Sunt materiae ad aedificia struenda comparatae.

AD CAPUT VI.

Inscribit Wratisl. *De divisione operum, quae intra muros sunt, et dispositione, ut ventorum noxii flatus vitentur Capitulum XI.*

sequuntur — Fran. Wrat. *secuntur.* Deinde *directionis* Wratisl.

haec autem — Sulpic. *hae autem.* Postea *callidi* Wratisl. pro *calidi.*

advertendum — Guelf. Fran. *avertendum.* Deinde *usu venire* restitui ex Sulpic. Fran. Guelf. *usus* est in Guelf.

insula — Vocabulum omittit Sulpic. *opidum* Wrat. *Mytilene* Wrat. *Mytilenae* Fran. et Vossiani, teste Oudendorp ad Suetonii p. 6. Postea *magnificentur* Wrat. Sequens *est* omisit Sulp.

Auster cum flat — Aristoteles Problem. 26, 59 *περὶ Λέσβου νότος ὑέτιος — περὶ Λέσβου ὁ εὖρος καὶ ὁ νότος ἐκ τοῦ πελάγους φέροντες πολλὰ νέφη προσβάλλουσι τῇ χώρᾳ.* Idem in libello de Ventis: *Καινίας ἐν μὲν Λέσβῳ καλεῖται Θηβαίας· πνεῖ γὰρ ἀπὸ Θήβης πεδίου τοῦ ὑπὲρ τὸν Ἑλαιατικὸν κόλπον τῆς Μυσίας, ἐνοχλεῖ δὲ τὸν Μιτυληναίων λιμένα, μάλιστα δὲ τὸν Μαλόεντα.* Confer Addenda ad Xenophontis Hellenica p. 98.

Corus, tussiunt — Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. *chorus* dant.

in sanitatem — Sulpic. Guelf. *in salubritatem.* Wrat. *in sanitatem vel salubritatem.* Vincent. *sanitati.*

2.

redundantia — Wrat. *redundantiam.*

Digitized by Google

fervoris — spiritus flantis — Sulpic. Guelf. Fran. Vatic. *factionis.* Deinde *flatus* Sulp. Vatic. Fran. *flatum* Guelf. Wrat. Mihi *flatu* scribendum videtur.

ex aeolipilis — Sulp. Fran. *accolis aeris.* Vatic. 2. *eolis aëreis.* Wrat. *ex opilis aëris.* In loco vero sequente Sulpic. *eolipidae*, Fran. Vatic. 1. *aeolipidae*, Wrat. *aeolipilae* dant. Vossius cum Philandro *aeolipylae* ex graeco *Αἰόλου πύλαι* malebat scriptum. Ciseranus in libris *Copidis aereis* et *aeolidis aeriis* scriptum reperit.

artificiosis — Sulpic. *et* anteponit. Deinde Wrat. *sunt enim aeolipilae.*

quo aquae infunduntur — Sulpic. Vatic. 1. Guelf. Fran. *quae aqua*, sed in Fran. *aqua* est a recentiore manu. *quum infunduntur* Wrat.

simul autem ut fervere — Ita Guelf. Wrat. Vatic. 1. Fran. *simulac autem ut fervere* Sulp. Vulgo erat *simulac autem fervere.* Deinde *coeperunt* Ripensis.

brevissimoque — Wrat. *et* anteponit. Deinde Sulpic. Fran. Wrat. omittunt verba vulgo interserta post *rationibus* haec: *Venti enim,* Wrat. etiam sequens *si*: contra Fran. *qui si,* Vatic. 2 *qui se.* (Videtur igitur etiam Vatic. 2 omittere *Venti enim.*) Omnino ex glossa male feriati hominis orta videntur verba recte omissa in Sulpic. Fran. Wrat. Nulla enim causa praecedentium inest his verbis. Igitur omisi, et restitui ex Fran. et Vatic. 2 *qui si exclusi fuerint.*

3.

forte nascentur — Vatic. 2. *nascuntur.* Sequens *in* omisit Sulp. Deinde *habentur* Wrat.

exclusionis — Sulp. Vatic. 1. Guelf. Wrat. *exclusiones.* Deinde *curantur*, quod si probes, antea etiam *nascuntur* scribendum erit.

gravitudo arteriaca, tussis — Sulpic. *gravitudo arteriarum ac tussis. gr. arteriae* Vatic. 2. *gr. arteriace* Fran. Wrat. *gr. ar-*

Digitized by Google

teriacae Vatic. 1. *gr. arteriaca* Guelf. Quod dedit Iocundus *arthritis* (in Iocundi I est *arthretis*, *tuscis*, in altera *arthretis tussis*) minime convenire huic loco iudicavit etiam doctissimus medicus Morgagni in Poleni Exercit. II Vitruviana p. 142.

pleuritis, *phthisis* — Sulpic. *pleuresis*, *thisis*. Wrat. *pleuriti' phthisis*. Morgagni l. c. antestatur Codd. in quibus sit scriptum *tiphisis*; ipse *ptysis* malebat: nam *phthisin* vel inter initia utique in omnibus locis difficulter curari, p. 142.

defectis — Sulp. *defetis*. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *defatigatis*. Leidensis cum Iuntina *defetigatis*, teste Oudendorpio ad Suetonii p. 105.

agitatus ex ventorum agitationibus — Wrat. *agitatus est ex v. a.* Deinde *extenuabitur* Sulp. Guelf. Wrat.

unaque vitiosis — Vulgo intersertum *a* Franeck. a recentiore manu additum habet, igitur omisi. Deinde *sucum* Fran. Guelf.

adiiciendo — Sulp. Fran. Wrat. *adiciendo*. Deinde *qui his sunt impliciti* Sulpic.

4.

Solanum — Vatic. 2. *Subsolanum*. Vide mox ad sect. 5. Praepositionem *a* ante *septentrionali* omittit Wrat.

Sed qui — Vatic. 2. *Si qui*. Deinde *perquisierunt*.

Cyrrhestes — Sulp. Guelf. Wrat. *Cyrrestes*. De hoc Andronico vide annotata ad Varronem de R. R. 3 cap. 5.

exemplum — Wrat. inepte *extra* habet scriptum. Deinde *exculptas* Sulp. sequiores *exsculptas*. Ex Guelf. Fran. Wrat. *exscalptas* dedit Rode.

suos cuiusque flatus — Wrat. *cuiuscunque*. Flatus dicit Vitruvius regiones, unde ventus quisque flare solet.

Tritonem aereum — Wrat. *Tr. erreum*.

5.

inter Solanum — Compendium Architecturae cap. 2 hinc dedit *Subsolanum*. Sic Plinius 2, c. 47 et A. Gellius 2, 22 vocant,

Digitized by Google

quem Graeci ἀπηλιώτην, cui vocabulo reddendo magis *Subsolanus* convenit. Idem deinde *orientem hibernum* dedit, ut postea *ad occidentem hibernum*. Wrat. *Fovonium* et *Affricus* habet.

Caurus — Sulp. Guelf. Wrat. Compendium *Chaurus*. Deinde *Corvum* Compend. *Chorum* Sulp. Guelf. Wrat. Postea iterum *Subsolanum* habet Compend. Nomina et ordo ventorum ab Andronico expressorum hic erat: Σκίρων, Βορέας, Καικίας, Ἀπηλιώτης, Εὖρος, Νότος, Λίψ, Ζέφυρος. Latina Vitruvii eodem ordine ita procedunt: Caurus vel Corus, Septentrio, Aquilo, Solanus, Eurus, Auster, Africus, Favonius.

esse expressum — Wrat. invertit ordinem. Deinde *capiat* Sulp. Iocund. Philander, Guelf. Wrat. *numeros* Sulp. Iocund. Philander. Denique *certi ventorum* Guelf. Wrat.

ut inveniantur — Wratisl. *ut* omittit.

6.

libellam — amussium — Vatic. Fran. *libellum*. Deinde Sulp. *amusium mediis*, sed corrigitur in fine Editionis *amussium in mediis*. Fran. *amusium*. Guelf. Wrat. *hamusium*, quod paulo post iterum dat Wrat. *Amussis* Festo in vocabulo *examussim* est *regula fabrorum, vel, ut alii volunt, ferramentum, quo in poliendo utuntur*. Idem in *Amussim* ait esse *regulam, ad quam aliquid exaequatur*. Hinc *amussim* et *examussim* esse idem quod regulariter. Nonius ex Varronis Quaestionum Plautinarum libro II posuit haec: *Amussis est aequamentum laevigatum, et est apud fabros tabula quaedam, qua utuntur ad saxa coaequanda*. Hinc *amussitare* ductum. Plautus in Milite 3, 1, 38 *inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles*, id est ad amussim facta. Scaliger in annotatione ad locum Festi: *Quod ait*, inquit, *amussim etiam ferramentum esse, quo utuntur fabri in poliendo, verum est. Inde enim Amussivum Vitruvio.* Voluitne vir egregius in Vitruvio scribi vocabulum? Nam varietatem scripturae nullam annotatam reperi. Galiani vertit *un piano*,

Digitized by Google

Rode *eine Scheibe.* Vocabulum nescio quid graecae originis sonat, quam tamen indagare nondum potui.

regulam et libellam — Vatic. 2 omittit verba *regulam et*, idem dat *libellum.*

indagator — Sulpic. *indagatio.* Deinde *sciateres*, Fran. *sciatheras*, Guelf. *sciatheres*, Wrat. *sciotheres.* Ceterum non sine causa haec addit Vitruvius; in extremo enim capite gnomonem alium nominat.

quintam — Fran. *quinta.* Deinde *extremi*, Wrat. *extremae.* Postea *circino deducto* Sulp.

signum, ex eoque — Wrat. ante *signum* interserit *umbrae*, post *eoque quod*, utrumque inepte. Male etiam Sulp. postea *rotundatione.*

7.

decussatim describendum — *decusatim* Fran. Wrat. hic et ubique. *describendam* Sulp. Wrat.

Tunc postea — Vatic. Fran. *Tum postea.* Deinde *rotunditatis* Vatic.

qua tangit circinationem — Ita recte vulgatum *quae* correxit Philander. Deinde *septentrionali parte* Sulp.

Ita austri — Wrat. *Itaque austri et septentrionalis.*

dextra ac sinistra tres aequales — Sinceram lectionem Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. incrustavit Iocundus edendo *dextra tres et sinistra tres his aequales.* Sed video quid virum ingeniosum moverit. Scilicet Sulpic. sic pergit: *aequales et tres distribuendae sunt.* Fran. Vatic. Guelf. Wrat. autem *aequales et tres his distrib.* Compara infra sectionem 13.

8.

vicis ventorum vis molesta — Wrat. *molesta vis.* Vicos dicit aedificia inter plateas et angiportus conclusa. Festus: *tertio* (vicus significatur) *cum id genus aedificiorum definitur, quae in oppido prive in suo quisque loco proprie ita aedificat, ut*

Digitized by Google

in eo aedificio pervium sit, quo itinere habitatores ad suam quisque habitationem habeant accessum, qui non dicuntur vicani, sicut ii, qui aut in oppidi viis, aut hi, qui in agris sunt, vicani appellantur. Sed ibi praecedit altera significatio quae huc pertinet: *Altero, cum id genus aedificia, quae continentia sunt, viis oppidi, itineribus regionibusque distributa distant, nominibusque dissimilibus discriminis causa sunt dispartita.* Postea Vitruvius pro plateis dixit *vicorum directiones*, extremasque vicorum domos angulares *insulas* vocavit.

conformatae — Male Vatic. Fran. *confirmatae.* Deinde *vehementibus* Sulpic. Postea *a regionibus* Sulp. Wrat.

9.

ii, qui multa — Sulp. Wrat. *hi qui multa.*

expositum sit tantummodo octo esse ventos — Vatic. Wrat. *expositi sunt.* Guelf. *expositi sint.* Deinde *tantum* omisso *modo* Vatic. Fran. Wratisl. Postea *uenti* Vatic. Guelf. Graecam dictionem Vitruvii in hac lectione facile agnoscas.

animadverterint — Guelf. Wrat. *adverterint.* Deinceps *circumitionem* Vatic. Fran.

ex inclinatione coeli — Sulp. Vatic. Fran. *et inclinatione.* Guelf. Wrat. *et inclinationem.* Deinde *Eratosthenem* Wratisl. Idem *methodiis* habet.

millium stadiorum — Sulp. Guelf. Wrat. *milium*, Sulpic. *stadium*, Fran. *stadiumque.*

quae fiunt — Ita Sulpic. Guelf. Wrat. Iocundi, Philandri, Laeti et Galiani Edd. Contra Rode ex libro Ripensi *quae faciunt* adscivit. Postea Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. scriptum habent *trecenties et decies quinquaginta milia*, (Vatic. *millia*) Ripensis *trecentos et decies qu. millia.* Iocundus dedit eum numerum, quem tenent Edd. vulgatae: *semel et tricies millies* (*milies* dedit Iocundus) *et quingenties mille.* Postea in Sulpic. Vatic. Ripensi, Guelf. Wrat. *tricies nongenta triginta septem milia* est, quod mutavit Iocundus in *ter millies mille et noningenties trigesies*

Digitized by Google

septies mille. Quod ad numerum stadiorum attinet, quem posuerat Eratosthenes, eum certum et constantem habemus in libris veterum, nempe *μυριάδας εἴκοσι πέντε*, id est stadia 250,000. Rotundum tamen numerum commoditatis causa assumserat Eratosthenes 252,000. Compara Eratosthenis Geographicorum fragmenta, collecta a Seidelio Goettingae 1789 p. 57 seqq. Nec hic numerus in libris scriptis aut editis Vitruvii variatur. Contra maxima est diversitas in comparatione passuum romanorum, unde dubitatio orta est inter viros doctos de stadiorum vario genere et numero. Plinius 2 sect. 112 ita passus romanos comparat cum Eratosthenis stadiis: *quae mensura Romana computatione efficit trecenties quindecies centena millia passuum.* Scilicet Plinius cum Strabone stadio contribuit 125 passus. Summa igitur stadiorum 252,000 efficit passus romanos 31500,000, et milliaria romana 31,500. Hinc intelligitur, Sulpicianae Editionis et librorum scriptorum lectionem *trecenties et decies quinquaginta milia*, quanquam falsam et vitiosam, propius tamen abesse a vera ratione, quam posuit Plinius cum aliis consentiens, quam barbaram et a romano sermone plane abhorrentem Iocundi rationem et scripturam, quam miror omnes Editores tam socorditer fuisse secutos. In scriptura enim Sulpiciana et Codd. levis error est primum in numero *et decies*, qui debebat esse *quindecies*; alter in *quinquaginta*, in quo *quin* pertinet ad praecedens *decies*, reliqua pars continet *centena* vitiose scriptum vel notatum. In numerorum ratione, notis perscripta, facilius est intelligere originem erroris oblati librario, quam in explicata litteris. Sic item alter numerus octavae partis efficit passus 3937,400, milliaria 3937 et passus 400 seu quadringentos, licet Vitruvius quingentos ponere videatur. Hunc romano more si perscribere volueris, adhibebis recte rationem Sulpicianae lectionis et Codd. *tricies nongenta triginta septem millia*, nisi quod *nongenties* scribendum erit. Contra ratio Iocundi, quam tamen omnes Editores secuti sunt, prorsus a sermone romano abhorret. Demum post annos tres, cum ad annotationes has retractandas

Digitized by Google

redirem, vidi mecum sentire G. Budaeum de Asse p. 109. H. qui Iocundi emendationem his verbis improbavit, quanquam in summis eius amicis: *qui modus loquendi antiquitatem non resipit. Quare sic locum potius lego ex librorum prius impressorum observatione, licet corruptus ille locus atque etiam mutilatus in eis sit:* quae fiunt passus trecenties et quindecies centena millia. Huius autem octava pars, quam ventus tenere videtur, est tricies novies centena triginta septem millia et quingenti passus. *Hac lectione et vetusta formula restituitur et numerus ad passum convenit.* Vides Budaeum in numeris mecum sentire, in formula tantum posteriore discrepare; optionem lectoribus permitto.

varietates, mutatione — Wrat. *varietatis, mutationem.*

10.

sinistra Austrum — Dedi ex Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. et Parisiensi teste Salmasio Exercit. p. 1258, omisso *circa*, quod inseruit Iocundus ante *Austrum.*

Leuconotus — Sulp. *Leuchonotus.* Franeck. *Leuotonus.* Guelf. *Leuconotus*, Wrat. *Leuionotus.* Vulgatum *Euronotus* cui debeatur nescio. Iocundus et Philander *Leuconotus* dederunt, Laetus *Euronotus.* Plinio 2 sect. 43 *Altani e terra consurgunt.* Contra Servius ad Aeneidis 7, 27 *flatus omnis qui est ripae aut pelagi, altanus vocatur.*

Africum — Vulgo antepositum *circa* omisi cum Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Deinde *Subvesperos* Sulp. Guelf. Wrat.

Circa Favonium — Wrat. *Quem Fav.* Deinde *Ergastes* Vatic. Franeck. Guelf. Wratisl. Postea pro *Etesiae* Franeck. *Aetrhetae.*

Cauri Circius et Corus — Sulpic. Wratisl. Paris. Salmasii *Chauri.* Deinde *Circias* Vatic. Paris. Postea *Chorus* Sulp. Vatic. Paris. Wrat. Aristotelis Fragmentum de Ventis de Thrascia: *ἐν δὲ Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Κίρκας, διὰ τὸ κνεῖν ἀπὸ τοῦ Κιρκαίου.* An idem, ex quo compositus deinceps *Eurocircius* vel *Eurocir-*

Digitized by Google

cias nominatur? Theophrastus de ventis: *Ἀργέστην οἱ περὶ Σικελίαν Κερκίαν — Κάρβαν δὲ Φοίνικες.* Cf. Salmasii Exercit. p. 888.

Thrascias — Sulp. Fran. Guelf. *Thracias*, Wrat. *Tracias*. Sequens *et* omisit Sulp. Gallicus Isidoro idem cum Circio, Choro juncto. *Hunc*, inquit, *Hispani Gallicum vocant propter quod eis a parte Galliae flat.*

Dextra ac sinistra Aquilonem — Ita Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Regius Salmasii, nisi quod Wrat. *et sinistra* habet. Vulgo intersertum *circa* damnavit etiam Wesseling. Observ. p. 68 comparans libri 9 c. 5 et 10 c. 11 ubi similis ellipsis est.

et Caecias — Ita Sulp. Vatic. Franeck. Ripensis, Regius Salmasii, Arundel. Guelf. Wrat. Copulam *et* Vatic. etiam omittunt. Vulgatum *Boreas* dedit Iocundus. *Supernas* est qui ab Hadriatico mari vel supero flat; unde *abies supernas* Vitruvio et Plinio, *persica supernatia in Sabinis* Plinio 15 c. 12, *supernas vinum* in Inscriptione apud Reinesium p. 337.

Carbas — In Aristotelico fragmento de Ventis est Euro: *ἐν δὲ Κυρήνῃ Κάρβας ἀπὸ τῶν Καρβανῶν τῶν κατὰ Φοινίκην· διὸ καὶ τὸν αὐτὸν Φοινικίαν καλοῦσί τινες· εἰσὶ δὲ οἳ καὶ Ἀπηλιώτην νομίζουσιν εἶναι.* Vide supra de Circia.

Ornithiae — Wrat. *ornitiae*. Sequens *tenentis* debetur Iocundo; in Sulp. Regio, Guelf. Wrat. est *tenens*.

Circias et Volturnus — Vulgatum *Caecias* ita correxi ex Fran. Guelf. Wrat. ubi tamen est *Euri Circias*, Regius *Euri Cercias*, unde Salmasius p. 1258 corrigebat *Eurocercias*. Deinde *Vulturnus* Sulp. Guelf. Wrat. Ceterum hanc ventorum 24 tabulam quo auctore posuerit Vitruvius, scire operae pretium esset. Variarum enim regionum nomina mire in ea commixta et confusa reperiuntur. Dubitationem etiam facit, quod ibi *Caurus* a *Coro* non pronunciatione sed situ et origine distinguitur. Ordo autem ventorum a Vitruvio nominatorum hic est, quem ponam, quemque lectores comparabunt cum tabula octo ventorum supra posita, et cum copiosiore comparatione recentiorum nominum

Digitized by Google

cum vetustis, quam dedit egregius et doctissimus Medicus Smyrnensis, *Coray*, in Commentario ad Hippocratis librum De aere et locis T. I. *Euronotus*, *Auster*, *Altanus*, *Libonotus*, *Africus*, *Subvesperus*, *Argestes*, *Favonius*, *Etesiae*, *Circius vel Cercias*, *Caurus*, *Corus*, *Thrascias*, *Septentrio*, *Gallicus*, *Supernas*, *Aquilo*, *Caecias* (in vulgatis *Boreas* est) *Carbas*, *Solanus*, *Ornithiae*, *Eurocercias*, *Eurus*, *Volturnus*.

et alia — Sulp. copulam omisit. Deinde *e locis* Franeck. Guelf. Wrat. Sequens *tracta* post *fluminibus* inserit Sulp.

11.

impetu scandendo — Nescio unde venerit in Rodianam *impetum*, quod in nulla Editione alia reperi.

procedens — Ita Vatic. Wrat. Ripensis. Contra Guelf. Fran. habent *prudens*, sed in Guelf. supra *u* est scriptum *ce*, quo significatur lectio *procedens*. Hinc ortum *trudens* occupavit Sulp. et vulgatas Edd. omnes.

permanserint — Fran. Guelf. *permanserunt*. Deinde *exhauris* Wrat. postea *ab Graecis*.

εὖρος — Guelf. Wrat. *aurus*. Sequens *esse* omisit cum Laetiana Galiani. Deinde *crastinusque* Vatic. Fran. Guelf. Postea *aurium* Vatic. Fran. Inepta etymologia extat etiam in Etymol. M. ἢ παρὰ τὴν αὖραν τὴν πνοήν; sed ineptissima omnium est, quae tamen alibi tradita non extat, vocabuli *αὔριον* indidem derivatio.

Sunt autem — Guelf. Wrat. *Sunt enim*. Deinde *Eratosthenen* Wratisl.

potuisse colligere — Sulpic. *potuisse* omisit. Verba autem ita ordinant Guelf. Wrat. *potuisse veram mensuram* (*musicam* Sulpic. habet) *orbis terrae colligere*. Eratosthenem Hipparchus aliique mathematici plures coarguere conati sunt. Deinde *spiritus ventorum* Wrat.

Digitized by Google

12.

sunt breviter — Wrat. *breviter sunt exposita, aut.* Deinde *intelligatur* Fran. Guelf. Wrat. *inteligantur* Sulp. In Guelf. *intellegatur* est a prima manu scriptum.

σχήματα — Wrat. *scemata.* Pro *formas* Edd. quasdam habere *formam* colligo ex annotatione Philandri, qui admonuit Vitruvium formas has et alias alibi semper ad finem libri cuiusque reiecisse.

ab impetu eorum aversis — Franeck. *ad* habere dicitur. *adversis* vulgatum debetur interpolationi, verum est in Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *aversis vicis et plat. dir.* Ripensis. Postea *evitantur* Sulp.

antemeridiana — Sulpic. partem vocabuli priorem *ante* omisit. Deinde *a centro* Sulp. Guelf. Wrat.

diducto — Anteponunt *et* Fran. Ripensis, Guelf. Wrat. *deducto* Sulpic. Fran. Guelf. Wratisl. Sequens *id* omittit Guelf. Postea *rotunditatis* Vatic.

reposito — Wrat. *reposita.* Deinde *ubi ante* Sulp. Gnomon affertur ex loco, ubi horas indicat quaerentibus in planitiem exaequatam, in qua regiones ventorum et vicorum designandae sunt; ubi vero umbra antemeridiana longissima ex gnomone capta fuit, gnomon removetur et in suo loco reponitur. Diversus est gnomon, qui in capite extremo adhibetur.

iterum crescendo — Ripensis *decrescendo partem.* Etiam Franeck. a manu secunda habet *decrescendo* scriptum. *partem* etiam Sulp. Wrat. et a manu secunda Guelf.

rotundationis — Arundel. *retrogradationis ubi erit littera rotundationis C.* Voluitne dare *retrogradiendo?* Pro littera *C* in Guelf. est *a* suprascriptum, quam ipsam litteram posuit Wrat.

ab signo — Sulp. Guelf. Wrat. *a signo.* Deinde *ubi est d* Wratisl.

decussatim — Guelf. *decusatim.* Deinde *ubi erit c* Wrat. In Guelf. *e* suprascriptum est. Postea *decusationem* Guelf.

Digitized by Google

ubi est D et centrum — Sulpic. Guelf. Wrat. *et centrum ubi est D.* sed in Wrat. est littera *E.*

erunt litterae E et F. — Sulpic. *erunt linea.* Franeck. Guelf. Wrat. *in qua linea erit littera*, sed Wrat. habet tamen *erunt litterae e, cc, f.*

index — Sulpic. *in dextra.*

13.

ponendum in — Fran. Guelf. Wrat. interserunt *est.* Deinde *rotundationis* Guelf. Postea *et sinistra* Sulpic. Copulam plane omittunt Fran. Guelf. Wrat. Editio Laetiana verba *quae tangit rotundationem — septentrionali linea* plane omisit, oculis operarum aberrantibus.

circini ponendum — Vatic. 1 adiicit *est*, deinde *roduntitatem* dat. Post *rotundationis* Sulpic. Guelf. Wrat. Franeck. addunt copulam *et*, quam recte omisit Iocundus.

dextra tres — Vatic. cum Sulpic. *tres* omittunt. Compara sectionem 7.

sunt litterae N et O. — Sulpic. verbum *sunt* omittit. Deinde *decusatim* Guelf. Postea *et illa erunt* Wrat. Denique *circumitionem* Guelf. *circuitione* Wrat.

14.

in angulo, erit — inter Austrum — Haec Sulpic. omisit. Paulo antea Guelf. *meridiane* dat, sed punctis supra positis litterae *an* damnantur.

erit littera G — Errore operarum Rodiana *linea G* dedit. Deinde *Chaurum* Sulp. Fran. Guelf. Wrat.

inter angulos — Contra librorum et Edd. fidem Rode *contra angulos* dedit, disputatione Galiani, credo, adductus. Perraltus *in angulis* malebat; Galiani vertit *fra gli angoli*, quasi *infra* scriptum sit a Vitruvio. Interpretationem defendit comparato loco supra sect. 7 *tum per angulos inter duas ventorum regiones et platearum et angiportorum videntur debere dirigi descriptiones.*

Digitized by Google

Monet praeterea *gnomonem* hic dici non stilum horologii cum Barbaro, sed potius cum Perralto et Ruscono instrumentum *squadra*, Gallice *Equerre*, nostris *Winkelmaaſs* vocatum. Hoc Galiani (Tabulae II fig. 2) ita collocavit, ut vertex ipsum centrum tangat, brachia vero sint directa infra angulos octagoni. Rode tamen quanquam admonitus Galiani exemplo et verbis, nihilo minus gnomonem vertit *Schattenzeiger*. Iam olim Turnebus Adversar. 25, 12 iterumque 30, 36 docuit intelligi eum gnomonem, quo castra metabantur, et vias dirigebant, *gnomam* etiam vocatum et *gromam*, corrupto vocabulo graeco. Festus: *Groma appellatur genus machinulae cuiusdam, quo regiones agri cuiusque cognosci possunt, quod genus Graeci dicunt γνώμονα.* ubi vide Scaligeri annotationem, qui ex Glossis et Lucilio posuit *gruma, grumare, degrumare.* Plura de vocabulo et gnomonis forma dedit Salmasius Exercit. p. 472—487. Hinc *liber gromaticus* de limitibus constituendis et de castrametatione. Commode monuit Philander a Plinio 18 cap. 34 machinulam eandem vel similem descriptam ad limitandos agros adhiberi: *Ratio e ligno facienda, regulis paribus in tympanum exiguum sed circinatum adactis.*

plateae et angiportorum — Vocabula duo priora omisi cum Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Sequentem numerum *IIX* restituit Barbarus cum Philandro, cum in Edd. esset *XII.* Verum igitur dedit cum Laetiana Galiani et Rode. Vatic. 1 habet *XI* cum Franeck. De vitio admonuit etiam Turnebus Advers. 30, 36 et verum vidit et reddidit de vitio monens Ciseranus.

AD CAPUT VII.

Titulum capitis cum numero omisit Wratisl. liber.

opportunitatem — Sulp. Wrat. *oportunitatem.* Pro *area* Sulpic. dat *ea.* Deinde *elegenda* Wrat.

mediterranea — Sulpic. Fran. Ripensis, Guelf. Wrat. *mediterraneo*, quod, si *loco* intelligas, defendi potest. Ad illam scripturam intellige *moenia.* Deinde *opido* Wrat.

Digitized by Google

civitas videtur esse — Wrat. *videtur civitas esse.* Deinde *Iovi, Iunoni et Minervae* Ripensis. *constituuntur* dedit postea Iocundus.

uti Isidi — Guelf. *ut Isidi*, Wrat. *ut sidi*, Fran. *uti sidi.*

Veneri ad portam — Sulpic. Iocund. Fran. *portum.* Deinde *Hetruscis etiam* Sulp. Postea *scripturis* Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. *Scriptis dedicare* iterum noster in Praefatione sequentis libri dixit: *qui initia humanitatis et inventiones perquisitas scriptorum praeceptis dedicaverunt.* De Venere marina *portum* possis interpretari, in cuius templa sunt epigrammata varia in Anthologia graeca. Venus Athenis extra muros ἐν τοῖς πήποις fuit, teste Pausania et Plinio 36 c. 5.

Vulcani — Fran. Wrat. *Volcani.* Deinde *ut* Wrat. *insuescant* Fran. Guelf. Wrat. Postea *veneria* Guelf. Wrat.

Vulcanique vi — Wrat. *Volcani.* Deinde *vis* Sulp. Vatic. Fran. Wrat. Guelf. Sequentem praepositionem *e* omittit Wrat. Ceterum eandem rationem posuit Plutarchus in Quaestionibus romanis no. 47 ubi quaerit cur Romulus Vulcani templum extra urbem dedicaverit? πρὸς ἐμπρησμὸν ἄνωθεν ἐπισφαλῶς τῆς Ῥώμης ἐχούσης, ἔδοξε τιμᾷν μὲν, ἐξοικίσαι δὲ τῆς πόλεως τὸν θεόν. Aedem Vulcani in campo memorat Livius 24 c. 10.

evocata, ab — Wrat. *evocati.* Sulpic. Guelf. Wrat. *a timore.*

ea defensa et belli — Ripensis *hostibus defensio*, etiam Fran. *defensio* habet, *defensa a belli* Sulp. Copulam *et* omittit etiam Wrat.

2.

quo non semper — Guelf. Wrat. *quo nomine.* Sequens *semper* omisit Wrat. Sequens *debet* ex usu aevi Augustei *debeat* scribendum fuit.

ad sacrificiorum — Wrat. *ad orationes sacrif.* Deinde *faciundis* Fran. Guelf. Pro *caeterisque* Rode maluit *caeterum* scriptum, qua coniectura non est opus.

et de earum — Sulpic. *et arearum.* Guelf. Wrat. et Edd.

Digitized by Google

et de arearum. Vitium vidit Philander eiusque monitu correxit Rode. Ita est in libri sequentis cap. 10 extremo. Ceterum monet Philander Vitruvii praecepta non secutos esse ubique et omni aevo vel ipsos Romanos. Febris enim fanum fuisse in Palatio, Martis ultoris templum ad forum Augusti, Veneris in foro Caesaris et apud Circum maximum, Vulcani in Circo Flaminio et apud Comitium, malae Fortunae in Exquiliis, Socordiae denique sub nomine Murciae ad Aventini montis radices. Scilicet postea a prisco more descitum fuit et haruspicum responsa de religionibus deorum neglecta et contemta fuerunt, de quo ipso conqueri hoc loco Vitruvius videtur. Haruspicum responsum de cella duobus diis recte non dedicanda memoravit Livius 27, 25 in Marcelli aede Honoris et Virtutis. Martis aedem a T. Quintio dedicatam extra portam Capenam narravit 7, 23 et 10, 23 et 27. Bellonae aedem fuisse extra urbem patet ex loco Livii 30, 20 de legatis Carthaginiensium: *quibus vetitis urbem ingredi hospitium in villa publica, senatus ad aedem Bellonae datus est.*

symmetriarum peragere — Interserendum videtur *deinceps* vel simile vocabulum, quod expressit Galiani interposito *indi*, quem tamen non imitatus est Rode.

AD LIBRI II. PRAEFATIONEM.

Dinocrates — cum Alexander — Wrat. *Dynocrates.* Deinde *quom* Sulp. Postea *exercitum regis, cupidus commendationis* Sulp.

patria a propinquis — Wratisl. praepositionem omisit. Sequens *ut* ante *aditus* omisit Guelf. In Franeck. alia sed vetusta manu *quo* suprascriptum testatur Bondam p. 53 quod, si alia auctoritas accesserit, probarem. Postea *haberent* Wrat.

petiit — Franeck. *petit.* Sic paulo post *petit* dant Guelf. Wratisl.

Digitized by Google

fuerunt — tempus — Vatic. 2. *venerunt.* Wratisl. *tempore.*

ludi, ab se — Ita Sulp. Vatic. Franeck. Wratisl. Iocundus dedit *illudi*, quod est in Guelf. Deinde *ab re* Vatic. 1.

forma dignitateque summa — Vitruvium scripsisse censeo *formaeque dignitate.* Sic enim sub finem est: *facie dignitateque corporis commendatus.*

clavam — Franeck. *clavum.* Deinde *advertisset* ex Sulpiciana revocavi, cum Iocundus *avertisset* invexisset, quod est etiam in Guelf. et Wrat.

2.

et admirans — Copulam omittunt Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Igitur delevi, distinctionemque mutavi vulgarem.

affero dignas tua claritate — Wrat. *offero.* Deinde *tuae claritati* Fran. Guelf. Wrat. unde *claritatis* efficiebat Wesseling Observ. p. 68 comparans Balbi Epistolam inter Ciceronianas 8, 15 *dignissimam tuae virtutis.* Atque ita plane Codd. Vossiani scriptum habent, teste Oudendorpio ad Suetonii p. 779.

Namque Athon — Sulp. *Nanque.* In sequentibus deesse post *moenia* videtur *circumdata* vel simile verbum. Ita enim Stasicrates architectus quem nominat Plutarchus de Fortuna Alexandri p. 54 ed. Hutten, cuius locum totum apponam. *Ἐν τοῖς ἄλλοις τεχνίταις καὶ Στασικράτης ἦν ἀρχιτέκτων, οὐδὲν ἀνθηρὸν οὐδὲ ἡδὺ καὶ πιθανὸν τῇ ὄψει διώκων, ἀλλὰ καὶ χειρὶ μεγαλουργῷ καὶ διαθέσει χορηγίας βασιλικῆς οὐκ ἀποδεούσῃ χρώμενος. Οὗτος ἀναβὰς πρὸς Ἀλέξανδρον ἐμέμφετο τὰς γραφομένας εἰκόνας αὐτοῦ καὶ γλυφομένας καὶ πλαττομένας, ὡς ἔργα δειλῶν καὶ ἀγεννῶν τεχνιτῶν. Ἐγὼ δ', εἶπεν, εἰς ἄφθαρτον, ὦ βασιλεῦ, καὶ ἱερὸν ὕλην καὶ ῥίζας ἔχουσαν ἰδίους, καὶ βάρος ἀπίνητον καὶ ἀσάλευτον ἔγνωκά σου τὴν ὁμοιότητα καταθέσθαι τοῦ σώματος· ὁ γὰρ Θρᾴκιος Ἄθως, εἴ μέγιστος αὐτοῦ καὶ περιφανέστατος ἐξανέστηκεν, ἔχων ἑαυτῷ σύμμετρα πλάτη καὶ ὕψη καὶ μέλη καὶ ἄρθρα καὶ διαστήματα μορφοειδῆ, δύναται κατεργασθεὶς καὶ σχηματισθεὶς εἰκὼν Ἀλεξάνδρου καλεῖσθαι καὶ εἶναι, ταῖς μὲν βάσεσιν ἁπτομένου τῆς θαλάττης,*

Digitized by Google

τῶν δὲ χειρῶν τῇ μὲν ἐναγκαλιζομένου καὶ φέροντος πόλιν ἐνοικουμένην μυρίανδρον, τῇ δὲ δεξιᾷ ποταμὸν ἀέναον ἐκ φιάλης σπένδοντος εἰς τὴν θάλατταν ἐκχεόμενον· χρυσὸν δὲ καὶ χαλκὸν καὶ ἐλέφαντα καὶ ἕύλα καὶ βαφὰς, ἐκμαγεῖα μιπρὰ καὶ ὠνητὰ καὶ πλεκτόμενα καὶ συγχεόμενα, καταβάλωμεν. Ταῦτα ἀκούσας Ἀλέξανδρος τὸ μὲν φρόνημα τοῦ τεχνίτου καὶ τὸ θάρσος ἀγασθεὶς ἐκήνεσεν· ἔα δὲ μένειν, εἶπε, τὸν Ἄθω κατὰ χώραν· ἀρκεῖ γὰρ ἑνὸς βασιλέως ἐνυβρίσαντος εἶναι μνημεῖον· ἐμὲ δὲ ὁ Καύκασος δείξει καὶ τὰ Ἡμωδὰ καὶ Τάναϊς καὶ τὸ Κάσπιον πέλαγος· αὗται τῶν ἐμῶν ἔργων εἰκόνες. Sinistra igitur amplexa ferebat urbem ab Alexandro condendam. Galiani locum Vitruvii ita vertit: *ho modellato il monte Ato in forma di una statua virile, nella cui sinistra ho disegnato, che sia una gran città.* Intelligi voluit igitur *in cuius manu laeva designavi.* Ita vero immanitas cogitationis et formae nimis extenditur, si in manu urbis moenia designantur. Contra vero sobrie satis Plutarchus Dinocratem facit ita loquentem, ut statua sinistra manu circumplecteretur urbis moenia. Ceterum doctissimus Boettiger Plutarchi notitiam de Stasicrate antiquiorem censet, Vitruvianam recentiorem et, in nomine architecti quidem, minus veram. *Andeutungen* p. 204. Argumenta addere omisit. Dinocratem tamen in hac narratione nominant etiam Scholia Homerica ad Il. 14, 229 ubi Victoriana ab Heynio comparata p. 653 nominant *Διοπλῆ τὸν Ῥήγιον (Ῥηγῖνον) ἀρχιτέκτονα.*

profunderetur — Ita recte Sulpic. Wrat. Peius *perfunderetur* cum Iocundo et reliquis Edd. Guelf.

3.

ratione formae — Franeck. *natione, forma.* Deinde *qui possint.*

sed animadverto — Wrat. *sed ut animadvertit.* Sulpic. *ut* inserit post *animadverto*, quam scripturam retinuit Iocundus et Philander.

si quis deduxerit — Sulpic. *eduxerit eo loco.* Ita etiam

Digitized by Google

Iocundus; primus Philander *deduxerit eo loci* correxit comparans cap. 8.

crescentis gradus — Franeck. *gradum* dat. Deinde *sic iudicio locum improbandum* Sulp.

4.

ab rege — Sulpic. *a rege*, deinde *quom animadvertisset.* Postea *totum Aegyptum* Wrat.

iussit eum suo nomine — Arrianus Anab. 3, 1, 3. ἔδοξεν αὐτῷ ὁ χῶρος πάλλιστος πτίσαι ἐν αὐτῷ πόλιν, καὶ γενέσθαι ἂν εὐδαίμονα τὴν πόλιν. Πόθος οὖν λαμβάνει αὐτὸν τοῦ ἔργου καὶ αὐτὸς τὰ σημεῖα τῇ πόλει ἔθηκεν, ἵνα τε ἀγορὰν ἐν αὐτῇ δείμασθαι ἔδει, καὶ ἱερὰ ὅσα καὶ θεῶν ὄντινων, τῶν μὲν Ἑλληνικῶν, Ἴσιδος δὲ Αἰγυπτίας, καὶ τὸ τεῖχος ᾗ περιβεβλῆσθαι· καὶ ἐπὶ τούτοις ἐθύετο, καὶ τὰ ἱερὰ καλὰ ἐφαίνετο. Λέγεται δέ τις καὶ τοιόσδε λόγος, οὐκ ἄπιστος ἔμοιγε· ἐθέλειν μὲν Ἀλέξανδρον καταλιπεῖν αὐτὸν τὰ σημεῖα τοῦ τειχισμοῦ τοῖς τέκτοσιν, οὐκ εἶναι δὲ ὅτῳ τὴν γῆν ἐπιγράψουσι· τῶν δὴ τεκτόνων τινὰ ἐπιφρασθέντα ὅσα ἐν τεύχεσιν ἄλφιτα οἱ στρατιῶται ἐπόμιζον, ξυναγαγόντα ἐπιβάλλειν τῇ γῇ, ἵνακερ ὁ βασιλεὺς ὑφηγεῖτο, καὶ τὸν πύλον οὕτω περιγραφῆναι τοῦ περιτειχισμοῦ, ὄντινα τῇ πόλει ἐποίει. Plinius 5 c. 10 de Alexandria: *Metatus eam est Dinochares architectus pluribus modis memorabili ingenio, XV M. passuum laxitate insessa, ad effigiem Macedonicae chlamydis orbe gyrato laciniosam, dextra laevaque anguloso procursu, iam tum tamen quinta situs parte regiae dicata.* Ubi sensum verborum *memorabilis ingenii pluribus modis* aperit narratio Vitruviana, et notitiae plures deinceps suggerendae. *Dinocharem* iterum nominat Plinius in eadem narratione libro 34 sect. 42. etsi Solinus c. 32 *Dinocrates* in Plinio scriptum legisse videri possit. Dinocratem vocat etiam Strabo 14 p. 641 Ammianus libro 22 et Valerius Maximus I c. 4 ubi est: *cum cretam non haberet, polentaque futurae urbis lineamenta duxisset.* Cum hac narratione non pugnat locus Iustini histor. 13, 4, 11. *Ptolemaeo* (Lagi filio)

Digitized by Google

Aegyptus sorte venit: — cui ad tradendam provinciam Cleomenes, qui Alexandriam aedificaverat, datur. Scilicet Cleomeni curam aedificandae Alexandriae suis sumtibus demandaverat abiens Alexander, aedificationi praefuit Dinocrates. Hic est Cleomenes Naucratites, quem Alexander Arabiae vicinae Heroumpoli praefecerat cum mandato, *τοὺς μὲν νομάρχας ἐᾶν ἄρχειν τῶν νομῶν τῶν κατὰ σφᾶς, καθάπερ ἐπ παλαιοῦ καθειστήκει, αὐτὸν δὲ ἐκλέγειν παρ' αὐτῶν τοὺς φόρους· οἱ δὲ ἀποφέρειν αὐτῷ ἐτάχθησαν.* Mandata regis male eum exsecutum esse argumento est epistola Alexandri posita ab Arriano libri 7, 23, 9 ubi de Hephaestionis mortui honoribus mandatur Cleomeni: *κατασκευασθῆναι Ἡφαιστίωνι ἡρῷον ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ Αἰγυπτίᾳ*, ut Hephaestioni heroum dedicetur in ipsa Alexandria et in opposita insula Pharo. Adiunguntur autem, quae magnopere improbat addita ab Alexandro: *εἴτε τι πρότερον ἡμάρτηκας, ἀφήσω σε τούτων καὶ τὸ λοιπὸν, ὀκνηλίπον ἂν ἁμάρτῃς, οὐδὲν κείσει ἐξ ἐμοῦ ἄχαρι.* Vox imperatore indigna! utique ad hominem improbum. Talem enim nobis eum pingit Arrianus: *Καὶ Κλεομένει ἀνδρὶ κακῷ καὶ πολλὰ ἀδικήσαντι ἀδικήματα ἐν Αἰγύπτῳ ἐπιστέλλει.* Talem etiam agnoscas in narrationibus apud Aristotelem Oeconomicorum II, 33 ubi *Κλεομένης Ἀλεξανδρεὺς, Αἰγύπτου σατραπεύων* dicitur, quanquam fuit ex urbe Naucrati oriundus. Ipse enim philosophus deinceps narrat haec: *Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως ἐντειλαμένου αὐτῷ οἰκίσαι πόλιν πρὸς τῷ Φάρῳ, καὶ τὸ ἐμπόριον τὸ πρότερον ὂν ἐπὶ τοῦ Κανώβου ἐνταῦθα ποιῆσαι, κατακλεύσας εἰς τὸν Κάνωβον* (Codex Lips. Paulinus *κατακλεύσας τὸν τόκον*) *πρὸς τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς κτήματα ἔχοντας ἐκεῖ, ἐπὶ τούτῳ ἦκειν ἔφη, ὥστε μετοικίσαι* (—*ίσθαι* Codex) *αὐτούς. Οἱ δὲ ἱερεῖς καὶ οἱ κάτοικοι εἰσενέγκαντες χρήματα ἔδωκαν, ἵν' ἐᾷ κατὰ χώραν αὐτοῖς τὸ ἐμπόριον. Ὁ δὲ λαβὼν τότε μὲν ἀπηλλάγη, εἶτα δὲ κατακλεύσας, ἐπεὶ ἦν εὐτρεπῆ αὐτῷ τὰ πρὸς τὴν οἰκοδομίαν, ἦγεν αὐτοὺς χρήματα, ὑπερβάλλων τῷ πλήθει· τοῦτο γὰρ αὐτῷ τὸ διάφορον εἶναι τὸ αὐτοῦ εἶναι τὸ ἐμπόριον καὶ μὴ ἐκεῖ. Ἐκεῖ δ' οὐκ ἂν ἔφασαν δύνασθαι δοῦναι, μετῴκισεν αὐτούς.* Plura nequitiae hominis argu-

Digitized by Google

menta ibidem narrata describere non vacat nec opus est. Redeo ad Dinocratem. Hominis ingenium μεγαλουργὸν agnosces etiam in narratione Plinii 34 cap. 14. *Magnete lapide Dinocharen architectus Alexandriae Arsinoes templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulacrum eius e ferro pendere in aëre videretur. Intercessit mors et ipsius et Ptolemaei, qui id sorori suae iusserat fieri.* ubi ante Harduinum *Dinocrates* edebatur. Ausonius Idyllio IX, 310 Dinocharem nominat, qui *Arsinoen Pharii suspendit in aëre templi.* Pertinet igitur narratio ad Ptolemaeum Philadelphum, qui mortuus traditur Olympiade 133. Pone Alexandriam conditam Olympiadis 112 anno 1. (ut docet doctissimus *La Croix* Examen critique des Historiens d'Alexandre p. 72) aetatem vero Dinocratis Macedonia egressi vel minimam annorum 16, hinc et ab anno conditae Alexandriae (Olymp. 112, 1) efficiuntur anni plus quam centum, quos vitae Dinocratis attribuere oportet.

Itaque Dinocrates — Fran. Vatic. Guelf. *Ita Dinocrates.*

natura — deformavit — Wrat. *natura* omisit. Vatic. 2. *demonstravit.* Postea *valitudo* Sulp. Guelf. Wrat. Senem Vitruvium libros de architectura scribere aggressum esse, hinc manifestum fit.

auxilia scientiae — Sulp. Guelf. *auxilium.*

5.

in primo — Fran. Guelf. Wrat. *in* omittunt. Deinde *perscripsi* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Postea *inter moenia* Sulpic.

insequaturque — Wrat. *sequaturque.* Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. *insequatur.* Deinde *explicentur* Wrat. quod potest defendi.

non putavi — Wrat. male interserit *enim.* Deinde *a quibus* Wrat. Verba ipsa sensum habent satis difficilem, quem sic interpretatur Galiani: *si non dopo di avere spiegato i materiali, de' quali si formano gli edifici, tant riguardo alla collegazione della struttura, quanto alla natura del materiale.* Rode multo

Digitized by Google

laxius: *zuvorerst von den Baumaterialien, den verschiedenen Arten des Mauerwerks, den mancherley Gattungen des Bauholzes und desselben mannichfaltigen Eigenschaften beym Gebrauche.* Durum mihi videtur *materiam* in eadem periodo diversa significatione adhibere et interpretari. Galiani interpretatio postulat ut verba sic ordinentur: *e quibus aedificia perficiuntur, collatis structuris et materiae rationibus.* Mihi totum hoc membrum a loco alienum videtur, nec ulla ratione possum accommodare eius sententiam ad reliqua Vitruvii verba.

quibusque rerum naturae principiis — Wrat. *que* omittit. Sed idem *naturae* cum Guelf. dedit. Vulgo est *natura.* Ineptum est velle rerum naturam, quibus principiis sit temperata, explicare, cum quis de materiae copiis ad aedificandum parandis loqui incipit. Nisi *rerum* pro *copiarum* dictum statuas. Non inepta est coniectura Rodii *earum* pro *rerum* scribentis.

essent temperatae — Vulgatum *esset temperata* correxi. *essent* dat Fran. et Wrat. sed in solo Guelf. est *temperatae.*

explicare — Vatic. 2. *explicere.* Sequens *ceperint* revocavi ex Sulpic. et Guelf. In Guelf. tamen supra *e* scriptum est *o.* Vulgabatur *coeperint.*

insequar ingressus antiquitatis — *seguitando le antiche orme e della natura e di coloro, che hanno lasciato in iscritto e l'origine del viver civile.* Ita Galiani h. l. interpretatur, quem sequitur Rode.

humanitatis — In Franeck. a prima manu *humanitates* scriptum erat.

AD CAPUT I.

veteri more — Guelf. Wrat. *vetere.* Deinde *vitam egebant* Wrat. Voluitne *agebant?*

quodam in loco — Vatic. 1 *quondam.* Deinde *a tempestatibus.* Postea *crebritatis* Sulpic. et Bononiensis liber auctore Philandro.

Digitized by Google

et eo — Sulp. *et ea. ex eo* dedit Iocundus et Philandri Argentor. Deinde vulgatum *requieta* ex Guelf. et Wrat. correxi. Philander varietatem *post ea requieta* apposuit, et comparavit capitis 9 locum ubi tamen est de flamma: *cum ea per se extincta esset et requieta.* Postea *corporis* Vatic. 2.

adiicientes — Fran. Guelf. Wrat. *adicientes.* Deinde *et id conservantes* Fran. Vatic. Guelf. Wrat. *et ibi* Sulp. unde Fea effici voluit *et ibi conversantes.*

profundebantur aliter e spiritu voces — Sulp. *alitae spiritu voces.* Franeck. habet *profundebatur.* Galiani vertit *formando gli uomini col fiato diverse voci.* Non magis Rode vocabulum *aliter* reddidit, quo aut graecum ἄλλως, id est temere, reddere voluit Vitruvius, aut intelligendum *aliter*, quasi esset scriptum *ab aliis aliter.*

quotidiana — Wrat. *cottidiana.* Deinde *optegerent* Fran. Postea *ex vento fari* Wrat. Pro *coeperunt* Iocundus et Philandri Argentor. *ceperunt* dederunt, quae scriptura est etiam in Guelf. sed *o* suprascripto.

2.

apud homines — Wratisl. *aput.* Deinde *concilium convictus* omissa copula Wrat.

ab natura — Sulp. *a natura.* Sequens *praemium* ex Codicibus a Philandro inspectis, Vatic. Fran. Guelf. Wrat. adscivit Rode in locum vulgati *primum.* In Franeck. est scriptum *p̄miū*, ex quo erroris origo fit manifesta.

de frondibus — Ita vulgatum *fronde* ex Wrat. correxi. Frondes autem dicuntur rami et virgae cum foliis. Vide dicta ad Columellam 5, 6, 17. Ita Graecae φυλλάδες in Aristophanis Vespis versu 398 Hesychio sunt οἱ ξηροὶ κλάδοι καὶ φύλλα ἔχοντες. Quanquam noster sect. 3 *fronde* iterum sic utitur.

virgultis — Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *virgulis.* Deinde *adicientes* Guelf. Wrat.

Digitized by Google

3.

alius alii ostendebant — Sulpic. *alius alii ostendebat.* Wrat. *alii aliis ostendebant.* Nostram lectionem e Franeck. et Guelf. ductam probavit etiam Wesseling Observ. p. 197. Vulgo est *aliis alii.*

certationibus — iudiciis — Wrat. omisso altero vocabulo *certationis.*

virgultis — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *virgulis.* Deinde *integumentantes* Sulpic. unde Iocundus *iugumentantes* effecit, quod est etiam in libris scriptis. Ex quo Gesner Catoni c. 14 et 4 obtruserat *iugumenta*, cui ex Edd. primis restitui *iugamenta*, ex quo ortum *iugamentantes* Vitruvio restitui. Significat verbum lutum et luteos parietes trabibus directis et transversis iunctis invicem firmare, ut admonuit Philander.

postea quoniam — Sulp. Fran. Guelf. *posteaquam.* Deinde *potuerunt* Vatic. Guelf. Wrat.

4.

Haec autem ex iis — Sulp. Guelf. *ex his.* Wrat. *ex hiis.* Idem hinc Capitulum tertium exorditur. Postea *scripta sunt* Sulp. Wrat.

instituta esse — Vatic. 2. *constituta.* Sequentia *ex his* ante *rebus* omittit Wrat. Postea *constituantur* Vatic. Fran. *uti Gallia* Guelf. Fran. Wrat. *Ispania* Sulp. *Spania* Guelf. *Equitania* Wrat.

scandulis — Vatic. Fran. *scandalis.* Deinde *aput* Wrat.

arboribus planis — est quod nos horizontaliter dicimus. Rode reddit *platt auf die Erde.*

quanto arborum longitudines patiuntur — Intellige relinqui spatium. Brevius Galiani *quanta è la lunghezza degli alberi.* quem sequitur Rode. Ad verbum *collocantur* intellige *aedificia.*

tunc insuper alternis trabibus — Recte Galiani vertit: *e cosi con travi alternativi collegando tutti i quatro angoli formano*

Digitized by Google

le mura d'alberi. Contra Rode *insuper* cum *trabibus alternis* coniungens ita vertit: *sodann errichtet man über diesen auf den vier Seiten wechselsweise gelegten Stämmen an den Ecken Ständer mit Blattstücken.* Verum Vitruvius *trabes* nunc dicit, non *arbores;* his fundamenta sternuntur, illis alternis positis in iugi formam parietes struuntur; iugamenta vero ex angulis quatuor partium exorsa trabibus alternis parietes concludunt. Verbum *iugamentantes* de meo dedi pro vulgari *iugumentantes.* Ceterum Franeck. dat *tum* cum Vatic.

et ita parietes arboribus statuentes — Wrat. *et illa.* Quod vulgo ante *arboribus* sequitur *ex*, omisi cum Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

imarum educunt ad altitudinem — Sulp. *uiarum.* Deinde *perducunt ad latitudinem* Wrat. Idem sequens *quae* omisit, et postea *chidiis* habet.

tecta recidentes — Verbum *recidentes* omisit interpretari Galiani; dedit enim: *Con la stessa maniera formano i tetti, traversando all' estremità degli angoli i travi di grado in grado più corti.* Aliter Rode: *Auf gleiche Weise verfertiget man das Dach, indem man immer von den äufsersten Enden der Spanriegel etwas abschneidet.* Is igitur *angulorum* mentionem plane omisit; Sulpic. etiam cum Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. *angulos* omittit. Deinde *traiciunt* Guelf. Wrat. Verbum *recidentes* si cum Rodio ad *contrahentes* retuleris, superest lacuna, in qua *struunt* vel simile verbum desideres.

et ita ex — Sic Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Vulgo erat *Ita ex.* Deinde *latitudinem* Sulp. Wrat.

quas et luto — Copulam omittit Fran. Guelf. Wrat. ut verbum *tegentes* Franeck. Ceterum Vitruvius respexit gentes Colchis finitimas, quas Mosynos alii Mosynoecos vocant, a ligneis turribus, quas *μόσυνας* appellat Xenophon Anab. 5, 4, 26. et Apollonius Rhodius 2, 1030.

Digitized by Google

5.

inopiam — egentes materia — Wrat. *inoppiam.* Deinde *materiae* Vatic. Fran.

fossura exinanientes — Vatic. Fran. *fossurae.* Deinde *detinentes* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Postea *in quantum* Guelf. Wrat. Verbum *exinanire* Iocundus male excogitasse et huc transtulisse videtur in locum vitiosi. Si enim medios tumulos fossura exinaniunt, quid opus erat addere itinera perfodientes? Equidem itinera antea perfossa putem, quam tumulos exinanirent et spatia dilatarent. Maluissem *aperientes* vel simile verbum dedisset.

et stramentis — Equidem Sulp. Fran. Guelf. Vatic. *sarmentis* praefero. Deinde *exaggerabant* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Postea *maximos e terra grumos* Guelf. Wrat. *crumos* Franeck. et Codex nescio quis apud Laetum. *grummos* dedit Galiani.

hiemes — aestates — efficiunt — rationes — Vulgatum *ratione* correxi ex Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Praeterea Franeck. habet scriptum *ita hiems calidissimas, aestas frigidissimas efficit tectorum rationes.* Equidem scribendum censeo *hieme — aestate.* Nec enim Phryges efficiunt hiemes calidas aestatesque frigidas habitationum rationibus suis, sed habitationes ipsas attemperant ad tempestates annorum tectorum nova ratione excogitata addita subterraneis habitationibus.

Apud — Wrat. *aput.* Deinde *cum paleis subacta terra* est lutum aceratum; Graeci etiam simpliciter γῆν de luto dicunt, ut noster de materia laterum ducendorum cap. 3.

Areopagi — Vatic. *Ariopagi*, Wrat. *Ariopaci.* Vetus enim scriptura *pacum* pro *pago* ponebat. Deinde *tempore* Wrat.

Romuli casa in arce sacrorum — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *et in arce* habent. De Romuli casa confer Interpretes Virgilii Aeneidos 8, 654 et Ovidii Fastorum 3, 189 seqq.

Digitized by Google

6.

tritiores manus — Sulp. *tutiores.* Wrat. *minus.* Deinde *ingenii* Guelf. Wrat.

industria — *adiecta* — Galiani vertit: *ed aggiungendovi la fatica.* Rode: *es erwachte auch in den Gemüthern ein Ehrgeitz.* Notum est industriam dici studium rei agendae cum labore coniunctum, *Aemsigkeit*, *Thätigkeit.*

esse se profiterentur — Sulp. *se esse*, sed Guelf. Wrat. omittunt pronomen *se.* Abhinc Wratisl. Capitulum IV exorditur.

non solum sensibus — Guelf. a prima manu *plus* sed suprascriptum *solum* habet. Deinde *armavisset gentes* Sulpic. dedit. Nisi curam elegantiae omnem a Vitruvio alienam fuisse putarem, suspicioni locus esset eum in altero membro hoc *armavisset mentes* allitterationem quaesivisse comparando cum priore *ornavisset gentes.*

tunc vero e fabricationibus — Lectionem antiquam *et* Sulp. Iocundi, Guelf. Wrat. primus mutavit Philander; cui non est obsecutus Galiani. Deinde *mansuietam* Wrat.

7.

instruentes animose — Franeck. *instruerent.* Galiani vertit: *Qnindi illuminata la mente ed acquistate colla varietà delle arti sempre maggiori cognizioni, prevedendo il futuro.* Rode: *Itzt, kühn sich entwickelnd und gröfsere Gedanken aus den mannichfaltigen Künsten schöpfend.* Mihi non solum verbum *instruentes* insolens et vitiosum esse videtur, (quid enim instruebant homines?) sed vocabulum etiam *animose* a re narrata alienum. Quid si fuerit scriptum *instruentes animos?* In Wratisl. est deinde scriptum *et e prospicientes.* Vulgo comma est positum post *prospicientes;* mihi vero verbum cum sequentibus iungendum videbatur.

casas — Wrat. *cessas.* Deinde *fundatas et lateritiis parietibus* — *structas* revocavi ex Sulpic. Vatic. Guelf. Wrat. Vulgo

Digitized by Google

cum Iocundo scribunt et distinguunt: *fundatas ex lateritiis parietibus, aut e lapide structas, materiaque* et cet. Ita vero factum est, ut verbum *fundatas*, ad fundamenta aedium referendum, plane negligerent interpretes Galiani et Rode.

tectas — Sulpic. Vatic. *tecta*, Wrat. *tectaque.*

et incertis — Vulgo legitur scriptum *studiorum evagantibus iudiciis, ex incertis.* Sulpic. Guelf. Wrat. *et incertis.* Deinde *perduxerunt rationes* Wrat. Locum ita vertit Galiani: *e cosi facendo delle continue sperienze e diverse osservazioni, dalle incerte acquistarono la cognizione delle certe proporzioni.* Brevius Rode: *Erfahrung läuterte darauf je mehr und mehr den Geschmack, und lehrte ihn, die bisher ungewissen Verhältnisse bestimmen.* Sed quid sunt *iudicia evagantia*, aut *observationes evagantes iudiciis?* Ineptissime haec dicuntur et eduntur, sed socordia Iocundi et qui eum sequuntur. Iocundus tamen post *iudiciis* comma non posuit nec Galiani, sed Philander, quem sequitur Laetus et Rode. Redeundum erat ad lectionem Sulpicianam et post *studiorum* comma ponendum, si omnino commate opus esse censeas, et verbum *evagantibus* diducendum in duas voces, quod feci, et locum alias difficillimum expedii.

Postea cum — Vulgatum *Posteaquam* ita corrigendum bene vidit Buttmannus. Supra saepius vocabula *quom* et *quam* in antiqua Codicum scriptura confusa et permutata habuimus. Sed non opus est coniectura eiusdem viri docti *animadverterent* scribentis.

ab natura materiae — Guelf. Wrat. praepositionem omittunt. Deinde *naturae* Fran. Guelf. Wrat. Postea *ad materiam* Guelf. Wrat. *materia* Sulpic. Fran. Denique *abundanter* Sulpic. Mihi *partus materiae a natura profusi* durius dici videntur, quam *partus naturae ad materiam profusi;* igitur lectionem Guelf. et Wrat. praetuli.

tractando nutriverunt — Sulp. Guelf. Wratisl. *nutrierunt.* Deinde *auctas* Wrat. Postea vulgatum *ad elegantiam vitae* correxi et restitui veterem et genuinam lectionem ex Sulpic. Vatic.

Digitized by Google

Fran. Guelf. Wrat. *eligantiam* Fran. Ineptissime temerarius homo, Iocundus, *ad* infersit, quo facto mirum errorem obiecit interpreti nostrati, qui sic vertit locum: *machte man davon Gebrauch, suchte diesen Vorrath nicht allein zu erhalten, sondern auch durch Kunst zu vermehren, bis zuletzt Ueppigkeit denselben zur Zierde und Verfeinerung des Lebens anzulegen wuſste.* Multo cautius et rectius periphrasi usus Galiani vulgatae lectionis scopulum evitavit: *adopravangli, anzi si avanzarono col mezzo delle arti a farne degli ornamenti per piacere, e maggior comodo della vita.*

Igitur de his rebus — Sulp. *Item de his rebus.* Deinde *quibusque sunt* Sulpic. Wrat. Postea *ut potuero* Vatic. 2. Fran. Guelf. Wrat.

8.

Sed si quis — Guelf. Wrat. *qui.* A verbis *Cum corpus* Capitulum V exorditur Wrat.

finireque — Vatic. 2. *finirique.* Deinde *esset nota* Guelf. Wrat. Germanicus Interpres, Rode, malebat scriptum *e quibus rebus constet*, quod in primo libro nullum extet caput cum eiusmodi inscriptione, contra caput secundum esse inscriptum *Ex quibus rebus architectura constet.* Quasi ipsa eadem verba repetere necesse sit, quae sententiam non diversam continent. Ex quibus enim rebus architectura sensim nata est, iisdem demum perfecta constat. Ceterum *dicere finireque* ex more *dicendum finiendumque* erat. Sed vide ad libri V Praef. sect. 5.

Itaque quid — Wrat. *quit*, deinde *officio, nichil de naturalibus.* Postea *Nanque* Sulpic.

hic liber — Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. verum dedit, quod corrupit nescio quis. Nam Iocundi altera clare *hic*, prior per notam scriptum habet, quod retinuit Galiani. Wrat. *liber hic* dat, *liber hoc* Philander et Laetus.

unde Architectura nascatur — Male Galiani *della origine*

Digitized by Google

dell' Architettura, quem sequitur Rode. Voluit dicere Vitruvius *e quibus rebus nata constet.*

aedificiorum sint — Sulpic. Guelf. Wratisl. *sunt.* Inepte Wrat. *officiorum.* Postea *sunt gradatim* Sulp.

9.

aedificiorum perfectionibus — Wrat. *adefficiorum profectionibus.* Deinde *quemadmodum indicantur esse a natura* Sulpic.

ne obscura sed perspicua — Sulpic. *nec obscura sed ut perspicua.*

neque corpora neque res — Sulpic. *nec corpora nec res.* Deinde *principiorum coitu* scriptum maluit Philander, non advertens antiquam vocabuli formam, quam usurpavit saepiuscule Lucretius. Est idem antea *congressus.*

neque subiici — Sulp. *nec.* Guelf. Wrat. *subici.* Deinde *patitur habere explicationes* contortiuscule dictum est pro *potest explicari vere.*

insunt in his rebus — Antiquam lectionem Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. restitui probante etiam Bondam p. 46. Iocundus primus *sunt* invexit.

AD CAPUT II.

Thales quidem primum — Vatic. 1. Guelf. omittunt *quidem*, Franeck. *primum.* Wrat. dat *Thales qui deinde*, postea *putabant.*

Democritus quique — Wratisl. *Dem. est.* Deinde *quos* Sulp. Wrat.

ad aquam — Ita recte Edd. omnes quas vidi praeter Laetianam, quae vitiose habet *et aquam*, quod mendum ex Edd. antiquis et libro Franeck. et Vossianis 2 correxit Oudendorp ad Sueton. p. 62. Quod Pythagoraeis adscribit Vitruvius, alii Empedocli tribuunt, Pythagorae disciplina uso.

etsi non proprie res nominavit — i. e. proprio nomine

Digitized by Google

terram aut aquam, ignem aut aërem dixit. Sic recte Galiani: peius Rode: *obgleich Democritus nicht ausdrücklich diese Dinge nennt.*

ea ipsa dixisse videtur — scilicet *insecabilia*, *atomos*. Causam nominis afferri nunc censeo. Contra Galiani et Rode *ea ipsa* interpretantur de elementis a Thale et Heraclito nominatis.

quod ea — Haec Wrat. omisit. Deinde *cum sint disiuncta* Sulp. Guelf. Wrat.

nec laeduntur — Sulpic. *nec leguntur*. Guelf. *negleguntur*. Sed antea fuerat *nec leguntur*. Wratisl. *negliguntur*. Primus Philander ex Codd. *laeduntur* annotavit et probavit, quod recepit Rode.

interitionem — Ita Vatic. et Wrat. *intentionem* Sulp. *interronem* Fran. *internitionem* Iocundus, Philander et Galiani, *internecionem* Laetus cum Guelf. dedit. *Interitiones* plurali numero posuit noster in Praefatione libri 8. *Interitio aratorum* est in Ciceronis Verrina 3, 54.

soliditatem — Wrat. *solidatam*.

2.

congruentibus — i. e. coniunctis. Sic infra 7, 8 quo manus matrum congruerat. Seneca Q. N. 7, 19 guttae in vase congruunt et confunduntur. De re ipsa Cicero de N. D. I, 20 *infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quae interiecto inani cohaerescunt tamen inter se, et aliae alias apprehendentes continuantur: ex quo efficiuntur hae rerum formae atque figurae.*

et eae in infinitis — Sulpic. Wrat. *hae infinitis*. Guelf. *hae in infinitis*. Deinde *non essent* Sulp.

ad usum — comparent — Wrat. *usus — compararent*.

AD CAPUT III.

qua de terra — Wrat. *quas de terra*. Deinde *eos duci* Sulp. *duci eas* Wrat.

Digitized by Google

calculoso — Guelf. Wrat. *calculoso luto*, sed Wrat. *cariculoso* habet. Deinde *sabulonoso* Guelf. Wrat. Vatic. Postea *deducendi* Wrat.

cum sunt ducti — Sulp. Guelf. *sint*. Deinde *hymbribus* Sulp. *in tribus* Fran. Postea *sparguntur* Sulp. Vatic. Guelf. Wratisl. Denique *delabuntur* Wrat.

paleaeque, quae in his ponuntur — Ita vulgatur hic locus in Edd. omnibus, praeter Sulp. quae cum Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. caret inepta Iocundi interpolatione. In Wrat. praeterea est *paleaque*. In Fran. deinde *cohaerebunt*. Palladius Maii XII de hac re ita tradit: *fiunt autem sic: terra creta diligenter et omni asperitate purgata, mista cum paleis diu macerabitur, et intra formam lateri similem deprimetur: tunc ad siccandum relicta subinde versabitur ad solis aspectum*. Unde apparet de lateribus crudis loqui Vitruvium.

cretosa — Wrat. *crocosa*, deinde *rubricata*. Compendium: *ex terra alba, ex creta, ex rubrica aut sabulone masculo*. Palladius Maii cap. 12 *lateres faciendi sunt ex terra alba vel creta vel rubrica*. Ex ipso usu discimus sabulonem masculum fuisse generis cretacei; inde patet, quis sit intelligendus *sabulo masculus solutus* Palladii Aug. 8, 2. qui ductus tamen est ex Vitruvii 8, 1 ubi simpliciter est *sabulone soluto*. Plinius 31 sect. 28 *sabulum masculum* in eadem re aquaria vocat. Idem Plinius 35 cap. 14 caput de lateribus hinc excerptum ita reddidit: *Lateres non sunt e sabuloso neque arenoso multoque minus calculoso ducendi solo, sed e cretoso et albicante aut ex rubrica: vel si iam ex sabuloso, e masculo certe. Finguntur optime vere: nam solstitio rimosi fiunt. Aedificiis non nisi bimos probant. Quin et intritam ipsam eorum, prius quam fingentur, macerari oportet*. In quibus refingendis quae tentaverat Salmasius, praeclare refutavit J. Fr. Gronovius in annotationibus ad h. l.

laevitatem — Vulgatum *levitatem*, ne lectoribus errorem obiiceret, mutavi. Wrat. *leevitatem* habet, deinde *habens*. Galiani *pastosità*, Rode *Fettigkeit* vertit laevitatem. De notione

Digitized by Google

ea recte admonuit Philander comparans Plinii locum de paraetonio 35 c. 6 *e candidis coloribus pinguissimum et tectoriis tenacissimum propter laevorem.*

aggerantur — Ita Sulp. Fran. Vossiani duo, teste Oudendorpio ad Apuleii Metamorph. p. 640. *aggregantur* Wrat. cum Vincentio Bellovac. Vulgabatur *aggeruntur*, quod Galiani vertit: *si maneggiano con facilità nel porli in opera.* Satis bene! Sed ineptissime Rode: *und lassen sich gut kneten.*

2.

tempus et autumnale — Wrat. *tempore autumnali.* Deinde *uno tempore* Sulpic. Vincent. Vatic. Guelf. Wrat. *tepore* Fran.

vitiosi fiunt — Ita Sulp. Vatic. Fran. Wrat. *sunt* Guelf. et Edd.

corium — Sulp. *eorum.* Deinde *quom* Sulp. *praecoquit* Vatic. *precoquit* Guelf. *coquit* Vincent.

efficit ut videantur — Vincent. *efficiturque.* Deinde *videatur aridum* Sulp. Vincent. Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

interius autem sint non sicci — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *interior autem sit non siccus.* Vincent. *interior autem pars non siccatur.*

siccescendo se contrahunt — Wratisl. *succidendo se.* Deinde Sulp. Vincent. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *contrahit, perrumpit.* Postea *imbecilles* Sulp. Wrat. Palladius haec ita excerpsit: *Nam qui aestate fiunt, celeritate fervoris in summa cute siccantur, interius humore servato: quae res scissuris eos faciet aperiri.* Compendium haec habet: *et quasi integri videntur: postea humor interaneus dum siccatur, contrahit frontes et scissuris dividit.* Unde mihi manifestum fieri videtur antiquam Sulp. et Edd. scripturam *interior autem sit non siccus, et cum postea siccescendo se contrahit, perrumpit ea,* esse eam, quam Palladius et auctor Compendii reddiderunt, nisi quod illi post *interior* vocabulum *humor* additum reperisse videntur. Sed *humor* contrahere se siccescendo recte dici non potest. Vulgata igitur Sulp. scriptura

Digitized by Google

tolerari non potest; nec eam reperisse videtur in suo Codice auctor Compendii, sed potius ibi scriptum fuisse censeo: *cum postea siccescendo contrahit et perrumpit ea.* Quare cum libri scripti hucusque comparati omnes faciant cum lectione a Palladio et auctore Compendii reddita, vulgatam deserendam putavi, quippe quae Iocundi ingenio debeatur; sed leviter mutanda fuit scriptura Codd. ita ut *se contrahit* reformarem in *contrahit et*, post *interior* autem insererem vocem *humor*, uncis tamen seclusam.

Maxime — Omittit Vincent. *maximeque* Wrat. Deinde vulgatum *siccessere* ex Sulp. et Wrat. correxi, quoniam *siccescendo* praecessit, sine ulla scripturae varietate.

rigideque obsolidato — Sulpic. Vatic. Wrat. et Franeckeranus (auctore Friesemanno) *rigidoque* dant. Deinde *obsolidati* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Franeck. Contra *rigideque* e Franeck. annotavit Wesseling Observ. p. 69.

permanente — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Franeck. *permanent.*

ipsi sidentes — Sulpic. *ipsi sedentes.* Omisso *ipsi* Guelf. et Franeck. *subsidentes*, teste Wesselingio, quanquam Friesemann *subsidentesque* posuerit ex Franeck. Salmasius Exercit. p. 870 totum hunc locum ita scribendum censuit: *tectorio inducto rigideque obsolidati, permanente eo, ipsi sidentes non possunt — non adhaerent cum eo, sed ab coniunctione eius disparantur.* Addit passim apud Vitruvium *solidatos tectorio parietes* legi. Sed aliud est *solidare parietes tectorio*, aliud *tectorium obsolidatum.* Quare lectionem Iocundi sequendam censui ex parte, in reliquis Franeck. libri scripturam admittendam.

qua est tectorium — Sulpic. Guelf. *tectorum.* In Guelf. etiam est *quae* scriptum a prima manu, sed secunda supra *a* et supra *tectorum* literam *i* adiecit. Pro *contractioneque* Wrat. *contradictioneque.*

non haerent — Franeck. *non adhaerent.* Idem verbum, sine dubio in Codd. repertum, restitui voluit Salmasius l. c. Deinde *ab coniunctione* Wrat. quod voluit etiam Salmasius restitui.

Digitized by Google

ab structura — Sulp. *ob structura sei. propter ten. qui se stare.*

fortuito sidentes — Wrat. et ab altera manu Guelf. et duo Vossiani apud Oudendorp ad Sueton. p. 416 *fortuitu.* Deinde *sedentes* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

Ideoque etiam — Guelf. Wrat. *Ideo etiam.* Deinde *later si sit* Guelf. Wrat. Postea *inprobatus* Wratisl.

3.

Graece Lydium — Sulp. et Codex Philandri *appellatur Lichum.* Vaticani *Lydium*, quod ex Franeckeranо posuit etiam Wesseling Observ. p. 69, contra Friesemann *Lybium* inde annotavit. Guelf. *lidium.* Wrat. *Lidium.* Salmasius Exercit. p. 869 in Palatinis et in antiquissimo Codice Regio Paris. *Lydium* et *Lidium* scriptum reperit. Iocundus primus διδῶρον (sic scriptum) dedit; quod nomen unde duxerit, ignoratur; extat tamen id clare scriptum in Compendio Architecturae cap. X. At Salmasius instat non ab ullo mensurae nomine appellari hunc laterem videri, sed a Lydiae populis; alias se legere malle *pechyum* vel *pechyaeon*, πηχυαῖον, quae mensura sit sesquipedalis. Sed mensurae nomine hunc laterem non designari, illud etiam indicio esse, quod explicetur eius magnitudo: quod in sequentibus aliis duobus generibus non fieri, quae mensurae suae nomen praeferant. Haec Salmasius: in quibus falsum est, quod caput rei facit, a mensurae nomine laterem non dici videri, quod explicetur eius magnitudo, in reliquis vero duobus non explicetur. At in reliquis duobus manifesto addit Vitruvius causam, cur tetradori et pentadori dicantur, a mensura ductam: *quod est quoquoversus quinque palmorum, pentadoron, quod quatuor, tetradoron dicitur.* Hoc igitur Salmasii argumentum plane nullum est. Consideremus nunc nomen a Lydiae populis ductum. Quaero quid causae fuerit, quod Vitruvius adderet *quod graece appellatur?* si Lydii apud Graecos nomen diversum a Latino non habuerunt; quod quis est qui dicere audeat? Igitur lectio *Lydium* vel *Lidium* locum in Vitruvio habere mihi non videtur, sed in eo potius latet obscurata vera, quam

Digitized by Google

eruere conatus est Iocundus posito δίδωρον. At, inquit Salmasius, Doron Vitruvio palmus est, palmus autem eidem digitorum quatuor. Quomodo igitur didorus ille later dici possit, qui pedis longitudinem haberet? quum pes sit sedecim digitorum. Philander ait sequipedalem longitudinem mensurae duorum maiorum palmorum convenire; at sibi vero similius videri in nomine didoron et lectione *latum semipede* Vitruvium latitudinem spectasse et minorem palmum intellexisse; nam duos palmos efficere semipedem. Philandrum sequitur Galiani, qui in reliquis duobus generibus vocabulum *quoquoversus* non ad quatuor dimensiones vel latera referendum sed ad solam longitudinem et latitudinem spectare censet. In qua posteriore quidem opinione difficile est viro docto assentiri: quanquam Plinius in tetradoris et pentadoris longitudinis tantum et latitudinis faciat mentionem. Igitur *quoquoversus* referre oporteat fortasse ad duas illas dimensiones in didoro positas a Vitruvio, non ad omnes illas, quae vulgo in isto vocabulo intelligi solent. Veniamus nunc ad Plinii locum, qui Vitruvium excerpsit. Harduinus vulgavit: *Genera eorum tria. Lydion, quo utimur, longum sesquipede latum pede: alterum tetradoron, tertium pentadoron. Graeci enim antiqui doron palmum vocabant, et ideo dora munera, quia manu darentur. Ergo a quatuor et quinque palmis, prout sunt, nominantur. Eadem est latitudo. Minore in privatis operibus, maiore in publicis utuntur in Graecia.* ubi antea erat *didoron*, quod mutatum et correctum ait Harduinus ex Codice Regio 2 et ceteris MSS. probante Salmasio l. c. Consentiunt membranae optimae a J. Fr. Gronovio comparatae. Pintianus e Codice scribendum in reliquis monuit *Eadem est et latitudo.* Vides igitur in *Lydium* vel *Lydion* vocabulo nos haerere, velut in luto, ex quo expedire lectorem equidem nulla ratione possum, nisi ut vitiosam eam scripturam censeam et meliores Codices exspectandos.

sesquipede, latum pede — Hanc scripturam vulgatae in locum *longum pede latum semipede* ex Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. recte restituit Rode: accedit auctoritas Compendii cap. X, Plinii et

Digitized by Google

Palladii: quanquam Palladius variavit longitudinem. Ait enim: *lateres sint longitudine pedum duorum latitudine unius, altitudine quatuor unciarum.* Sulpic. dat *sesquipedem*, Franeck. *latus*, Vatic. *sexquipede.* Ceterum Isac. Vossius Hesychii glossam *Τετραβαρῆ πλίνθων παράγματα* ex Alcaeo ductam ad lateres tetradoros pertinere coniecit.

quod munerum — Totum hunc locum ex imitatione Plinii ita refingendum censuit Philander: *eoque munerum datio graece δῶρον appellatur, quod semper geritur per manus palmum. Id quod est* et cet. Qua coniectura viri docti non est opus.

quinque palmorum — Franeck. anteponit literam *e*, quam ex numeri nota ortam esse puto.

4.

Fiunt autem — Sulp. *autem* omisit. Sequens *semilateria, quae* in locum vulgati *semilateres, qui* restitui ex Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. et Regio apud Salmasium p. 870 qui recte graecum *ἡμιπλίνθιον* comparat, quod nominat Herodotus I, 50 in dono Croesi Lydorum regis Delphis dedicato: in quo forte latet vestigium originis nominis *Lydii* lateris a sagacioribus ingeniis indagandum. Compendium Architecturae sic habet in Codice R. 1. *ex simili lateria remissis qui laterum iuncturis interpositis reparent. Ita enim fiet, ut cum alter alterius protegit coniunctionem, firma structurae soliditas surgat.* ubi Codex R. 2. *ex simili lateres*, Vascosana Editio *ex simili latere* dat. Unde Polenus edidit: *et semilateres super se missi, qui laterum iuncturas inter se positi reparent:* ubi saltem scribi debebat: *iuncturas interpositi reparent.* Sed in lectione Codicis R. 1. vetus lectio Vitruviana *semilateria* latet.

una parte e lateribus altera semilateriis — Vulgatum *semilateres* vitiosum esse statim apparet comparanti oppositum *lateribus;* igitur scripturam regii Codicis a Salmasio inspecti adscivi, qui praepositionem *e* inserit.

Digitized by Google

cum construuntur — Ita Sulp. Vatic. 1. Guelf. Wrat. Vulgatur *cum struuntur.*

alternis choris — Sulp. Fran. *choris*, Wrat. *choriis.* Ex antiquissimo Codice regio *choris* corrigit Salmasius p. 870 hic et infra cap. 8. a choro, χορῷ, derivans, et ordines interpretans cum Philandro. Coria hic locum non habere affirmat, quae crustam et superficiem significent, non ordinem positorum laterum. Ita coria tectoriorum esse libri 7 cap. 3 et in Catonis de R. R. cap. 18, 7. Cf. Index Script. R. R. sub hoc vocabulo. Probo rationem Salmasii, igitur vulgatum *coriis* mutavi. Superest, ut quaeratur auctoritas scriptoris antiqui, unde discamus χορούς an χορεῖα dixerint Graeci, quos imitatus est Vitruvius. Ceterum ex hoc ipso loco colligebat Galiani ordines dici proprie horizontales, *coria* vero verticales, itaque verba haec interpretabatur, eiusmodi parietes esse structos *come da due muriccivoli verticali.* Fatetur tamen alibi Vitruvium *coria* et *ordines* de eadem ponere re.

collocati — Guelf. Wrat. *collecti* dant.

ulteriore civitas maxima et in Galliis — Haec est scriptura Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. et Codicum quos inspexerat Vossius ad Melam p. 186 qui hic et in Plinio ex Codd. corrigit: *civitas Maxilua et Cale et in Asia Pitane.* Temerario conatu Iocundus dedit *ulteriore Calentum et in Galliis Massilia et in Asia Pitanae*, secutus scilicet Plinium, ubi est nunc ex Harduini correctione: *Pitanae in Asia et in ulterioris Hispaniae civitatibus Maxilua et Calento fiunt lateres, qui siccati non merguntur in aqua. Sunt enim e terra pumicosa, cum subigi potest, utilissima.* Antea legebatur *Massia et Calento*, sed Codicem Regium 2 reliquosque testatus Harduinus lectionem mutavit, et in Vitruvio scribendum censuit: *Calentum et Maxilua* deletis verbis *in Galliis*, de scriptura Sulpic. et Codd. Vitruvii non sollicitus. Quam Harduini coniecturam temere Rode Vitruvio obtrusit. Codex Toletanus habere dicitur *Calentum civitas maxima et in Galliis et in Asia Pithone*, unde Andr. Schottus Observ. human. 5, 23 coniecit scribendum: *Calentum in Hispania ulteriore civitas e*

Digitized by Google

Massia, *in Asia Pitane.* Fea corrigi voluit: *ulteriore Maxilua et Cale*, plane ut Vossius scribendum censuerat. In Plinio *Maxilua* dant membranae optimae a Io. Fr. Gronovio inspectae. Cum antea legeretur in libris Plinianis veteribus: *Pitane in Asia et in ulteriore Hispania civitatibus Maxilia et Canlento*, Salmasius p. 870 *Maxilua* scribendum esse docuit. Idem Vitruvii scripturam veterem habere ait: *Est autem in ulteriore Hispania civitas Maxima et in Galliis. Et in sania Itane.* unde primum corrigit *Maxilua:* in verbis autem illis *in Galliis* latere putat nomen alterius civitatis Hispanicae a Plinio nominatae, *Canlentum*, quam tamen se reperisse in Hispania ulteriore negat. Coniicit igitur a Vitruvio *in Callaeis* vel *in Gallaeis* (*Καλλαίοις*) scriptum fuisse. In Plinio Brotier dedit *in ulteriore Hispania*, *civitatibus Maxilua et Callento* ex Codd. Regiis 2 et 3 putans in montibus, qui dicuntur hodie *Sierra-Morena*, ubi est locus *Cala* appellatus, fuisse civitatem Maxiluam et Callentum. Ciseranus vertit: *ma el e in Hispania ulteriore la maxima civita di Calento e in Gallia et in Asia Pithane:* et annotavit haec: *nota in molti texti mai ho trovati che civitate sian queste*, *excepto che uno texto*, *che dice cosi:* in Hispania ulteriore Calentum et in Galliis Massilia et in Asia Pitane. Vides verum nomen alterius civitatis vix posse extricari ex vitiosa scriptura Vitruvii; temerarium autem esset Vitruvii lectionem ex Plinio incrustare. De Maxilua cum satis constet, et scripturae discrimen in eo nomine et *maxima* cum sit tantillum, id nomen Vitruvio restituere non dubitavi; reliqua vitia aliis emendanda in oratione ipsa Vitruvii reliqui.

in Asia Pitane — Sulpic. *Asia. Itaque.* Vatic. Fran. *Asia. Itane.* Ita etiam Codd. Vossiani. *Asia itanae* Wrat. Verum habet Guelf.

Natare autem eos posse ideo videtur — Vincentius: *quod ideo posse videntur*, brevius et latinius.

ita cum est levis, aëre — Vincentius: *cum sic levis et rara sit, aëre solidata — nec imbibit liquorem.* Idem verba sequentia *Igitur levi raraque cum sint proprietate* omisit.

Digitized by Google

cum sint proprietate, nec patiuntur — Vulgatum *cum sit* ex Guelf. Wrat. correxi. Nec enim de terra, unde fiunt, sed de ipsis lateribus loqui nunc infit Vitruvius. Deinde *non patiuntur* Guelf. Wrat. *non patitur* — *humidum* Sulp. *non patiatur* Fran. *non enim in corpus penetrare patitur* Vincent. Vulgatum *nec patiatur* correxi.

quocunque — Vincentius *Ideo quocunque pondere fiunt, coguntur*, a quo adiutus vulgatam scripturam: *fuerit, cogitur* — *sustineatur* correxi. Sulpic. *a rerum natura* dat. Deinde Wrat. *habent magnas utilitates.*

AD CAPUT IV. De arena.

carbunculus — Plinius 36 s. 54 cum Palladio I, 10 omisit; Compendium, omissa *cana* arena, posuit; Vincentius Speculi natur. 8, 7 *carbulum* habet, Codices 2 Vaticani cum Franeckerano *carbunculum.* De eo dicetur infra cap. 6. Paulo antea *nec habeat* Wrat.

et non habebit asperitatem, item — Locum esse turbatum in ordine verborum, manifestum esse puto. Primum ponitur optima arena; sequi debebat *idonea* secundo loco, quod voluisse videtur Vitruvius praeponens *item* coniunctionem: *terrosa*, quae reprobatur, tertio servanda erat loco, et separanda cum vocabulo *autem* adiuncto. Palladius verba *quae autem — asperitatem* plane omisit: Compendium ita repetiit: *quae autem terrosa fuerit, eamque in vestimentum candidum si miseris, et effusa si nihil sordis* et cet. unde suspicor auctorem Compendii locum sic fere scriptum reperisse: *Quae autem terrosa fuerit et non habuerit asperitatem, si in vest. cand. coniecta fuerit et postea excussa* et cet. Itaque *item* omisit, contra vero copulam *et* ante *non habebit* scriptam in suo libro legit. Contra copulam *et* omittit princeps Editio, Gudianus liber, Wrat. omisit etiam versio Rodiana. Vincentius ex h. l. laudavit: *Item si in vest. cand. coniecta fuerit et post excussa id non inquinaverit.* Franeck. *contecta fuerit* —

Digitized by Google

inquinarit. Etiam Sulp. *inquinarit.* Wrat. post id verbum pergit: *eam, neque in vel ibi terra subsederit, erunt idonea.*

2.

Arenaria — Plinius 36 s. 54. *Ab Apennino ad Padum non invenitur fossitia arena nec trans maria.* Ceterum *arenarias* genere foemineo nominat Varro R. R. I, 2, 23 et Cicero pro Cluentio c. 13 *in arenarias quasdam extra portam Esquilinam perductus.* Eandem terrae qualitatem designat de Agraria lege II, 27. *arenam aliquam aut paludem emere.* — Sulpiciana deinde habet *fodidantur.*

excernenda — Wratisl. *exeruenda.* Palladius *de fluminibus glarea aut litore colligetur.* Sic enim recte Edd. primae; recentiores *aut glarea* dederunt. Compendium *de glareis* habet. Verba: *sed ea in structuris* et cet. male ad marinam arenam solam retulit, vulgari distinctione falsus, quae verba *Non minus etiam de litore marino* maiore distinctione a prioribus separat.

vitia, quod — Iocundus infersit *quod*, omissum in Ed. pr. Gud. Vatic. Wrat.

neque, ubi sit, onerari — Recte Ed. pr. Gud. Vatic. Fran. Wrat. verba *ubi sit* omittunt. Palladius etiam *paries* omisit. Sic enim refert: *marina arena tardius siccatur, et ideo non continuo sed intermissis temporibus construenda est, ne opus onerata corrumpat.*

remittentes salsuginem ea dissolvunt — Vitium arguit lectionis varietas. Gudianus *remittente se salsuginem eorum dissolvuntur.* quanquam *remittentes* inde laudet Rode. Sic etiam Wrat. Franeck. Deinde *salsuginem eorum* cum Gud. Wrat. Editio princeps. *salsugine earum* e Franeckerano laudat Bondam p. 47. *dissolvuntur* cum Gudiano Franeck. Wrat. Itaque suspicor verba ita scribenda fuisse: *salsuginem, corium dissolvunt.* Palladius male ad cameras retulit locum, ita exscribens: *camerarum quoque tectoria salso humore dissolvit.*

Digitized by Google

3.

diutius iaceant, ab sole et luna et pruina — Primum *iacent* est in Ed. pr. Franeck. Wrat. Deinde copulam *et* inter *sole* et *luna* omittit Ed. pr. Gud. Palladius sic refert ex h. l. *nam diutino sole aut pruina aut imbre vanescunt.* Vir doctus hic legi voluit *luna concoctae, pruina resolvuntur:* quod pruina nihil ad concoctionem facere videtur.

coniiciuntur — Sulp. Fran. *coiiciuntur*, Wrat. *cohiciuntur.* Deinde *contenere* Sulp.

ea ruunt — oneraque — Sulp. *ea* omisit, Wrat. vero *que.* Postea *hae in tectoriis* Sulp. Guelf. *haec* Wrat.

non sunt utiles — Contra Compendii auctor: *fossitiae itaque cum recentes sunt, tectorio operi propter pinguedinem conveniunt: fluviaticae autem propter macritatem signino operi incongruentes sunt: sed baculorum subactionibus in opere tectorio recipiunt soliditatem, in caementicias autem structuras pura arena mittatur.* Is igitur praeterea Vitruvii verba extrema sic scripta legisse videtur: *propter macritatem inutilis Signino, bacillorum* et cet. Sane ipse Vitruvius antea fossitias arenas, duntaxat recentes, tectoria permanentia efficere asseverat; hic vero *non utiles tectoriis* esse ait; scilicet, quod celerrime inarescentes rimas faciunt, quanquam tectorio permanente. Igitur sibi Vitruvius ipse obloqui non videtur. Deinde *cummixta* Franeck. Pro *bacillorum* in Gudiano est *iaculorum*, referente Rodio, ego vero *tiaculorum* scriptum reperi; *liacolorum* Codex Laeti et Franeck. apud Bondam p. 47. cf. ad Cap. 3 libri VII et Salmasii Exercit. p. 1229. Deinde *subactiones* Gudianus cum Wratisl. libro dat.

AD CAPUT V.

tum etiam de calce — Wrat. *tamen etiam — adhibunda.*

aut silice — De calce utitur etiam Plinius 36 cap. 23 *Cisternas arenae purae et asperae quinque partibus, calcis quam vehe-*

Digitized by Google

mentissimae duabus construi convenit, fragmentis silicis non excedentibus libras. Compendium Architecturae c. 9 *Calx de albo saxo vel Tiburtino aut columbino fluviatilique coquatur aut rubro aut fungia.* Palladius I, 10 *calcem ex albo saxo duro vel Tiburtino aut columbino fluvialive coquemus aut rubro et spongia aut marmore postremo.* Quorum pars aliunde accessit, nec est in Vitruvio. De silicis natura ut lectores certiores faciam, ad Graecos redeundum est. Dioscorides igitur 5, 133 calcem primum e conchis parare iubet, deinde ἐκ λίθων κοχλάκων καιομένων, tertium ex marmore usto. Idem 2, 75 lac parans ventri adstringendo, διακύροις κόχλαξιν ἐξισμασθὲν probat. ubi Plinius 28 sect. 33 calculos marinos vertit. Idem 3, 151 asplenium ait nasci ἐν τοίχοις καὶ πέτραις ταῖς ἀπὸ κοχλάκων καλινσπίοις. ubi Saracenus ordine inverso maluit scriptum πέτραις καὶ τοίχοις τοῖς ἀπὸ κ. κ. Poterat coniecturam tueri versione Plinii 27 sect. 17 *nascitur in petris parietibusque opacis, humidis.* Theophrastus h. pl. 9, 19 amare ait plantam χωρία ὀρεινὰ καὶ πετρώδη. Idem 9, 10 ferulae genus aliquod refert amare ὀρεινὰ χωρία κοχλακώδη. ubi tamen Heinsius καὶ χλοώδη dedit. Plinius 26 s. 46 no. 22 vertit: *nascitur in montuosis asperis aliquando et herbosis.* Sed ex his locis de natura κόχλακος nihil conficitur. Thucydides 4, 26 πάχληνα τὸν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ διαμώμενοι ubi dicit, calculos marinae arenae immistos intelligit. Idem enim est πάχλης qui κόχλαξ et κόχλης dicitur. Qui duriorem pronunciationem vitabant, χάλης et χάλιξ dicebant. Hesychius: χάλικες, οἱ εἰς τὰς οἰκοδομὰς μικροὶ λίθοι. i. e. parvi lapides ad usum aedificiorum. Thucydides I, 93 ubi muros crassos Piraeeum portum cingentes describit, extus in utroque latere muri collocatos fuisse ait magnos lapides ad angulum excisos, ferro et plumbo vinctos: intus vero, inquit, non inerat οὔτε χάλιξ οὔτε κηλός· quae vertunt Interpretes *neque caementum neque lutum.* Et sane in Glossario Stephani χαλικώματα hinc derivata vertuntur *caementa.* Quae convenit notio loco Geoponicorum X, 87, 5 ubi radicibus divisis indere iubent λίθου σκληροῦ χάλικα: fragmentum duri lapidis vertit Cornarius. Ex

Digitized by Google

vocabulo graeco χάληξ latina *calex*, *calecare*, et contractum *calx* cum diminutivo *calculus* facta sunt. Festus: *Calicata aedificia*, *calce polita*. *Calicatis*, *calce politis*. ad quem locum apposuit Scaliger inscriptionem, in qua est antiquo more scriptum: *horologium*, *macellum*, *basilicam calecandam coiravit*. *Calecare* igitur dixerunt antiqui, non *calicare*. Χάλιξ graecus igitur *calecem* et *calcem* latinum peperit, et non solum *calcem* sed etiam calcis fragmentum seu caementum significavit. Graecis idem est πάχλης, πόχλαξ et χάληξ vel χάλιξ; Dioscorides autem aperte 5, 133 πόχλανα de lapide calcareae naturae adhibuit; in reliquis locis πάχλανας et πόχλανας vertere solent Interpretes silices. *Silicem* autem aperte de lapide calcareo dicunt Vitruvius et Plinius. Calcis naturam in silice arguit etiam illud, quod narrat Vitruvius 8. c. 3 *Item margarita non minus saxa silicea, quae neque ferrum neque ignis potest per se dissolvere, cum ab igni sunt percalefacta, aceto sparso dissiliunt et dissolvuntur.* Deinde locus est Columellae 3, 11, 8. *est vineis amicus etiam silex, cui superpositum est modicum terrenum, quia frigidus et tenax humoris per ortum caniculae non patitur sitire radices.* Quae repetiit Palladius 2, 13. Sed sunt etiam aliae *silicis* significationes; unde multa errandi occasio oblata fuit Interpretibus. Saepiuscule enim *silex* addito aliquo vocabulo nominatur. Ita Vitruvius 8, 1. *Sub radicibus montium et in saxis silicibus uberiores et affluentiores aquae, eaeque frigidiores sunt et salubriores.* Livius I, 24 *porcum saxo silice percussit.* Quod eadem ratione dictum ut in Plauti Poenulo I, 2, 77 et 78 *lapidem silicem subigere*, *lapide silice stultior.* Item Cato 18, 3 *lapides silices* iunxit. Sed haec nunc sufficiant ad demonstrandam naturam calcaream, quae silici latino inest. De reliqua significatione iterum dicetur ad capitis 8 sect. 5.

utilis — Ita Sulp. Fran. Guelf, Wrat. pro vulgato *utilior*. Deinde *in fistuloso* Wrat. Postea *erunt extincta* Wrat. Plinius 36 s. 53 *Calcem e vario lapide Cato censorius improbat. Ex albo melior. Quae ex duro, structurae utilior, quae ex fistu-*

Digitized by Google

loso, tectoriis. Ad utrumque damnatur e silice. ex quo loco Iocundus Vitruvium incrustavit.

confundantur — Plinius 36 sect. 54 *fossitiae arenae quarta pars calcis addi debet, fluviatili aut marinae tertia. Si et testae tusae tertia pars addatur, melior materia erit.* Sulpic. h. l. cum Vatic. *infundantur*, Fran. Guelf. *infundatur*, Wrat. *continuantur* dant.

duae arenae in unam — Fran. *duo.* Sequens *in* omittit Fran. Guelf. Deinde *una* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Postea *coiciatur* Guelf. Fran. *coniiciatur* Vat. *coiiciantur* Sulp.

testam tusam — Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *tunsam.* Palladius I, 10. *Quae erit ex spisso et duro saxo, structuris convenit, ex fistuloso vero aut molliori lapide tectoriis adhibetur utilius. In duabus arenae partibus calcis una miscenda est: in fluviali vero arena si tertiam partem testae cretae addideris, operum soliditas mira praestabitur.* ubi Edd. primae *testae coctae* dant; Epitome *tostae* habet. De proportione arenae et calcis miscendarum locum Inscriptionis Puteolanae ponam infra ad Cap. 8.

2.

quod e principiis — Wrat. *quod et pr.* Deinde *ut cetera* Sulpic.

quae aquae, lenta — Wrat. *aqui lenta — terra dura.*

contusa minute mixtaque — coniiciantur — Sulp. *concussa*, Fran. *minutae*, Sulp. Guelf. Wrat. *mixta*, Guelf. Wrat. *coiciantur.* Denique *in structuram coiciantur* Wrat.

nec solidescunt — Fran. Guelf. Wrat. *non sol.* Sequens *fornacem* omittit Wrat.

tunc exustis — Franeck. dicitur habere *cum;* puto fuisse *tum* scriptum.

lapidis corpore — Wrat. *lapidibus corpore.* Sequens *exustus* ex Sulp. Guelf. Wrat. et Laeti Codice revocavit Rode in locum vulgati *exhaustus.*

Digitized by Google

ex igni vim recipiat — Sulpic. *exigui vim recepit.* Franeck. *ex igni vim recipit.* Codex Laeti: *exigui vim recipiat.* Guelf. *exignium recipit.* Wrat. *exiguum reeipit.* Sequens *et* omittit Sulp. Guelf. Wrat. Pessime et ineptissime Iocundus emendare conatus est, quae bene habent, sed alieno loco collocata. Restitui igitur in locum suum. Vulgabatur autem hic locus ita: *latentem, intinctus in aqua priusquam exeat ignis, vim recipit, et humore* et cet. Scilicet in saxo latebat calor humori, terreno et aëri mixtus, antequam humore et aëre exusto, reliquus calor ab igni vim reciperet atque se explicaret, affusa et penetrante aqua. Plura dicentur ad Cap. VII sect. 2.

refrigeratus — Wrat. *frigeratus.* Deinde *reicit* Guelf. Wrat.

3.

Ideo autem — Sulpic. *Ideoque autem.* Deinde *coiiciuntur* Sulpic. *coiciuntur* Guelf. *cohiciuntur* Wrat. Postea *exhimuntur* Wrat.

eadem magnitudine permanente — Sulpic. Franeck. Guelf. Wrat. *ea magn. perm.* Ordinem Wrat. cum Guelf. tenet hunc: *ea perm. magn.*

et raritates — Wrat. *raritatis.* Deinde *siccescendo* Wrat. Postea *coheunt* Sulp.

AD CAPUT VI.

Baianis et in agris — Sulpic. Guelf. Wratisl. *et* omittunt. Infra 5 c. 12 est: *portetur pulvis a regionibus, quae sunt a Cumis continuatae ad promontorium Minervae, isque misceatur, uti in mortario duo ad unum respondeant.* Strabo V p. 195 ed. Siebenk. de Dicaearchia: *Χειροποιητοὺς ἔχουσα ὄρμους διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου· σύμμετρος γάρ ἐστι τῇ τιτάνῳ, καὶ πόλλησιν ἰσχυρὰν καὶ πῆξιν λαμβάνει· διόπερ τῇ χάλικι καταμίξαντες τὴν ἀμμοσονίαν προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ πολποῦσι τὰς ἀναπεπταμένας ᾐόνας, ὥστε ἀσφαλῶς ἐνορμίζεσθαι τὰς μεγί-*

Digitized by Google

σταs ὁλκάδαs. Plinius 35 s. 47 *quis satis miretur — pulverem appellatum in Puteolanis collibus opponi fluctibus maris, mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis fortiorem quotidie, utique si Cumano misceatur caemento.*

Vesuvium — Wratisl. *Vesuraum.*

commixtum — Wratisl. *mixtum est calce.* Deinde Franeck. *non modico.* Postea *firmitatem* Sulpic. Wratisl.

quae construuntur — Wrat. *quae* omittit, ut sequens *hac* Wrat. Deinde *cumstruuntur* Franeck.

terra, ferventes — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *terrae.* Deinde *fluentes* Wratisl. Postea *et fontes crebri* Sulpic. Vatic. Guelf. Wratisl.

si non in imo haberent — Wrat. *sin omnino non haberent.* Deinde *e sulfure* Guelf. Wratisl. Franeck. nisi quod *sulphure* Franeck. habet.

et flammae vapor — Sulpic. *aut fl. vapor.* Deinde *quod nascitur* Sulp. Franeck. Wrat. Postea *tofus* Franeck. Wrat. Exinde *exurgens* Wrat. Sulp. Franeck. *exsurgens* Guelf. Sequens *est* omittit Sulpic. Contra *et* omittit Franeck. Guelf. Wrat.

pervenerint — Sulpic. Wrat. *pervenerunt.* Deinde *dies solvere* Guelf.

2.

in his locis — Sulp. *his in locis* habet. Deinde ante *Baianis* copulam omittit Sulpic. Guelf. Wrat. Deinde *excaveata* Wrat. Celsus 2 cap. 17. *quarundam naturalium sudationum, ubi a terra profusus calidus vapor aedificio includitur, sicut super Baias in murtetis habemus.* Eadem fere repetit 3 cap. 21. Eadem murteta memorat Horatii Ep. 15 libri 1.

manando — Wratisl. *amanando.* Deinceps Sulpic. Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. repetunt verba *fervidus ab imo nascens.* Postea *sudationem* Wrat. *sudatione* Vatic. 2. Plinius 31 cap. 1. *Vapore quoque ipso aliquae aquae prosunt, tantaque eis est*

Digitized by Google

vis, ut balineas calefaciant, ac frigidam etiam in soliis fervere cogant, quae in Baiano Posidianae vocantur.

memoratur — Sulpic. Guelf. Wrat. et Vossiani, teste Oudendorpio ad Suetonium p. 783, *memorantur* rectius habent. Deinde *sbè sumo monte* Wratisl.

nunc qui spongia sive pumex — Franeck. Wrat. *tunc.* Guelf. Wrat. *quae.* Vatic. 2 *spongia sive pumex qui Pompeianus.* Hinc dici videtur *impensa pumicea*, qua Palladius I, 13, 2 cameras inducit.

excoctus ex — *redactus* — Sulp. *excocto*, Guelf. Wrat. Vatic. *excocta.* Sequens *ex* omittit Sulpic. Postea *redacta* Vatic. Guelf. Wratisl.

3.

qui — *καταπεπαυμένοι nominantur* — Ita vulgabatur. *quae* Wrat. *cataceraunienos nominatur* Sulp. *catacaecaumae* — *natur* Fran. unde *καταπεπαυμένη nominatur* corrigit Wesseling Observ. p. 70. *catacecaumenos* — *natur* Guelf. Wrat. Verum vidit iam Philander, qui vinum catacecaumeniten libri 8 cap. 3 comparavit.

eiuscemodi — Franeck. *eiusmodi*, Wrat. *eiusdemmodi.* Deinde pro *montibus* Sulpic. Franeck. Guelf. Wrat. *omnibus* dant.

ex topho — Sulpic. Guelf. Wrat. *et topho*, Wrat. tamen *tofo* habet. Praepositionem *a* ante *calce* omittit Sulp.

4.

Igitur dissimilibus — Hinc Capitulum XII exorditur Wrat. Ad *correptis* intellige *igne* vel *incendio.*

satiata — Wrat. *sociata.* Deinde *cohire* dat.

una soliditatis — Sulpic. Vatic. Guelf. Wratisl. Laetianus *unam.*

Relinquetur desideratio — Scribendum *Relinquitur* censeo: futuri enim temporis ratio nulla potest reddi. *Desideratio* est pro consideratio. Sic utitur verbo *desiderare* Columella 9, 8, 1 et 9, 13, 1. Statim sequitur in Vitruvio *antequam desideraretur de*

Digitized by Google

his rebus, (ita enim haec sunt iungenda) *quemadmodum esse videantur, exponere.* Ceterum *quoniam item* scribendum censeo. Saepe in Vitruvii libris scriptis *ita* cum *item* permutatum est.

5.

terrosa — Verum est, quod dant Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Laetianus *terrena.* Deinde *glariosa* Vatic. Wrat.

nec minus aliis diversa — Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *non minus materie*, nisi quod Vatic. *nec minus*, Guelf. Wrat. *materia* habent. Deinde *et animo dissimili* Wrat. Postea *ut* ante *in regionum* omittunt Sulpic. Franeck. Guelf. Wrat. unde Fea corrigebat: *Non minus materia est omnino.* Qui qua ratione cetera intelligi voluerit, equidem non exputo. Mihi vetera sic placent nulla facta mutatione nisi distinctionis. Vulgabatur autem *arenosa, nec minus aliis diversa, et omnino dissimili disparique genere, ut in regionum varietatibus qualitates insunt in terra.* Quae qui intellexerit, nae! is multum me doctior et acutior sit, oportet. De *materia* statim postea dicetur.

Maxime autem id licet — Wrat. *maximeque.* Deinde Guelf. *id silicet* (sic) habet. Sequens *qua* omisit Sulpic. et *Apennius* dedit.

circum cingit — Franeck. Guelf. Wrat. *circa cingit.* Deinde *prope in omnibus* Sulpic. Franeck. Wrat.

arenaria — Plinius 36 sect. 54 *Ab Apennino ad Padum non invenitur fossitia* (arena) *nec trans maria.* Falsum tamen id esse affirmant Philander, Scamozzi et alii.

item Achaia — Wrat. *ita.* Sequens *et* omittit Sulpic. Guelf. Wrat. Deinde *nec* Sulpic. Franeck. Guelf. Wrat. *nominatur* Franeck. Guelf. Wrat.

eaedem opportunitates — *eiusdem oportunitates* Wrat. In Guelf. est *vel eiusdem opportunitatis spsit.* Deinde *si omnia* Wratisl.

non ad voluntatem — Franeck. *non ut ad.* Deinde *voluptatem* Vatic. Guelf. et liber Laeti. *voluptates* Wratisl.

Digitized by Google

fortuito — procreantur — ut fortuitu Franeck. Wratisl. *fortuitu* etiam duo Vossiani teste Oudendorpio ad Suetonium p. 410. In Guelf. *fortuitu* est supra scriptum. Deinde *procreentur* Franeck.

6.

terrosi montes — Wratisl. *terrosae.* Deinde vulgabatur: *sed lapideo genere materiae qualitatem habentes ignis vis.* Sed *lapideo* omittit Sulpic. Fran. Guelf. Wratisl. et deinceps omittunt verba *qualitatem habentes* iidem Codices. Recte libri repudiant barbaram Iocundi interpolationem. *Materiam* peculiariter nominat Vitruvius bis deinceps, ex qua combusta carbunculum fieri statuit. Sic est statim: *in Hetruria excocta materia efficitur carbunculus.* Deinde: *Est autem materiae potestas mollior quam tophus.* Columella 3, 5, 2 *ex mediocri materia in exilem translata*, ubi Aldina *terra* dedit. Idem 3, 2, 3 *pingui materia siccaque et uliginosa*, ubi iterum Aldina dedit *terra.*

eius venas egrediens — Wratisl. *enunas gradiens.* Sequens *et* omittit Sulpic. Guelf. Wrat. Deinde *quod est molle* Wrat. Postea *terrenum* pro *tenerum* dat Liber Laeti.

in Campania — pulvis — Praepositionem omittit Franeck. Guelf. Wratisl. *pulvis* pro *cinis* male est inductus a Iocundo. Nam *cinis* est in Sulpic. Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. Laetiano, et *cineri* respondet sequens *carbunculus.* Deinde *in structura* Wratisl.

mollior quam tophus — Wratisl. *molior — tofus.* Deinde *solidiorque terra* Sulpic. Postea *terrae* Wratisl.

qua — adusta — Sulpic. Guelf. Wrat. et Editiones omnes *quo — adusto*, quod vitium auctore Fea correxit Rode. Deinde *procreantur id est genus* Wratisl. habet.

carbunculus — De hoc locus est Varronis de re rustica 1, 9, 2. *carbunculus, id est, quae sole perferve ita fit, ut radices satorum comburat.* Columella 3, 11, 7 *tophum vel carbunculum* iuxta nominat. *Carbunculosum agrum nisi stercore ad-*

Digitized by Google

iuves, *macras vineas efficere dixerunt* eodem teste 3, 11, 9. Plinius 17 cap. 4 sect. 3 *terram carbunculum* nominavit. Suspicionem doctissimi nuper, eheu! Comitis de Veltheim posui in Indice Scriptorum R. R. esse tofum rubrum a Vitruvio in capite sequenti nominatum, et descriptum a Ferbero Epistolarum Italicarum p. 237 vel p. 308 versionis gallicae. Ceterum cum Vitruvii philosophia sentit Dio Cassius libri 48 cap. 51 *συμβαίνει τῆς γῆς τὸ μὲν λιπαρὸν ἐκτήκεσθαι ὑπὸ τοῦ πυρὸς, τὸ δὲ τραχὺ καὶ ὀστῶδες ὑπολείπεσθαι· σηραγγώδεις τε οὖν οἱ ὄγκοι ἐξ ἀνάγκης γίγνονται· καὶ αὐχμῷ μὲν δοθέντες ἐς πόνιν διαλύονται, ὕδατι δὲ σὺν κονίᾳ φυραθέντες συνίστανται, καὶ ἐφ' ὅσον γ' ἂν ἐν τῷ ὑγρῷ ὦσι, πήγνυνταί τε καὶ πετροῦνται. αἴτιον δὲ, ὅτι τὸ μὲν πραῦρον αὐτῶν ὑπὸ μὲν τοῦ πυρὸς ὁμοφυοῦς οἷ ὄντος ἐκτείνεταί τε καὶ θραύεται, τῇ δὲ δὴ συμμίξει τῆς νοτίδος ἀναψύχεται, κἀκ τούτου εἴσω διὰ παντὸς συμπιληθὲν ἄλυτον γίγνεται.* Addo locum Sidonii Apollinaris Carminis II versu 57 seqq.

itur in aequor
molibus, et veteres tellus nova contrahit undas.
Namque Dicarcheae translatus pulvis arenae
intratis solidatur aquis, durataque massa
sustinet advectos peregrino in gurgite campos.

ad quem locum recte admonuit Sirmondus a Strabone *ἀμμοκονίαν* vocatum pulverem Puteolanum cum calce mistum usta.

AD CAPUT VII.

Sequitur ordo de lapidicinis — Hinc Wrat. exorditur Capitulum XIII. Veterem lectionem ex Sulpic. Vatic. Fran. Wrat. restitui. Iocundus enim hic et ubicunque vocabulum est *lapicidinis* dedit, propius ad Etymologiam. Eandem scripturam sect. 3 praebet Sulp. Fran. Wrat. Sectione item 4. Vaticani cum Fran. *lapidicinis* dant, iterumque ibidem Fran. Wrat. Similiter sect. 5 Fran. Wrat. In Plinio 7 sect. 57 Cadmus dicitur *lapicidinas*

Digitized by Google

invenisse, ut est in Codice Regio 2. Sed Edd. Romana, Parmensis aliaeque vetustae cum Regio 1 et Chiffletiano *lapidicinas* habent. In reliquis locis Harduinus de scripturae varietate lectores non admonuit, Harduini morem in edendo Plinio secutus est Brotier. Festus tamen, *Lapidicinae*, inquit, *ubi lapides excinduntur.* Ita scriptum vocabulum exhibent edd. antiquae Varronis R. R. I, 2, 23 ubi Victorius e Politiani libro *lapicidinae* dedit.

ad aedificia — Omisit Sulpic. cum Wrat. ut sequens *esse* Fran. sed alia manus verbum supplevit. Postea *similibus virtutibus* Codex Laeti.

uti sunt — rubrae, Allienses — Sulpic. *ut — Pallenses.* Etiam Guelf. *Pallenses.* Wrat. *rubore pallentes.* Iocundus *Pallienses* dedit, Rode cum Fea *Allienses*, quod Pallienses aliunde ignoramus. Sed de Alliensibus lapidicinis non magis constat. Pallienses autem iterum nominantur sect. 5. Idem Fea cum Galiani deinceps *et aliae* dedit, nescio qua ratione motus. Plinius 36 s. 48. *Alia mollitia circa Romam Fidenati et Albano.* Omisit igitur rubras et Pallienses vel Allienses. Est etiam alia dubitatio, *rubrae* separandae an cum Alliensibus, Fidenatibus et Albanis iungendae sint. Editiones, quas vidi, omnes post *rubrae* ponunt incisum, solus Rode vertendo cum sequentibus iunxit. Noster sect. 5. *Cum ergo propter propinquitatem necessitas cogat ex rubris lapidicinis et Alliensibus et quae sunt Urbi proximae, copiis uti.* unde fit manifestum *rubras* sui generis fuisse, quanquam Plinius ex isto loco excerpta omnia ad *lapidem rubrum* retulerit. Deinde ipse Plinius Anicianarum silices albos pronunciat, Vitruvius autem sect. 3 *colorem Anicianarum lapidicinarum esse quemadmodum Albanarum* ait. Igitur *rubrae* nec cum *Pallienses* nec cum *Albanae* iungi potest. De Albano saxo dicam ad sect. 3.

Amiterninae — Fran. Wrat. *Ameterninae.* Fea *Antemninae* scribendum censuit, rationes non edidit.

quae sunt his generibus — i. e. quae sunt iis similes. Ita

Digitized by Google

Sulpic. Guelf. Wrat. cum Edd. Contra *regionibus* ex Franeck. et Vossiano Laeti probavit olim Fea, Rode. Sed noster sect. 2 *Tiburtina vero et quae eodem genere sunt omnia.*

nonnullae — siliceae — Wrat. *nonnulli.* Deinde revocavi *siliceae* ex Sulpic. Guelf. *Scilicinae* Wrat. *Siciliae* Vossianus Laeti. *sciliceae* dedit Iocundus, quem deseruit cum Laeto Galiani. Nomen aliquod desiderari, quod non genus saxi, sed regionem designet, probabilis est opinio Rodii, cuius tamen coniectura, *Scylaceae*, praeter similitudinis syllabarum speciem aliquam nihil habet, quo se lectoribus commendet. In Plinio nulla est subsidii spes, qui totum hoc membrum omisit. *Siliceas* credo esse naturae calcareae. De ea silicis significatione dixi ad Caput 5 et dicetur iterum infra ad sect. 2.

ruber et niger tophus — Sulp. Guelf. Wrat. *rubrum et nigrum tophum.* Deinceps *Umbra* Wrat. *in Venetia* Guelf. Wrat. Postea *albet quod* Sulp. *album quod* Guelf. Etiam Wrat. et Fran. *quod* dant. Plinius: *In Liguria quoque, Umbria et Venetia albus lapis dentata serra secatur.* Additur *dentata*, quia marmora non dentata secantur, arenis dentium vices subeuntibus, ut admonuit Philander. De topho dixi ad Columellam 3, 11, 7 p. 159. Comparet etiam lector Ferberi Epistolas Italicas p. 309 versionis gallicae, p. 236 ed. germanicae.

2.

cum sunt — Sulp. *cum sint.* Deinde *faciliter* Vatic. Fran. Guelf. Wrat. quod praetuli vulgato *facillime.*

et si sint — Fran. Guelf. Wrat. *sunt.* Deinde *sustineant* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Postea *si autem* Wrat. *pruina* Sulpic. Guelf. Wrat. Fran. et Vossiani teste Oudendorpio ad Apuleium p. 775. Iocundus *pruinis* induxerat. Plinius: *Hi tractabiles in opere laborem quoque tolerant, sub tecto dumtaxat; aspergine et gelu pruinisque rumpuntur in testas, nec contra humores et auram maris robusti.*

Digitized by Google

congesta friantur — Wratisl. *congresta.* Deinde *fricantur* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. In verbo *congesta* vitium esse videtur. Desideratur notio verbi, quae vim vel compressionis vel ruptionis significet: quanquam compressio vel ruptio in gelicidiis et pruina tam magna cogitari vix potest. *Congestionem* tamen a pondere factam habet Vitruvius infra libri 6 cap. 11. ubi nos pressionem dicimus, *den Druck.* Columella 3, 11, 7. *quis enim nescit etiam durissimum tophum vel carbunculum, simulatque sunt confracti et in summo regesti, tempestatibus et gelu nec minus aestivis putrescere caloribus ac resolvi?*

oras maritimas — Fran. *oram maritimam,* Guelf. Wrat. *ora maritima.* Deinde *ex ea* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Postea *defluunt* Sulp. *proferunt* Wrat.

Tiburtina — Wrat. *Tybertina.* Sequens *a* ante *tempestatibus* omittit Sulp. Wrat.

simulque ut — Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *ut* omittunt. Deinde *tecta* Wrat. Postea *dissolvunt* Vaticanus 2.

ideo quod — Sulp. *ideoque.* Deinde *natura* Fran. a prima manu scriptum habet.

item quod — Fran. Guelf. Wrat. Vossianus Laeti *itemque.* Plinius: *Tiburtini ad reliqua fortes e vapore dissiliunt.*

et humor et terrenum — Copulas omisit Sulp. *terrenus* dat Guelf. cum Wrat. Sequens *minus* neutro genere ad *terrenum* referendum est.

tactu et vi — Sulp. *actu.* Eadem *insequens intervenarum* dat, omissa copula *et.* Etiam Fran. Wrat. Vatic. dant *intervenarum.*

efficit ea — corporibus — Sulpic. Wrat. *efficit a — corporis.* Fran. omisso *ea* a prima manu scriptum habet *corporis.* Locum ita vertit Galiani: *vi prende forza e comunica loro la sua calda qualità.* Rode similiter: *erhitzt sie, und theilt ihnen bald seine ganze Glut mit.* Quam sententiam qua ratione viri docti ex verborum serie et structura sane difficili, sine dubio etiam vitiosa, exsculpserint, equidem excogitare non potui.

Digitized by Google

Manifestum esse puto, quod a viris doctis tamen non esse animadversum miror, *ignem* a Vitruvio h. l. non dici ardentem; nam eum *flammam*, *vaporem*, *flammae vaporem*, et *ignem ardentem* dicere solet. Nunc vero de principiis saxorum loquens, ignis principium dicit, quod alibi *calorem latentem* dixit. Is est in corporibus saxorum inclusus, et quamdiu terreno, humori et aëri permixtus haeret, latet, et vim suam vapore non exercet vel ostendit ardens; sed posteaquam flamma exusto humore atque educto aëre liberatus est, statim tactus ab ignis externi vapore confervescit, insequitur et occupat interveniorum raritates, et corpora saxorum efficit ardentia. Ignis autem ardens, quem Interpretes intelligi voluerunt, qui dici potuit *fervescere?* Contra latens simulac ab externa flamma contactus fuerit, exardescit et fervescit. Sic cap. 6 est de pulvere Puteolano: *calida humoris ieiunitas aqua repente satiata, communibus corporibus latenti calore confervescit, et vehementer efficit ea coire celeriterque unam soliditatis percipere virtutem.* Vides humorem corporibus inclusum a latenti ibidem et concluso calore confervescere, posteaquam scilicet flamma fornacis liquorem eripuerat fere omnem. Multo manifestior est locus de calce cap. 5. *Ergo liquor, qui est in eius lapidis corpore, et aër cum exustus et ereptus fuerit, habueritque in se residuum calorem latentem, priusquam ex igni vim recipiat, intinctus in aqua et humore penetrante in foraminum raritates confervescit et ita refrigeratus reiicit ex calcis corpore fervorem.* Una est horum duorum locorum diversitas in eo, quod liquor a flamma exustus et calefactus, cum humore extrinsecus penetrante mixtus, a calore antea latente confervescere dicitur; hic vero Vitruvius in saxo ait, aëre fugato vi vaporis seu flammae, ignem id est calorem, latentem antea, nunc vero contactum a flamma, statim fervescere, intervenia et raritates corporum insequentem occupare et corpora ipsa ardentia efficere. Denique uti calcem Vitruvius ait plurimum *ignis et aëris habere*, ita saxum Tiburtinum eadem principiorum mixtura esse affirmat: ex qua ipsa, ut ex effectu, quem ignis

Digitized by Google

exercet flamma in saxo Tiburtino, apparere puto, saxum Tiburtinum esse calcis natura, id est *siliceae* naturae. Silicem enim de calcareo saxo dici supra vidimus. Itaque demum sic constare videtur mihi, quae Vitruvio dicantur *lapidicinae siliceae*. Silicis naturam arguit etiam locus Ovidii Metamorph. I, 107 *terrena silices fornace soluti concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum*. Statius Silv. 3, 1, 122. *indomitusque silex curva fornace liquescit*. Superest tamen difficultas in verborum structura, quae qua ratione tolli possit, equidem nondum excogitavi.

3.

Sunt vero item — Wratisl. *item* omisit. Deinde *Anicianae* Franeck.

colore quemadmodum — Intersertum a Iocundo *quidem* omisi cum Sulp. Guelf. Wrat.

quarum officinae — Sulp. Guelf. Wrat. *quorum off.* Deinde *maximae* Sulp. Postea *Volsiniensem* Wrat. quae scriptura dominatur nunc in Plinio et Columella 8, 16, 2. ubi vide annotationes.

Statoniensi — Sulp. Guelf. Vatic. Fran. Laeti Vossianus *Statonensi*, Wrat. *Statonionensi*, qui videtur geminam scripturam voluisse significare. Eadem varietas lectionis est in Varrone de R. R. 3, 12. ubi vide annotationes.

Eae autem — Sulpic. Fran. Guelf. *Haec*, Wrat. *Hac*. Sequens *his* omittit Sulp.

neque tactus ignis — Ad hoc idem genus pertinet lapis Gabinus, de quo Tacitus Annalium 15, 43 ubi de Nerone est: *aedificiaque ipsa* (Romae) *certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanove solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est*. Strabo 5 p. 238. (p. 173 ed. Siebenk.) Gabios, oppidum, in via Praenestina situm, ait habere λατόμιον ὑκουργὸν τῇ Ῥώμῃ μάλιστα τῶν ἄλλων. De saxi Albani dignitate locus est Ciceronis apud Quinctilianum Inst. 5, 13, 40 ex quo fit manifestum Albanas columnas in porticibus domûm viliores fuisse. Cum Scauri columnas per urbem plaustris vectas esse dixisset, *ego*

Digitized by Google

porro, inquit, *qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi.* Suetonius Augusti cap. 72 *habitavit in Palatio — aedibus modicis Hortensianis et neque laxitate neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum.*

sed sunt firmae — et permanentes — Sulp. Fran. Wrat. *sed est.* Deinde *firma* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *permanens* Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Denique *habet* Sulp. Vatic. Fran. Guelf.

mixtione — Wrat. *mixtionem.* Deinde *spissis comparationibus* Sulp. Guelf. Postea *solidata* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Denique *nocetur* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

4.

namque — Sulp. *nanque.* Sequens *et* ante *statuas* omittit Sulp. Wrat. Postea *eliganter* Wrat. Denique *uti si sint facta modo* Wrat. Plinius 36 sect. 49 *nigri silices optimi, quibusdam in locis et rubentes, nonnusquam vero et albi, sicut in Tarquiniensi Anicianis lapicidinis circa lacum Volsiniensem, et in Statoniensi sunt, quibus ne ignis quidem nocet. Iidem et in monumentis scalpti contra vetustatem quoque incorrupti permanent. Ex iis formae fiunt, in quibus aera funduntur.*

fabri — Wrat. *faber*, deinde *formas comparatas habent ex his.* Contra Fran. Vatic. 2. et Laeti Vossianus omisso item *et* dant *formis comparatis habent ex his.* Copulam *et* cum et Sulp. Guelf. omittant, vulgatam scripturam *formas habent comparatas et ex his* abiiciendam censui.

opera perficerentur — Sulp. *efficerentur.*

5.

propter propinquitatem — Vatic. 2. *utilitatem* dat. Deinceps *Palliensibus* ex Sulp. et reliquis libris editis et scriptis restitui, ubi *Alliensibus* iterum cum Fea Rode edidit.

si qui voluerint — Fran. Guelf. Wrat. *si qui voluerit.* Deinceps *quae autem eo biennio a tempestibus* Guelf. Wrat. Postea *laesi* Wrat. *laesa fuerunt* Sulp.

Digitized by Google

coniiciantur: — ab natura — coiiciantur Sulp. *coiciantur* Guelf. *coinciantur* Wrat. Deinde *a natura* Sulp. Plinius: *Remedium est in lapide rubro, aestate eum eximere, nec ante biennium eum inserere tecto, domitum tempestatibus. Quae ex eo laesa fuerint, in subterranea structura aptantur utilius, quae restiterint, tutum est vel coelo committere.* ubi ante Harduinum legebatur *in lapide dubio.*

AD CAPUT VIII.

reticulatum — Sulpic. *recticulatum.* Plinius 36 s. 51. *Reticulata structura, qua frequentissime Romae struunt, rimis opportuna est.* Ante Harduinum erat *Dictyotheton vocant reticulatam structuram, qua fr.* Sed cum Pintianus in Codice Toletano *diamechon* scriptum reperisset, *diamicton* inde fecit, et loci interpunctionem mutavit, vocabulo *Diamicton* translato ad antecedens structurae genus. Harduinus coniecturam statim arripuit eumque secutus Brotier, *Diamicton* interpretati ex graeco διὰ μικτῶν. Dura est Plinii conditio, si lectionem vulgatam non absurdam omnino, sed cum re satis apte congruentem vel unius libri scripti ex auctoritate licebit immutare, in quo tamen nisi obscura lectionis diversae vestigia non insunt. Διατύθετον ipsum etsi alius scriptoris auctoritate et exemplo hodie in tanto librorum antiquorum naufragio tueri non licet, analogiae tamen non est contrarium, et si latino *reticulato* similius volueris efficere, levi mutatione id efficies scripto διατωτὸν, quod maiusculis litteris perscriptum ΔΙΚΤΤΟΟΤΟΝ parum differt a ΔΙΚΤΤΟΘΕΤΟΝ.

sed ad rimas faciendas — Sola Laeti Editio errore, credo, dedit *ruinas.* Deinde Guelf. Wrat. *cubicula.*

Incerta caementa — id est genus structurae incertum vocatum, quod ex caementis struitur incertis. Habes simul causam nominis, quare genus hoc structurae dicatur *incertum*, cui vocabulo Perraltus voluit substitui *insertum*, lectione vulgata *imbricata*, quae statim sequitur, cui *implicata* nunc ex Codd. substi-

Digitized by Google

tuta fuit, in eam coniecturam inductus. Sed gravior est viri docti error in eo, quod *incertum* genus velut alteram speciem retulit ad *reticulatum*, atque utramque speciem contineri putavit eo genere, quod saxis quadratis struitur. Errorem Perralti satis bene coarguit Galiani, in eo tamen ipse cum illo errans, quod genus *incertum* putavit minutissimis caementis strui voluisse Vitruvium, cum ruinae parietum eiusmodi hodieque superstitum saxa vel caementa monstrent ingentia sibi invicem iuncta atque implicata. Scilicet verba Vitruvii *utraque ex minutissimis sunt instruenda* male vertit: *Ambedue queste fabbriche bensì si hanno a fare di pierre piccolissime:* quem secutus, ut fere semper, Rode similiter dixit: *Beyde muſs man aus sehr kleinen Steinen verfertigen.* Aliud enim est *struere parietem*, aliud *instruere;* quod discrimen deinde accuratius enarrabo. Quo exemplo potest constare, sermonis latini proprietatem Interpretem Vitruvii primam omnium rerum callere oportere, si opera ab eo tradita eorumque fabricam recte et intelligere et iudicare voluerit. Incertum hoc genus simul dicitur *antiquum*; et videtur omnino omnium fuisse antiquissimum etiam apud Graecos. Testem habeo Pausaniam 2, 25, 7. ubi Tirynthos, antiquissimae urbis Argolicae, ruinas describit his verbis: *τὸ δὴ τεῖχος, ὃ δὴ μόνον τῶν ἐρειπίων λείπεται, Κυκλώπων μέν ἐστιν ἔργον, πεποίηται δὲ ἀργῶν λίθων, μέγεθος ἔχων ἕκαστος λίθος, ὡς ἀπ' αὐτῶν μηδ' ἂν ἀρχὴν κινηθῆναι τὸν μικρότατον ὑπὸ ζεύγους ἡμιόνων. λιθία δὲ ἐνήρμοσται πάλαι, ὡς μάλιστα αὐτῶν ἕκαστον ἁρμονίαν τοῖς μεγάλοις λίθοις εἶναι.* in quibus verborum structura adeo laborat, ut mirer, Interpretem nuperrimum tacere. Verba primum *ἀπ' αὐτῶν* aut abundant, aut alieno loco collocata retrahi debent ad antecedentia, quae sic sunt corrigenda: *πεποίηται δὲ ἀπ' αὐτῶν ἀργῶν λίθων, μέγεθος ἔχοντος ἑκάστου λίθου, ὡς μηδ' ἂν ἀρχὴν*, i. e. structus est murus lapidibus rudibus, tanta magnitudine, ut ne minimus quidem eorum a iugo mulorum omnino moveri possit. Lapilli autem iam olim inserti fuerunt his saxis ita, ut singuli iuncturam magnorum firment. Hoc est scilicet illud, quod ait Plato

Digitized by Google

Legum X p. 103 ed. Bipont. *οὐδὲ γὰρ ἄνευ σμικρῶν τοὺς μεγάλους φασὶν οἱ λιθολόγοι λίθους εὖ κεῖσθαι.* i. e. lapides quoque magnos sine parvis bene strui negant fabri. Idem Pausanias 1, 37, 4 commemorat *τεῖχος ἀργῶν λίθων θέας ἄξιον.* Hos eosdem *ἀργοὺς λίθους* antiquissimos Graecos instar simulacrorum deorum fuisse veneratos tradit Idem 7, 22, 3 quo in loco simul memorat aram *λίθων λογάδων*, i. e. lapidibus seu silicibus sine calce harenato structam. Quod structurae genus Graeci proprie *λιθολόγημα* dixerunt, et fabros *λιθολόγους*. Silex aequatus vel caementum aequatum graece *λίθος σύννομος* dicitur; quem habes in fragmento Polybii apud Suidam et in Strabonis libro 5 p. 167 Sieb. *οἱ δὲ ὑπόνομοι συννόμῳ λίθῳ καταπαμφθέντες*, i. e. cloacae caemento aequato instar fornicum structae. ubi de hoc vocabulo bene disputavit Casaubonus.

Postea quam haec scripseram, vidi in eundem errorem, quem in Perralto, Galiano et Rodio reprehendi, contagione quadam exemplorum alienorum aut versionum inductum Gallum *Petit-Radel* impediisse et paene obstruxisse sibi viam, quam affectabat ad perquirendam antiquissimam Pelasgorum historiam, insistens vestigiis structurae antiquissimae, quam polygonam irregularem appellat, per Graeciam et Italiam dispersis et in ruinis antiquissimorum oppidorum et monumentorum reliquis. Ponam ipsa verba excerpta ex relatione virorum doctorum, qui de conatibus civis sui antiquariis ad Institutum litterarium Parisiense praeiudicium suum detulerunt, positum in Ephemeride Milliana: (*Magasin Encyclopédique An* 8 *No.* 12 *p.* 521.) *Il est clair que la construction polygone irrégulière n'a aucun rapport avec l'opus incertum de Vitruve. Le C. Petit-Radel a prouvé que dans la construction dont Vitruve nous parle, il n'entroit que des pierres d'un très-petit volume, afin que ces pierres, formant une espèce d'amalgame avec le ciment, pussent contracter une adhérence plus forte. La construction polygone irrégulière présente, au contraire, des masses de rochers, avec une superficie lisse, depuis* 1 *metre* 4 *decimetres, jusqu'à* 5 *metres environ*

Digitized by Google

d'étendue, à l'extérieur du parement du mur. Le trait de la coupe de ces masses est correct et soigné; mais leur contour irrégulier décrit des angles divers, d'une ouverture très-inégale. Les pierres ne sont jointes par aucun ciment et ne doivent qu'à leur propre gravitation leur extrême solidité.

Huius generis structuram reperit in porta et coniunctis muris Mycenarum hodieque reliquis et in pluribus antiquae Graeciae ruinis, quas accurate descripserunt et delinearunt Galli curiosissimi antiquitatis graecae, *Choiseul-Gouffier* et *Fauvel*, quod testatur eadem virorum doctorum relatio ibidem p. 525.

seque implicata — Vulgatum *imbricata* recte mutavit Rode. Franeck. *se quae implicata* dat, verum etiam Laeti Codex Vossianus et Regius Salmasii p. 900.

2.

ex minutissimis — Intellige *caementis*. Male Wrat. *minutissima*. Deinde *continetur* Franeck. Verbum *instruere* in eo discrepat a *struere*, quod hoc de structura ordinaria parietum vel frontium, orthostatarum, illud de medio cavo parietum dicitur, quod vel caementis farcitur, vel structura ordinaria completur, vel taleis aut ansis perpetuis in crassitudinem religatur. Sic est libri 1, 5, 3 *taleae oleagineae perpetuae in crassitudinem instruantur*. 5, 9. *structiles cloacae fiant, inque earum parietibus tubuli instruantur inclinati — propter tubulorum in cloacas instructionem*. Usum verbi non satis bene explicuit Salmasius Exerc. p. 268. 269.

Molli enim et rara potestate cum sint — Caementis igitur lapidum mollium, veluti Palliensium, Fidenatium, Albanorum et Gabinorum (vide ad Cap. 7) struebatur opus reticulatum et incertum.

e materia succum — Guelf. *sucum*. Materia in hoc capite semper est mortarium ex calce et arena mistis factum.

superarit et abundarit — Wrat. *superaverit et abundaret*. Deinde *partis* pro *paries* habet.

Digitized by Google

continebitur — Sulp. Guelf. Wrat. *continetur*, quam scripturam si probaveris, etiam *fit* scribendum erat.

fuerit excuta, calx quoque — Ita vulgatum *fuerit excuta, tum calx ab arena discedens dissolvitur: itemque — cohaerescere* correxi. Sulp. dat: *exusta calx quae ab arena discedat et dissolvatur, item caementa n. p.* Fran. *exsuta calxque ab arena discedat et dissolvatur, item caem. — cohaerere* teste Wesselingio Observ. p. 70 qui in Vitruvio *exusta* legi voluit. At Friesemann ex Fran. apposuit *exsuta calx quoque ab harena discedit et dissolvitur. item caementa.* Guelf. *exsuta* (*exuta* Wratisl.) *calxque* (*calx quae* Vatic. Wrat.) *ab arena discedat et dissolvatur, item caem. n. p. c. h. cohaerere* Guelf. Wrat. Vatic.

in vetustatem — ruinosos — Wrat. *venustatem — rimosas.* Supra sect. 8 in simili sententia erat *in vetustate.*

3.

calcata farturis — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *structuris* dant.

excuta raritate — Sulp. *extructa*, Guelf. Wrat. *exstructa.* Deinde *ob ruina dissolutus* Wrat. *a ruina* Sulp.

4.

Quod si quis — Guelf. *Quod si qui.* et sic Franeck. ubique scriptum *qui* habere dicitur.

orthostatas — Vatic. 2. *orthostrotas* habet: Laetus *orthostratas* dedit. Galiani *le due fronti* recte vertit; ipse enim Vitruvius deinceps *frontes* appellat; et sic est libri I cap. 5 sect. 3 de muris urbium: *tum in crassitudinem perpetuae taleae oleagineae ustulatae quam creberrimae instruantur, uti utraeque muri frontes inter se quemadmodum fibulis, his taleis colligatae aeternam habeant firmitatem.* Pessime contra Rode *zwischen den Strebepfeilern*, Baldi scilicet interpretationem secutus, cum Philander voluisset esse coria erecta, secundum quae excitandi bipedales parietes. *Frontes* Rode vertit *Füttermauern.*

Digitized by Google

aut e silicibus ordinariis — Ex Guelf. Wrat. Fran. *ex* addidi. De silicibus ordinariis statim postea dicetur.

struat bipedales — Wrat. *servat.* Vatic. 2 *pedales.* Deinde *cum his ansis ferreis et plumbo frontes vinctae sint* dedi cum Sulp. Guelf. Wrat. Iocundus enim et qui eum secuti sunt Editores *his* omiserunt. Sulp. etiam *iunctae sunt* habet. Galiani vertit: *collegare le fronti con ramponi di ferro impiombati.* Sic etiam Rode. At vera librorum optimorum scriptura vult frontes cum pariete bipedali medio coniungi ansis ferreis. Factum id in muris crassissimis, quibus Themistocle suadente Athenienses portum Piraeeum cinxerant, testatur Thucyd. I c. 93 quem locum totum huc apponam: *δύο γὰρ ἅμαξαι ἐναντίαι ἀλλήλαις τοὺς λίθους ἐπῆγον· ἐντὸς δὲ οὔτε χάλιξ οὔτε πηλὸς ἦν, ἀλλὰ ξυνῳκοδομημένοι μεγάλοι λίθοι, καὶ ἐντομῇ ἐγγώνιοι, σιδήρῳ πρὸς ἀλλήλους τὰ ἔξωθεν καὶ μολίβδῳ δεδεμένοι*: quae vertuntur vulgo ita: *nam duo plaustra per murum occursu adverso saxa portabant: intus vero neque caementum neque lutum erat, sed magna et ad normam incisa et quadrata saxa coagmentata et extrinsecus ferro plumboque inter se vincta.* Ineptissime, quasi de muro iam exstructo sermo esset. Verte: *nam duo plaustra sibi contraria seu adversa lapides adducebant.* Thucydides ita voluit saxorum magnitudinem significare, quae in orthostatas vel frontes conferebantur, et plaustralia saxa dicere. Vocabulum *ἐγγώνιοι* Scholia graeca male interpretantur *τετράπλευροι, τετράγωνοι,* quadrangulos, quadratos. Ita vides structuram murorum Piraeei plane convenire cum ea quam suadet Vitruvius, cuius loco lux affunditur hinc larga. Similis est locus Dionis Cassii 74 cap. 10 de muris Byzantii: *ὅτε γὰρ θώρακι αὐτῶν λίθοις τετραπέδοις παχέσι συνῳκοδόμητο, πλαξὶ χαλκαῖς συνδουμένοις, καὶ τὰ ἐντὸς αὐτοῦ καὶ χώμασι καὶ οἰκοδομήμασιν ὠχύρωτο, ὥστε καὶ ἓν τεῖχος παχὺ τὸ πᾶν εἶναι δοκεῖν, καὶ ἐπάνωθεν αὐτοῦ περίδρομον καὶ στεγανὸν καὶ εὐφύλακτον ὑπάρχειν.* De iisdem Herodianus 3, 1, 6 *περιτετείχιστό τε γενναίῳ καὶ μεγίστῳ ἡ πόλις τείχει, πεποιημένῳ μυλίτου λίθου εἰς τετράγωνον εἰργασμένου, τοσαύτῃ τε συναφείᾳ καὶ πολ-*

Digitized by Google

λήσει, ὡς μηδένα οἴεσθαι τὸ ἔργον σύνθετον, ἑνὸς δὲ λίθου πᾶν πεποιῆσθαι. Herodotus I, 186 Semiramin pontem Babylone struxisse ait δέουσαν τοὺς λίθους σιδήρῳ τε καὶ μολίβδῳ. Diodorus autem 2 cap. 8 de eodem ponte refert: τοὺς δὲ συνερειδομένους λίθους τόρμοις σιδηροῖς διελάμβανε καὶ τὰς τούτων ἁρμονίας ἐκλήρου μόλιβδον ἐντήκουσα. Plumbi hunc usum memorat Procopius de Aedific. I, 1. ubi pilarum structuram describit, quibus fornices templi Sophiae sustinebantur: λίθων ἐπιβολὴ ἐν τετραγώνῳ (forma pilarum quadrata) διαπεπόνηται, σκληρῶν μὲν φύσιν, ἐργασίαν δὲ λείων, ἐκτομὴν δὲ (ita caesorum) εἰ μὲν τὰ προὔχοντα ποιεῖσθαι τῶν τοῦ λόφου (pilae) πλευρῶν μέλλοιεν, ἐγγωνίων, εἰ δὲ τὴν μεταξὺ πεπλήρωνται χώραν, ἐν τετραπλεύρῳ γεγενημένων· συνήρμοσε δ' αὐτοὺς οὐ τίτανος ἀλλὰ μόλυβος ἐς τέλμα χυθεὶς καὶ μεταξὺ πανταχόσε χωρήσας τῶν τε λίθων τῇ ἁρμονίᾳ ἐντετηκὼς καὶ συνδέων ἀλλήλοις αὐτούς.

acervatim — Wrat. *acervati.* Poterat Vitruvius dare *acervatum.* Deinde *cubicula* Wrat. qui verba *et iuncturis — orthostatas* plane omisit.

religatos — patientur — Wrat. *religatas.* Deinde *patiuntur* Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

5.

Itaque — contemnenda — Wrat. qui hinc Capitulum XV exorditur, dat *contempnenda.* Sequentia verba *Non enim* omisit Fran.

structura polita — Sulpic. *structura* omittit, cum reliquis Edd. vocabulum primus addidit Rode, cum quo facit Guelf. Deinde *pollita* Wrat. Galiani vertit: *non si servono di cementi fragili.* Rode: *sie bedienen sich nicht durchaus glattgehauener weicher Bruchsteine.* Sed *structura polita* diversa est a *saxo polito;* quanquam etiam sect. 7 *frontes poliuntur* vertit Rode: *blofs die Futtermauern werden glatt gehauen.* At idem Rode libri 7 cap. 2. 3. 4. 7. 9. *polire, politionem, polituram* vertit *polieren, Bekleidung, Putzanstrich.*

cum discesserunt — Sulp. Guelf. Wrat. *discesserint.* Galiani

Digitized by Google

vertit: *ma nelle fabriche, che non richiedono pietre quadrate.* Rode: *wenn sie von den Quadersteinen abgehn.* Newton: *in the middle part of the walls, where the square facing stones were discontinuated* interpretatur. Mihi Galiani ratio potior videtur, quam et vocabulum isodomum et pseudisodomum mox explicandum, confirmare videtur: nec in ea structura orthostatarum vel frontium fit mentio, ut in altero genere Graeco, quod ἔμπλεκτον appellatur. Neutoni opinionem si sequaris, *discesserunt* dictum pro *recesserunt* esse statuere oportet.

seu de lapide duro ordinario — Praepositionem *de* omittunt Fran. Guelf. Wrat. Deinde *ordinaria* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. et Regius Pariens. Salmasii Exercit. p. 870 dederunt, quod vulgato, Iocundi invento, *ordinariam* praetulit etiam Salmasius; τὰ ἐγχόρηγα, aedificia ordine structa interpretatus. Noster sect. 4 *parietes bipedales struit e saxo quadrato aut testa aut silicibus ordinariis:* i. e. ordine eo, quo vulgo lateres, structis. Scholiastes Iuvenalis ad Satyram X, 170 *quum tamen a figulis munitam intraverit urbem* haec habet, memorante Salmasio: *Babylonem significat Persarum civitatem, quam condidit Semiramis Nini uxor, et coctili latere munivit, quem hodie dicimus ordinarium lapidem.* Scilicet, ut egregie Salmasius p. 869. 870 docuit, *ordinarius lapis* proprie *later*, et *ordinaria structura* (quae tamen ex hoc solo Vitruvii dubio loco innotuit) ex lateribus facta dicebatur ab ordinibus alternis, quibus lateres construebantur ita, ut superiores coagmenta inferiorum tegerent et firmarent. Hos ordines Graeci vocabulo proprio δόμους vocarunt, ut apparet ex loco Herodoti I, 179 de muris Babylonis: καὶ διὰ τριάκοντα δόμων πλίνθου ταφοὺς παλάμων διαστοιβάζοντες. ubi Salmasius διὰ τῶν ἰσοδόμων πλίνθων aut διὰ τῶν ἑπάστων δόμων πλίνθου satis probabiliter scribi voluit. Eadem notione δόμοι sunt in loco Polybii X, 22. Diodori Siculi I, 64 cum quibus compara locum Thucydidis III, 20. Hinc recte Salmasius Graecorum structuram ἰσοδομον et ψευδισόδομον explicavit; ea enim, ubi ordines laterum pares et aequales erant, ἰσοδομος appellabatur. Male vulgo Interpretes et

Digitized by Google

Indices Vitruviani vocabulum interpretantur. Latini vocabulo graeco usi ordines laterum *choros* dixerunt. Ita dixit *choros* laterum Vitruvius 2, 3, 4. Idem vocabulum transtulerunt ad parietes saxis quadratis aut silice more lateritiorum structos, uti utrumque genus, laterem scilicet et silicem eodem ordine collocatum, ordinarium appellaverunt. *Χορὸν* Graeci antiquiores num eodem sensu dixerint, hodie non constat; sed recentiores derivatum inde *ἐγχόρηγος* adhibuerunt ad eum laterum ordinem significandum, ut certis scriptorum locis allatis demonstravit Salmasius. *τοῖχον ἐγχόρηγον* Harmenopuli illustrat locus Anonymi apud Suidam de Semiramide: *πτίσασα καλάτια ἐπὶ ὑψωμάτων ἐγχορήγων ἠσφαλτωμένων*. Achmetis Oneirocritici interpres graecus cap. 145 *πτίσμα ἀπὸ βησάλου ἐγχορήγου*; Graeci enim recentiores laterem coctum *βήσαλον* vocant. Constantinus de Themat. cap. 29 *τεῖχος ἀπὸ βησάλων ἐπτισμένον* distinguit addens *οὔτε ἀπὸ ἐγχορήγου, ἀλλ' ἀπὸ λίθων τετραπεδίσκων*. Is igitur silicem ordinarium *ἐγχόρηγον* dicit. Hinc ductos *choros*, et *chororum ordines* Vitruvii primus Salmasius illustravit. Sed *ordinariae structurae* exemplum aliud non attulit; igitur levissima mutatione *ordinaria* converti in *ordinario*. Plinius silicem seu lapidem durum ordinarium Vitruvii ita expressit: *Graeci e lapide duro aut silice aequato construunt veluti lateritios parietes: cum ita fecerint, isodomum vocant genus structurae: at cum inaequali crassitudine structa sunt, pseudisodomum.* ubi ante Harduinum erat *et silice*. Toletanus Pintiani Codex dat: *silice aequo struunt*. Harduinus etiam post Salmasium, *lapidem aequatum* et *isodomum* ineptissime interpretatur. Civis Salmasii Du Cange in Glossario Graecit. plura quidem scriptorum loca apposuit, sed ipsum opus *ἐγχόρηγον* quo sensu diceretur non intellexit, et temere Salmasio obloçutus est.

alternis choris — Sic scribendum censuit Salmasius p. 870 b. Libri nostri scripti tacent. *choriis* dedit Laetus. Deinde *efficiunt virtutes* Sulp.

Digitized by Google

6.

Isodomum — Wratisl. *Ysodomum*, deinde *pseudisomum*, iterumque paulo post. Ex qua Philandri editione Galiani *Isaecodomum*, *Pseudisaecodomum* apposuerit, equidem ignoro. A δόμοις i. e. ordinibus laterum aut silicum aequalibus hoc genus dici structurae ordinariae antea docui. Species id habet duas, alteram ἰσόδομον, alteram ψευδισόδομον dictam. Postea Franeck. *Hisodomum* scriptum habet. Ciseranus ex Codd. *Hisogonium* et *Pseuisogonium* annotavit.

choria — Vulgatum *coria* recte sic iubente Salmasio correxit Laet, idem tamen inepte statim *coriorum* relinquens, ubi etiam Sulpic. *choriorum* dat. Ceterum de forma ipsa subdubito vocabuli. Quid enim causae fuisse Vitruvio dicamus, cur modo *choros* interdum *choria* diceret? χόρειος adiectivum deposcit additum vocabulum, quod quale adiungendum *chorio* sit, equidem comminisci non possum.

neque — exugere — Wrat. *neque* omittit, *exsugere* dat Guelf. Sequens *eam* dedit Iocundus pro *ea* Sulp. Guelf. Wrat.

religata continent — Laeti Codex *religatam* dat, quod defendi poterit.

7.

quam ἐμπλεκτον appellant — Rationem nominis primus explicuit Salmasius Exercit. p. 869. ἐμπλέκεσθαι dicuntur mulieres, cum capillos in fronte comunt; hinc ἐμπλέκτρια, ornatrix capillorum ancilla.

Quorum frontes — Intellige *parietum*, quanquam id vocabulum proxime non antecessit. Deinde *reliqua ita nata sunt* Sulpic.

celeritati studentes — Wrat. *celeritate*. Deinde *erecta collocantes* omisso *coria* Sulp. Vatic. 1. Guelf. Wrat. et Codex Laeti. In Guelf. est *conloçantes* supra scriptum *colloc.* Ex codice Salmasii Exerc. p. 870 *erectos choros* adscivi in locum vulgati *erecta coria.*

Digitized by Google

farciunt fracturis — *faciunt* Wrat. Vatic. 2. et a manu prima Fran. Deinde *factis* Sulp. Guelf. Wrat. Fran. Vatic. 2. Sequens *separatim* errore operarum transiit in *separatis* in Rodiana.

ita tres — Sulp. *itaque tres.* Deinde *mediae farcturae* ex Philandro annotavit Galiani. Sed Argentoratensis ut Iocundi habet *media farcturae.* Sed in margine Laetianae *mediae* annotatur ex Codice aliquo. Sequens *plana* Vatic. 1 mutat in *plena*, quod arreptum unice probandum censuit Rode in annotatione apposita ad versionem hanc: *sie mauern gleich das Ganze massiv auf, richten es aber so ein, dafs der innern und äufsern Steinreihen horizontale und perpendikulare Fugen nicht auf einander treffen, sondern wechseln.* Nec rectius Galiani: *fabbricano anche il di dentro con pietre spianate, e vanno con reciproche morse legando la larghezza de' muri per tutta la loro lunghezza.* Uterque non animadvertit *plana* opponi *erectis.* Sed *erecta coria locantes* vel potius *erectos choros* paulo antea Galiani vertit: *alzani le due fronti pulite.* Rode: *bey uns führt man erst die Futtermauern hoch und mit Geflissenheit auf.* Nec admonuit eos diversitas chororum erectorum et parietum seu *frontium erectarum;* denique *erectus chorus* lapidum plane aliud est, aliud *altae frontes* vel alti parietes. Quid? quod *cubilia plana et librata posita* silicum sect. 6 poterant viros doctos docere, cum iis esse coniunctos choros lapidum planos et libratos. Recte ibi Galiani *giacendo i letti a livello e orizzontalmente.* Planum lapidem vel silicem vel chorum erecto ita opponit Vitruvius, ut illum iacentem hunc vero in latus stantem intelligi velit. Ab hac significatione pendet altera, qua planum interpretari solemus horizontalem.

longitudines chororum — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *eorum* dant. *chororum* ex libro Salmasii p. 871 dedimus. Sequens *coagmentis* omittunt Sulp. Fran. Wrat.

e suis frontatis — Hos una parte frontatos, *διατόνους* vero dictos utraque parte frontatos ad utramque frontem parietis pertendere ait Philander. Diatonos referunt taleae in muris, de qui-

Digitized by Google

bus supra I cap. 5. Hos posteriores *Bindesteine* vocat Rode. *Frontatos laterculos* ad tecta cum *coctilibus* nominat Plinius 35 sect. 46.

perpetuum — parietem — Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. *perpetuam*, deinde *parietum* Sulp. Guelf. Wrat. ut adeo suspicioni locus sit, scripsisse Vitruvium: *sed e suis frontatis perpetuam et unam crassitudinem parietum consolidant;* quae scriptura mihi etiam elegantior videtur.

Praeterea — Vulgatum *praeter caetera* correxi ex Sulpic. Guelf. Wrat. *et praeter caetera* Franeck. dicitur habere, sed *et* omisit, qui eiusdem libri varietatem dedit, Friesemann.

perpetua crassitudine utraque parte — Wrat. *crassitudine perpetua utraque frontatos.*

διατόνους — Wrat. *diatanos.* Philander nescio unde *διατόρους* commemoravit, non aeque aptos. *Διάτονος* est pertensus, ut *ἀνάτονος*, *κατάτονος*, sursum, deorsum tensus in Vitruvii libro 10 cap. 15. *ἐπίτονος*, supra, *ὑπότονος* infra tensus vel extensus, *παράτονος*, iuxta vel ad latera extensus, *πρότονος*, antrorsum tensus. In Germania inferiore saxa eiusmodi vocari *Durchbinder* monuit me collega amicissimus *Huth.* Plinius: *Tertium emplecton tantummodo frontibus politis, reliqua fortuito collocant. Alternas coagmentationes fieri, ut commissuras antecedentium medii lapides obtineant, necessarium est in medio quoque pariete, si res patitur: sin minus, utique a lateribus, medios parietes farcire fractis caementis: diamicton vocant.* Si extrema bene habent, (de iis enim cur dubitari possit, quo pertineant, supra dixi) genus illud structurae, quae frontes tantum politas habet, sed medium cavum caementis farctum, quo Romani tantum utebantur, proprium sibi nomen apud eosdem habuit, diamicton, *διὰ μικτῶν*, et est tertium genus structurae romanae a Plinio ex Vitruvio memoratum. Tria etiam Graecae structurae genera Vitruvius ponit Isodomum, Pseudisodomum, Emplecton: romana vero reticulatum, incertum, diamicton. Sed merito mireris, unde graecum nomen haeserit tertio romano, quo rustici tan-

Digitized by Google

tum utebantur. Ceterum pertinere huc videtur locus Plinii iunioris in Epistola 48 libri X sect. 4 de Nicensium theatro: *Architectus affirmat parietes quanquam viginti et duos pedes latos, imposita onera sustinere non posse, quia sine caementis medio parti, nec testaceo opere praecincti.* ubi Catanaeus probat lectionem diversam: *medii farti.* Alii libri habent rectius: *quia sint caemento medii farti.* Testaceo opere praecincti intelligi videntur parietes lateritii, quibus summis structuram testaceam sub tegula adiicere iubet noster infra sect. 18. Certissime autem huc pertinet apud Procopium de aedificiis Iustiniani 3 c. 2. narratio de muris Martyropolios restitutis: *τοῦ περιβόλου ἐντὸς τείχισμα ᾠκοδομήσατο ἕτερον ἐς ποδῶν πάχος διῆπον τεσσάρων, χώραν διαλιπὼν μεταξὺ τεττάρων ἑτέρων τὸ εὖρος· ἐς ὕψος δὲ καὶ τοῦτο ἀναστήσας ποδῶν εἴκοσιν, ἴσον τῷ προτέρῳ παντάπασιν ἐσπευάσατο εἶναι· μετὰ δὲ λίθους τε καὶ τίτανον ἐς χῶρον τὸν μεταξὺ τείχους ἑκατέρου ἐμβεβλημένος, ἐς μίαν τινὰ οἰκοδομίαν δυοκαίδεκα τὸ πάχος ποδῶν τὸ ἔργον τοῦτο ἀποτερύνεται.*

Addo hic obiter locum Plinii 36 c. 23. ubi tradit inveniri in antiquarum aedium legibus, ne recentiore trima (intrita) uteretur redemptor quisquam. Similis exstat lex Puteolana publicata primum a Philandro ad Vitruvii 4 cap. 6. ubi est: *eosque parietes marginesque omnes quae lita non erunt calce harenato lito politoque et calce uda* (Salmasius *nuda* scribit) *dealbato, recte facito quod opus structile fiet in terra, calcis restinctae partem quartam indito, nive mamorem* (maiora) *caementa struito quam quae caementa arda pendat P. XV nive angolaria altiorem* (altiora) = E *facito.* Postrema verba quomodo sint emendanda, non excogitavi. Apparet tamen pondus caementorum et angularium caementorum altitudinem definiri lege.

8.

Itaque si quis — Guelf. *Itaque si qui.* Deinde *subtili facie venustatis, eae possunt esse in vetustate non ruinosae* scribendum esse, deleta media negatione, iam olim monuit Philander,

Digitized by Google

qui praeterea *in vetustatem* scribendum esse censuit, comparata sect. 2. *sed in vetustatem parietes efficiunt ruinosos.* Ceterum pro *eae* Sulp. *haec*, Wrat. *ea.* Deinde *venustate* Guelf. Fran. *ruinosa* Sulp.

arbitria — Sulp. Guelf. Wrat. *arbitrio.* Deinde *existimant* Sulp. Postea *pretia* Sulpic. Guelf. Wrat. unde recte Iocundus *locationis pretia* effecit, quam lectionem servavit Philander: recentiores cum Laeto dederunt *locationes*, *pretio*, pessime! Arbitria sunt h. l. aestimationes ab arbitris faciendae.

summa partem reddi iubent — Fran. et Codex Laeti *summae.* Deinde *parte* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Codex Laeti. Sequens *iubent* omittit Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Itaque scribendum censeo: *summae parte reddi pro his parietibus sententiam pronuntiant*: *eos* (*enim* addo) *non posse plus — durare.*

sententiamque — Sulp. Fran. *sententiam.* Wrat. *summam.*

9.

aestimantur — Sulp. *existimantur.* Ceterum totum hunc et sequentem locum transtulit Plinius in libri 35 cap. 14. ubi est: *Graeci praeterquam ubi e silice fieri poterat structura, parietes lateritios praetulere. Sunt enim aeterni, si ad perpendiculum fiant.*

spectat ad Hymettum — Sulp. *spectant ad Hymetum.* Vatic. *Hiemectium*, Franeck. *Hymettium.* Deinde *Tentelensem* Vatic. Fran. Wrat. Ciseranus in versione *Thentelensem* reddidit, sed ex Codice *Pentelensem* annotavit. Plinius: *De eo et publica opera et regias domos struxere: murum Athenis, qui ad montem Hymettum spectat.*

Item Patris in aede Iovis — Vulgatum *item parietes in aede Iovis* varie distinguunt Editiones; Iocundi quidem dat *pentelensem*, *Item parietes in ae. I.* Philandri punctum post *Pentelensem* posuit. Galiani exhibet: *Pentelensem: item parietes. In aede Iovis.* et vertit: *tali le mura delle case.* Cum Laeto Rode dedit *Item parietes in aede Iovis.* Sed in Addendis demum

Digitized by Google

Buttmannus *Patris* scribendum esse monuit. Scilicet in Plinio, ubi h. l. excerpsit, est: *Patris aedes Iovis et Herculis, quamvis lapideas columnas et epistylia circumdarent:* sine ulla librorum vel editorum vel scriptorum varietate. Quare J. Fr. Gronovius et Harduinus in Vitruvio etiam *Item Patris* scribi iusserunt: Gronovius quasi vulgarem Vitruviani loci scripturam *Item pariter* apposuit, nescio aliqua ex Editione ductam an errore calami prognatam. Iovis Olympii templum in foro Patrensium memorat Pausanias 7, 20, 2 materiam tamen operis non definiens. Sed idem cap. 18, 5 narrat Patrensium civitatem et αὐτονομίαν ab Augusto restitutam. Ceterum Wratisl. liber vocabulum *parietes* plane omittit. Deinde *lapideae* Guelf. Wrat.

In Italia Aretii — Wrat. *Et Italia.* Deinde *Arettio* Sulp. Guelf. *Arretio* Fran. *Arecio* Wrat.

Trallibus domum — Wrat. *Tralibus.* Deinde *domus — facta* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Postea *detur* Sulp. Qui sacerdotium gerebant in civitatibus graecis, βασιλεῖς, reges sacrorum, plerique omnes vocabantur.

Varronis et Muraenae — Plinius l. c. ordine narrationis mutato: *domum Trallibus regiam Attali, item Sardibus Croesi, quam gerusiam fecere, Halicarnassi, Mausoli, quae etiam nunc durant. Lacedaemone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturae ligneis formis inclusum Romam deportavere in aedilitate ad Comitium exornandum Muraena et Varro. Cum opus per se mirum esset, translatum tamen magis mirabantur.*

10.

aetatis otio — Guelf. *octio*, in margine *otium* adscriptum. Wrat. *octo* dat. Sequentia *seniorum collegio* veluti per appositionem iuncta *civibus* durissimam orationem efficiunt. Γερουσίαν pro senatus congregati conciliabulo alibi positam reperire non memini nisi apud Varronem de L. L. 4 p. 43 ed. Bipont. *Senaculum vo-*

Digitized by Google

catum, ubi Senatus aut ubi seniores consisterent, dictum ut γερουσία apud Graecos.

Halicarnassi — Fran. Guelf. Wrat. *Halicarnasso.* Deinde *Proconessio* Sulp. *Proconnensis* Fran. *Proconnensio* Vatic. *Proconnenti* Wrat. Deinde *uti vitri* Fran. Wrat. Sequens *habere* omittit Wratisl.

infinitis — Fran. Guelf. Wratisl. anteponunt *in.* Deinde *Cariae toto* Wrat.

11.

eius et solertiam — Wrat. a verbis *Acumen* exordiens Capitulum XVI omittit *eius* et deinde *sollertiam* habet scriptum.

Mylasis — Wrat. *Mylasiis*, deinde *Halicarnasso* cum Sulp. Fran. Guelf.

munitum — Guelf. Wrat. anteponunt *esse.* Deinde *utile* Fran. Sulp.

curvaturae — Infra libri 5 cap. 12 de portubus commodis: *si sint bene positi habeantque promontoria procurrentia, ex quibus introrsus curvaturae sive versurae ex loci natura fuerint conformatae.* Similem formam Vitruvianae portus cum *νεωρίοις* et foro Corcyraeorum fuisse apparet ex Thucydide 3, 74.

Mausoleum — Wrat. *Mausolium.* Sequens *nominetur* revocavi ex Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. quod in *numeretur* pessime mutavit Iocundus.

In summa arce media — Wrat. omittit *In.* Deinde *arte medium* Fran. Postea *phanum* Wrat. Arcem Halicarnassi *τὴν Ζαλμακίδα ἄκραν* vocat Arrianus Anabaseos I, 23, 3. cui propinqua erat *Ἀρκόννησος*, ut idem ibidem testatur.

colossicam ἀκρόλιθον — Edd. omnes et libri scripti *colossi quam* habent, nisi quod Guelf. Wrat. *colosi quam* dant. Vitiosam scripturam qui vel corrigere vel explicare voluerunt, deinceps inseruerunt *dicunt*, quod omisi cum Sulpic. Fran. Wratisl. *ἀκρολίθορα* ex Codice annotavit Ciseranus.

Leocharis factam — Sulpic. deinceps additum habet verbum

Digitized by Google

dicit, quod ex vitioso *dicunt* aliorum Codicum ortum esse videtur. Nomen artificis varie scribitur in libris. *Telocaris* Sulpic. *Telocharis* Guelf. sed correctum *Telochlaris*, Wrat. *theloycharis*. Paulo post *Thelocaris* Sulp. *teleochyaris* Wrat. *Teleoclaris* Guelf. sed correctum *Teleochlaris*. Aetatis Leocharis indicium clarissimum habet Epistola Platonis XIII ad Dionysium scripta iuniorem Olympiade CIII p. 172 Bip. *τὸν μὲν Ἀπόλλω ἐπριάμην — νέου καὶ ἀγαθοῦ δημιουργοῦ· ὄνομα δ' ἔστιν αὐτῷ Λεωχάρης.*

[*alii Leocharis*] — Haec verba uncis seclusi, quoniam ex nominis scripturae varietate in margine adscripta ortum habuisse suspicor.

Timothei — Wrat. *Thymothei*. Sequens *Veneris et Mercurii fanum* puto fuisse in graeco scriptore *Ἑρμαφροδίτου ἱερόν*. Coniecturam eandem proposui in Indice ad Theophrasti Characteres. Sic Taurisci Hermerotes in Plinii 36 c. 5 libris scriptis sunt *Hermae et Erotes*. Pertinent huc *Hermathenae* et *Hermeracles* Ciceronis. Hermaphroditi pueri Mercurio et Venere nati nomen cum fonte Salmacidis iungit Ovidius Metamorph. 4, 285. Hermaphroditi fanum Athenis nominat auctarium Vaticanum Theophrastei characteris 25, 3. Servius ad Aeneid. 2, 632. *Est etiam in Cypro simulacrum barbatae Veneris corpore et veste muliebri cum sceptro et natura virili, quod Ἀφρόδιτον vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant.* Hesychius: *Ἀφρόδιτος. Θεόφραστος μὲν τὸν Ἑρμαφρόδιτον φησὶν, ὁ δὲ τὰ περὶ Ἀμαθοῦντα γεγραφὼς Παίων ὡς ἄνδρα τὴν θεὸν ἐσχηματίσθαι ἐν Κύπρῳ λέγει.* Cf. Macrobii Saturn. 3, 8. Scholia ad Luciani Iovem Tragoedum c. 7 narrant Mnaseam Patrensem Hermaphroditum interpretari Priapum.

Nunc comparemus locum Plinii de Mausoleo libro 36 cap. 5. *Scopas habuit aemulos eadem aetate Bryaxin et Timotheum et Leocharem, de quibus simul dicendum est, quoniam pariter caelavere Mausolo Cariae regulo, qui obiit Olympiadis centesimae sextae anno secundo. Opus id ut esset inter septem miracula, ii maxime artifices fecere. Patet ab austro et septentrione sexagenos ternos pedes, brevius a frontibus, toto cir-*

Digitized by Google

cuitu pedes quadringentos undecim: attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis: cingitur columnis triginta sex. Pteron vocavere. Ab oriente caelavit Scopas, a septentrione Bryaxis, a meridie Timotheus, ab occasu Leochares. Priusque quam peragerent, regina Artemisia, quae mariti memoriae id opus exstrui iusserat, obiit. Non tamen recesserunt, nisi absoluto iam, id gloriae ipsorum artisque monumentum iudicantes; hodieque certant manus. Accessit et quintus artifex. Namque supra pteron pyramis altitudine inferiorem aequavit, viginti quatuor gradibus in metae cacumen se contrahens. In summo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis: haec adiecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit. Ubi auctarium priorum Edd. *Mausoleum. Sepulcrum hoc est ab uxore Artemisia factum Mausolo* eiecit Harduinus eumque secutus Brotier, quod in Codd. nullis ista verba scripta legerentur. Sed non animadverterunt ineptissime ita dici artifices a Plinio nominatos *caelavisse Mausolo mortuo*, ne addito quidem opere. Quare Pintiani sententiam probo, qui verba *Sepulcrum hoc est — factum* veluti glossam delenda censuit; eaque sola in Codice Toletano abesse monuit. Deinde temere Brotier veterum Edd. lectionem *Olympiadis centesimae anno secundo* reduxit, item cap. 6. ubi est: *Secandi marmor in crustas nescio an Cariae fuerit inventum. Antiquissima quod equidem inveniam, Halicarnassi Mausoli domus Proconnesio marmore exculta est, lateritiis parietibus. Is obiit Olympiadis centesimae sextae anno secundo, Urbis Romae anno CCCCIIII.* scripturam Editionis principis et Codd. Regiorum 2. 3. 5 *centesimae* et deinde *anno CCCLXXV* revocavit, ex Scopae aetate rationes subducens, quem Plinius 34 sect. 19 Olympiade 87 floruisse narrat. Eum igitur tunc certe annos 30 natum posuit Brotier, atque hinc rationes subduxit, fallacissimas certe, ut sunt notationes istae Plinianae Olympiadum, quibus artificem quemque floruisse ait. Contra constat testimonio Diodori libro 16 de Olympiade 106, sed is ad quartum eius annum, CSS. M. Fabium Ambustum, M. Popilium

Digitized by Google

Laenatem, V. C. 397 refert mortem Mausoli, ut admonuit J. Fr. Gronovius. Ceterum Mausoli cupiditatem argenti et rapacitatem exemplis notavit Aristoteles in Oeconomicis et Theopompus historicus apud Harpocrationem. Deinde supplementum Codicis Vossiani antiquissimi et integerrimi *Pteron vocavere circuitum*, a J. Fr. Gronovio oblatum, non erat spernendum et omittendum ab Harduino. Sed haec sufficiant ad locum Vitruvii illustrandum. Paucis Mausoleum attigit Idem in Praefatione ad librum VII, quae hinc lucis abunde capient. Accuratiorem descriptionem cum ichnographia Mausolei dedit Caylus in Mémoires de l'Académie des B. L. Vol. XXVI p. 321 seqq.

12.

Venereo morbo — Wrat. *Venerio.* Guelf. *venero.* Deinde *orbem terrae* Guelf. Wrat.

falso rumore — Haec verba omisit Sulp. *falso ore* Franeck. *falsorum ore* Vatic. Falsum rumorem refellit Epigramma Analectorum III. p. 190 no. 197. ad quod compara annotationes doctissimi Interpretis, Iacobs.

saporque egregius — Sulp. *saporque eius egregius.*

Troezene — Fran. Guelf. Wrat. *Troezen*, Wrat. tamen *Trozen.* Pomponius Mela I, 16 Halicarnassum Argivorum coloniam dixit pariter. Troezenios addit Pausanias 2, 30, 8 πολλοῖς δὲ ἔτεσιν ὕστερον ἐς ἀποικίαν ἐκ Τροιζῆνος σταλέντες Ἁλικαρνασσὸν ἐν τῇ Καρίᾳ καὶ Μύνδον ἀπῴκισαν οἱ γεγονότες ἀπ' Ἀστίου τοῦ Ἄνδα. et cap. 32, 6. τὸν μὲν ναὸν ἅτε ἐν μητροπόλει τῇ Τροιζῆνι Ἁλικαρνασσεῖς ἐποίησαν.

se congregantes — Vatic. Guelf. Wrat. *inter se congregantes.* Sulpic. *inter se congregati.* Vossian. et Fran. *inter se gregatim*, auctore Bondam p. 47 at Friesemann ex Franeck. *inter se gregati* posuit. Restitui lectionem Sulpicianam, quanquam Vossius libri sui scripturam praetulisse dicatur a Laeto.

singulatim — Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *singillatim.* Deinde *et uno foroque* Wrat. *ferro* Guelf.

Digitized by Google

more commutati — Sulp. *morae.* Fran. *commotati.* Wrat. *commutatum.*

consuetudinem et — Wrat. *consuetudine.* Sulpic. *etiam* dat pro *et.* Deinde *impudico morbo* Wrat.

13.

Relinquitur nunc — Wrat. *nunc* omisso exorditur hinc Capitulum XVII.

sum invectus — Wrat. *sive*, deinde *totam. Invectus* est pro ingressus.

definiam — Sulp. *diffiniam*, deinde *phanum.* Postea *portum* Guelf. Wrat.

sinistra — possit — Wrat. *sinistram.* Deinde *posset* Sulp. Guelf. Wrat. Postea *militatibus* Wrat.

imperaret — Sulpic. *spectaret.* Vatic. Guelf. *spirarent.* Wrat. *spiraret.*

14.

Artemisia uxore — Vatic. Guelf. Wrat. *Artemisiam uxorem.* Wrat. tamen *Arthemesiam* dat. Deinde iidem Codd. *regnantem* habent. Postea *uti id regum* Guelf.

Tunc Artemisiae — Sulpic. *Tum.* Wrat. *Arthemesiae.* Deinde *epipatis* Wrat.

comparatis — Si lectio bene habet, intellige *iussit esse.* Sed sic *comparatis* prorsus abundat, et satis erat posuisse *celatis remigibus et epibatis.* Igitur *comparavit* scribendum censeo.

Cum autem Rhodii — Sulp. *Quom.* Deinde *hrodii* Guelf. hic et saepiuscule. Post *armata classe* Sulp. Vatic.

ab muro his dare — Sulpic. *ex muro his darent.* Deinde *penetravissent* Sulp. Guelf. Wrat. Postea *Arthemesia* Wrat.

fossa facta — Rode *fracta* scripsit, nulla edita ratione. Sed fossa non frangi dici potest latine. Deinde *pelagum* Guelf. Wrat. Narratio similis est in Diodoro 14, 7 de Dionysio occupante insulam, Syracusarum partem: ὠκοδόμησε δ' ἐν αὐτῇ κολυ-

Digitized by Google

τελῶς ὠχυρωμένην ἀπρόπολιν — καὶ συμπεριέλαβε τῷ ταύτης τείχει τὰ πρὸς τῷ μικρῷ λιμένι νεώρια· ταῦτα δὲ ἐξήποντα τριήρεις χωροῦντα κύλην εἶχε πλειομένην, δι' ἧς κατὰ μίαν τῶν νεῶν εἰσπλεῖν συνέβαινε. Fossa igitur coniunctus minor Halicarnassi portus sub arce fuit sine dubio cum maiore, sed porta clausili seiunctus, qua subito aperta, per fossam eduxit Artemisia naves hucusque occultas. In *facta* igitur vitium latere videtur. Nec tam subito fieri fossa potuit, ut Rhodios clam esset.

et remigibus — Seclusi haec verba, quae Sulpic. et Wrat. recte omittere videntur. Remiges in classe Artemisiae relinqui debuisse videntur; milites praedam abducebant. Postea *Rhodiom inanem adduxit* Wrat.

15.

Ita Artemisia — Wrat. *Itaque Arthemesia.* Deinde *Rhodium* vitiose dedit Galiani.

Tunc Artemisia — Wrat. *Tunc autem Arthemesia.* Deinde *tropheum* Sulp. Wrat. Postea *in urbem* Wrat.

et istam figuravit — Sulpic. Vatic. Guelf. Wratisl. *et ita figuravit.*

Postea autem Rhodii — Guelf. Wrat. *Id autem postea Rhodii.* Deinde *nephas* Wrat. *trophea* Sulp. Wrat. De sanctitate tropaeorum compara Plutarchi Quaest. romanas no. 37.

struxerunt — Sulp. *extruxerunt.* Deinde *ne qui* Guelf. *possit* Wrat. *abathon* Sulp. Guelf. *abchon* Wrat.

16.

reges non contempserint — Sulpic. Guelf. Wrat. *regis.* Sola Sulp. *contempserit*, Guelf. Wrat. *contempserunt.*

licitum — Wrat. *licenciosum.* Sequens *improbari* debetur nescio cuius coniecturae, et est in Philandri Argentoratensi, Laeti et Galiani Edd. Libri primi editi, Sulp. et Iocundi, et scripti habent *improbare.*

quae e lateritia sunt — Wrat. *quae sunt e lateritia.* Se-

Digitized by Google

quentia *sint perfecta* debentur Iocundi ingenio. Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. habent *sint tecta.* In Guelf. Wrat. est praeterea *sunt.*

Sed id genus — Hinc exorditur Capitulum XVIII Wratisl. Deinde *quaeque sunt* Sulpic. Guelf. Wrat. etiam *que* omittit Wrat.

17.

loco communi — Wrat. *communi* omisit. Plinius 35 c. 14. *Romae non fiunt talia aedificia, quia sesquipedalis paries non plus quam unam contignationem tolerat: cautumque est, ne communis crassior fiat, nec intergerivorum ratio patitur.* Vides igitur locum communem esse parietem communem. Is sesquipedalis est, quia latere Lydio sesquipedali longitudine struitur.

ceteri autem parietes — Dixit Plinius *intergerivos*, vel, ut in antiquioribus Edd. erat, *intergerinos.*

aut triplinthii — Omittit Wratisl. Deinde *plus una* Sulp.

opus est — Antiquum cum Fea restitui ex Sulp. Guelf. Wrat. in locum vulgati *opus fuit.* Deinde igitur cum eodem Fea *possit* dedi pro *posset.* In Guelf. Wrat. est *possunt areae planatae*, Codex Laeti *possent areae planatae.* In Sulp. etiam est *planata.*

coegit devenire — Wrat. *cogit*, quod potest probari. Deinde *testaciis.* Sequentem copulam *et* ante *contignationibus* addendam vidit Fea, igitur cum Rodio adscivi, qui *pilas lapideas* interpretatur fornicationes pilis suspensas, ut infra Vitruvius 6 cap. 11 *aedificia quae pilatim aguntur* nominat. ubi vide annotata.

proficiunt disparatione — Vulgatum *et coenaculorum ad s. ut perficiunt et despectationes* ita correxi cum Salmasio Exercit. p. 708. Primum igitur Sulpic. cum Codd. utrobique copulam omittunt. Deinde *perficiunt despectiones* Sulp. *perf. despectationes* Guelf. Wrat *coassatae coen. ad summas partes perficiunt operationes* Arundel. De Vaticanis tacet Galiani. Sed ex Regio Paris. optimo *proficiunt — disparatione* scribendum esse monuit Salmasius; contra ex Franeckerano *desperationes* afferens Wesseling. Observ. p. 71 idem probavit et vulgato praetulit; quod

Digitized by Google

equidem non improbo factum, ut altitudines perficere dicantur coenaculorum disparationes; sed ita apposita verba *ad summas utilitates* cum reliquis non tam apte coire mihi videntur. Superest ut de altitudine aedificiorum in urbe Roma quaedam addamus. Locus est classicus de hac quidem aetate, qua fuit Vitruvius, Ciceronis in Orat. agraria 2, 35. *Romam in montibus positam et convallibus, coenaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, prae sua Capua planissimo in loco explicata, et prae illis semitis irridebunt atque contemnent.* Quo loco usus est Ernesti ad illustrandum locum Suetonii cap. 45. ubi Augustus circenses ludos *ex amicorum fere libertorumque coenaculis* spectasse dicitur. Strabo Libro 5 p. 235 (p. 166 ed. Siebenk.) de Augusto refert: *πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν καὶ κωλύσας ἐξαίρειν πολῶν ὁ τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις.* i. e. ne novum ullum aedificium, ad viam publicam qua spectaret, ultra 70 pedes attolleretur. Nero, auctore Tacito Annalium 15, 43 cohibuit aedificiorum altitudinem. Traianus ultra 60 pedes tolli aedificia vetuit, narrante Aurelio Sexto Epit. 13.

Contra de antiqua Roma Varro Nonii in voce *suffundare* ita refert: *Antiqui nostri domibus lateritiis paululum modo lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant.* Lateres etiam hic nominantur in sole siccati nec cocti; cocti enim in fornacibus *testae* vocantur. Hinc *structuris lateritiis* Vitruvius *testaceas* opponit.

moenibus e contignationibus — Antiquam scripturam ex Sulp. Guelf. Wrat. Vatic. revocavi praeeunte Fea et Rodio, cum Iocundus aliique eum secuti Editores dedissent *menianis et cont.* In Wrat. est *Ergo contignationibus et moenibus — multiplicatibus.*

18.

ratio est — Wrat. *ratione.* Sequens *patiantur* dedi ex Guelf. Sic enim noster loquitur etiam sect. 16.

Digitized by Google

cum extra — Sulp. *quom extra.* Deinde post *opus erit his uti*, interpunxi. Vulgo enim comma alieno loco est positum post *vetustatem.*

sub tegula — Palladius I, 11. *ut perfectis parietibus in summitate, quae trabibus subiacebit, structura testacea cum coronis prominentibus fiat sesquipedali altitudine.* Hi sunt parietes opere testaceo praecincti Plinio Epistol. X, 48, 4. — Laetus ex Codice, credo Vossiano, varietatem *tegulas* apposuit. Deinde *subiciatur* Guelf. Wrat.

habeatque — vitari — Wrat. *habeantque.* Deinde cum Guelf. *vitare.*

possit ex imbribus — Guelf. Wrat. *possint — aquae.* Wrat. etiam *ab imbribus.* Deinde *pluere* Sulp. Pro *lorica* Wrat. *inorica.* Postea *reiciet* Guelf. Wrat.

servabit — Hoc ex Wratisl. substitui in locum vulgati *servaverit.*

19.

si sit optima seu vitiosa — Reddidit graecum εἴτε — εἴτε. Deinde *si est firma* Wrat. Postea *probabitur* Sulpic. Ceterum usitatior dicendi forma erat haec: *quod si in tempestatibus et aestate, in tecto cum est collocata, tunc firma est, probatur.*

Nam quae — creta bona — Guelf. *Namque quae.* Wrat. *cretetta.* Deinde *ostendit* Sulp. Postea *vitiosa* Wrat.

in structura — Wrat. *in* omisit. Deinde *tecta structa* Sulp. Guelf. Wrat. Vitium quod in his verbis haesit, qua ratione corrigere conatus sit Iocundus vides. Sed *parietes structi ex veteribus tegulis tecti* mihi recte dici h. l. posse non videntur. Nam *tegulae tecti* ineptissime iunguntur ita. Testae nominandae erant; quae si tectum tegunt, *tegulae*, si ad structuram vel ad aliud opus testaceum adhibentur, *testae* vel *testacei lateres*, ut infra 8. c. 3, semper nominantur. Galiani vocabulum *tecti* non vertit, nec magis Rode. Quid si scriptum olim fuisse suspicer *structi et tecti parietes?*

Digitized by Google

20.

Cratitii — Palladius I, 19, 2 *craticiis podiis discernit granaria.* Festus: *Solea materia robustea super quam paries craticius exstruitur.* Plinius 35 c. 14 *illini quidem crates parietum luto — quis ignorat?* — Ceterum Wrat. paulo post *celeritati* dat.

impensa testaceorum — Intellige operum vel laterum. Deinde *compendia tractitiorum* Wrat.

Etiam qui in tectoriis operibus rimas [in iis] faciunt — Locum hunc in Sulpiciana, Guelf. Wrat. ita scriptum, (nisi quod Guelf. Wrat. *in his*, Laeti Vossianus *hi faciunt* habent) magis etiam corrupit Iocundus inserens *sunt* post *qui.* Ineptissime enim parietes dicuntur esse in tectoriis operibus, cum contra sint tectoria in parietibus. Galiani vertit: *quelli che sono anche intonacati, fanno delle crepature per cagion de' travicelli dritti e traversi.* Rode brevius: *Ueberdiefs berstet auch die Bekleidung in der Gegend der Ständer und Riegel.* Putasse igitur videtur Galiani *parietes, qui sunt in tectoriis operibus*, dictos fuisse a Vitruvio eos, qui tectorio opere inducuntur. Quod fieri per sermonis latini usum non potest. Non vidit vir doctus locum temere fuisse incrustatum a Iocundo, inserto verbo *sunt.* Alterum vitium est in verbis *in iis* temere insertis ab eo, qui vitium loci animadversum corrigere voluit. Vitium manifesto demonstrat comparatio loci gemini de eadem re infra libro 7 cap. 3 extremo: *Sin autem in cratitiis tectoria erunt facienda, quibus necesse est etiam in arrectariis et transversariis rimas fieri, (ideo quod luto cum linuntur necessario recipiunt humorem, cum autem arescunt, extenuati in tectoriis faciunt rimas) id ut non fiat, haec erit ratio.* Cuius loci rationes criticas obiter hic expediam. Sulpic. igitur *etiam* post *necesse est* inserit cum Edd. omnibus, quorum auctoritatem posthabuit Rode Codicibus Guelf. Wrat. Fran. Cotton. qui omittunt. Deinde *linuntur* est in Sulpic. Guelf. Wrat. Fran. Cotton. et Vossianis teste etiam Oudendorpio ad Sueton.

Digitized by Google

p. 792. Postea Rode vulgatum temere ex hoc nostro loco mutavit scribendo: *turgescunt recipientes.* Denique *arescente* Sulpic. *arescent* Guelf. Wrat. Fran. Cotton.

Ex hoc igitur loco fit manifestum vitium verborum *etiam qui in tectoriis operibus rimas in iis faciunt:* medelae rationem ostendunt Sulpic. et Codd. causam et originem vitii in transpositione quaerendam censeo. Alieno enim esse loco posita, haec demonstrant argumenta. Post verba *quod ad incendia sunt parati* Vitruvius rationem concludit potius cratitiis parietibus plane non utendum esse. Expectabas ut nunc, velut absolutis rationibus iis, quae usum eorum dissuadeant, exceptionem eam subiungeret: *Sed quoniam nonnullos celeritas — cogit.* At nunc postquam rationem concluserat, subito novum argumentum addit, quod esse a reliquis violenter distractum atque abruptum, ipsa oratio et verborum structura arguit. Iunge contra membra sic: *Quantum enim celeritate et loci laxamento prosunt, tanto maiori et communi sunt calamitati, quod ad incendia, uti faces, sunt parati, etiamque in tectoriis operibus rimas faciunt arrectariorum et transversariorum dispositione. Cum enim linuntur, — tectoriorum soliditatem. Itaque satius esse videtur, impensa testaceorum in sumptu quam compendio cratitiorum esse in periculo. Sed quoniam nonnullos celeritas — cogit* et cet. videbis omnia apte congruere et cohaerere, orationemque ipsam sine offensa procedere. Interim ne nimiae accuser audaciae, lectionem Codd. dedi, verba inutilia *in iis* seclusi, totum vero locum aliena in possessione, quam errore librarii occupaverat, reliquendum censui.

linuntur — Ita Editio Iocundi, Philandri Argent. Tornaes. Guelf. Galiani; *liniuntur* Sulpic. Wrat. Vatic. 2. Deinde *siciscendo* Guelf. Wrat. Postea *tectorum soliditatem* Sulp.

21.

impendentis loci disseptio — Vatic. *inpendenti*, etiam Sulp. et Wrat. *impendenti*, deinde *loco*. Vulgatum *deceptio* errori an

Digitized by Google

correctioni debeatur ignoro. Sulpic. et Iocundi Editio *disceptio* dant, Guelf. Wrat. *deseptio.* Verum dedit Rode, quanquam vitium iam olim Perraltus animadvertit, *impediti loci interceptio* corrigens.

ut sint intacti — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *ut sit intactum*, deinde *Obruta — marcida fiunt — subsidentia.* Verum dedit primus Iocundus.

De contignationibus — Hinc Wratisl. exorditur Capitulum XIX. Deinde cum Sulp. et Guelf. *comparantur* dat, sequens vero vulgo *rationibus* omittit. Iocundus non solum haec temere mutavit, sed etiam, facto hoc initio, sequentia depravare coactus fuit. Nam cum in Sulp. ut in Guelf. et Wrat. esset *et ad vetustatem non sunt* (Sulp. tamen *sint* dat, quod induxit Iocundum, ut *comparentur* scriberet) *infirmae*, — *explicabo.* ille contra dedit: *quibus comparentur rationibus, ut ad vetustatem non sint infirmae.* Itaque eum secuti sunt reliqui Editores, nisi quod Iocundus, Philander et Galiani *et ad vetustatem* intactum reliquerunt.

AD CAPUT IX.

primo autumno — Wrat. antique *autumpno*, deinde *quod erunt — inflare incipiat.*

in frondes — Guelf. Wrat. *frondem.* Deinde *temporum necessitate caesae fuerint* dedi ex Codice Fran. et Vossiano Laeti. In Sulp. Guelf. Wrat. est *necessitates eorum (earum* Sulp.) *fuerint.* Iocundus reliquique Editores vocabulum *earum* tanquam inutile resecuerunt.

a foetu ad partum — i. e. a conceptione. Sulp. Guelf. Wrat. *ad foetus a partu.* Deinceps *neque in iuvenalibus* Wrat. Postea *cum sint* Sulp. Wrat.

alimenta — Sulp. Guelf. Wrat. *alimentum.* Deinde *id ex quo ipsum procreatur* ex Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. et Codice Laeti revocavi in locum vulgati *id ipsum ex quo procr.*

ab disparatione procreationis — Ex codice Laeti correxi

Digitized by Google

praeeunte Perralto vulgatum *ad disparationem.*, In Guelf. et Wrat. est *ad desperationem.*

inanibus — Wrat. *que* adiicit pro *et*, deinde *reciperet lambendo* dat; etiam Guelf. *et* ante lambendo omittit.

2.

recuperantur — Wrat. *recuperant.* Paulo antea *et terra recipientes* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Postea *Ac vero aeris* Sulp.

3.

ut incidatur arboris crassitudo — Guelf. Wrat. *uti incidatur.* Post *crassitudo* Wrat. repetit *arboris.* Postea *essiccescat* Sulpic.

inutilis liquor — Sulpic. *subtilis.* Deinde *per torculum* Sulp. Wrat. Palladius 12, 15, 1. *Sed arbores quae caedentur usque ad medullam securibus recisas aliquamdiu stare patieris, ut per eas partes humor, si quis in venis continetur, excurrat.* Plinius 16 sect. 74 *Circumcisas quoque ad medullam aliqui non inutiliter relinquunt, ut omnis humor stantibus defluat.* De torulo dicam ad sect. 7.

saniem — Wrat. *insaniam.* Deinde *materiae aequalitatem* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Postea *Tum autem* Sulp. Guelf.

4.

Hoc autem ita esse — Wratisl. hinc exorditur Capitulum XX. Deinde *animum advertere* Guelf. Wrat. Postea *arbutis* Codex Laeti.

suo quaeque tempore — Fea voluit dare *suo quoque tempore*, quae est scriptura Sulp. Guelf. Credo equidem voluisse eum dare *suo quodque tempore.* Hoc enim more loqui solent scriptores huius aevi.

ad imum perforata — ad imum truncum aut in radicibus perforant scriptores graeci et latini rei rusticae; quo facto arbor

Digitized by Google

castigatur vel castratur, inutili detracto succo: deinde *quae habent* Guelf. Wrat.

Qui autem — humores — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. et Laeti Codex *Quae — humoris*, nisi quod *humores* Sulp. et Laeti Codex habent. Quam scripturam cum probasset Fea, necessario sequebatur, ut assumeret in sequentibus scripturam Codicis Laetiani *efficiuntur inanes et vitiosae.* In verbis *inanes eas et vitiosas* copulam *et* omittunt Guelf. Wrat. Equidem plurium librorum lectionem vel ideo probavi, quod *humores concrescentes* in arbore possunt intelligi; at vero *arbores concrescentes* putrescere quomodo dici possint, equidem non possum comminisci.

siccescendo consenescunt — Guelf. *sicciscendo.* Sequens *consenescunt* revocavi ex Sulp. et Wrat. cum Fea, cum vulgaretur *non senescunt*, quod Galiani interpretatus est: *Eccettuati dunque quegli alberi, che si seccano da per loro, gli altri tutti, se quando se ne vuol far uso, si toglieranno, e abbatteranno colla sopradetta regola.* Quae sunt ab hoc loco et hac doctrina alienissima. Quae enim ipsae per se senectute siccescunt arbores, de his Vitruvius loqui nec voluit nec potuit. Rode contra vertit: *Läſst man also die gesunden Bäume nur nicht so lange stehen und trockenen bis sie verdorren, sondern wirft sie, nachdem sie nach gegebener Anleitung behandelt worden sind, zu Bauholz um:* quae sententiam satis probabilem habent, sed ex Vitruvii verbis non expressam, qui si ita sensisset, dicere oportebat: *Ergo dummodo — non senescant.* Sed *senescere* aut *consenescere* hoc in loco nullo modo vitium arborum significat, sed potius virtutem, quam arte conciliata arboribus senectus affert, siccitatem videlicet, quam corporibus senescentibus propriam esse omnes norunt. Est quidem senectus etiam arborum vitiosa, ea videlicet, quae succis putrescentibus cariem affert et materiem inutilem efficit. Sed ea in arboribus incisis post autumnum et per hiemem destillantibus nec locum habet nec dicitur hoc loco a Vitruvio. Satis ita veterem lectionem stabiliisse mihi videor: sed superest alia difficultas, quam facit membrum orationis alte-

Digitized by Google

rum illud: *cum ea ratione curatae fuerint:* plane superfluum et inutile post illa superiora, si eadem nobiscum interpreteris. Turbat etiam structuram verborum post simile plane colon *cum eaedem — deiiciantur* intersertum sine copula. Violenta tamen medicina non opus est, ut vitium orationis corrigatur. Transferendum modo membrum est ex suo loco et post extrema periodi antecedentis verba inserendum sic: *Qui autem non habent ex arboribus exitus humores, intra concrescentes putrescunt, et efficiunt inanes [eas] et vitiosas, cum eaedem ad materiam deiiciuntur.*

eaedem ad materiam — Sulp. Guelf. Wrat. *eadem* omisso *ad.* Deinde *materia* Sulp. Wrat. *deiciuntur* Wrat. Fea *cum eae* probavit.

poterunt — aedificiis — Wrat. *potuerunt.* Sulp. *aedificiia.*

5.

Eae autem — Sulp. *Hae autem.* Deinde *cypressus* Wrat. Postea *ceteraque quae* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *idonea* Sulp. Vatic. Wrat.

nec ceterae — naturae rerum — Sulpic. Vatic. Guelf. *cetera,* Wrat. *ceteras.* Deinde *naturae rerum* Sulp. Scaliger ad Festum in vocabulo Tarmes corrigebat: *naturarum similitates,* comparans sect. 6. ubi similiter *levioribus naturarum potestatibus* corrigit; et libri tertii Praefatione extrema ubi est: *et quibus virtutibus e natura rerum est comparata:* corrigit: *virtutibus naturarum.* Superest tertius locus in extremo capite 10 huius libri: *de copiis exposui, et quibus temperaturis e rerum natura principiorum habere videantur mixtionem.* ubi eadem ratio corrigendi non potest adhiberi: quin adest quartus in ipso hoc capite extremo: *quibus proprietatibus e natura rerum videantur esse comparatae.* ubi Scaliger correxisset: *quibus proprietatibus naturarum.* Sed mihi Vitruvius ne in uno quidem horum locorum tentandus esse videtur, sed hic noster tantum praepositione *e* vel *ex* inserta adiuvandus et emolliendus, quae propter antecedens *se* facile potuit excidere. *Similitates* opponit Vitruvius *proprieta-*

Digitized by Google

tibus, id est similes vel communes virtutes propriis. Caecilius Syracusis apud Nonium pro similitudine usurpavit vocabulum: *Vide Demea, hominis quid fert morum similitas.*

alii generis — Philander comparat libri 8 cap. 3 et locum Ciceronis de N. D. *quibus bestiis erat is cibus ut alii generis bestiis vescerentur.* Sic *aliae pecudis* est in Ciceronis Ep. ad Div. 8, 1 de Divin. 2, 13. *alii dei* in Varrone de R. R. 1, 2, 19.

6.

levioribus rerum natura potestatibus — Wrat. *livoribus.* Deinde vulgatum *naturae* cum Rodio (in Addendis) correxi. Aliter Scaliger, de quo paulo antea dictum. Postea *ponderata* Vatic.

contenta — Est quod graece συντεταμένη dicitur. Deinde *decreta* Guelf. Palladius 12, 15 *abies quam Gallicam vocant, nisi perluatur, levis, rigida, et in operibus siccis perenne durabilis.*

Sed ea quod — Wrat. *eo quod.* Sulp. *ea quae.* Sequens *tarmitem* cum Scaligero ad Festum dedi, eaque scriptura latet in lectione Sulp. Guelf. Wrat. ubi est *partem, ab eaque.* Iocundus primus *termitem* dedit.

patens, accipit — Sulp. *et patens.* Guelf. Wrat. *et est patens.* Vitium latet loci huius, in quo Vitruvius dicere voluit causam cur aër rarus, qui multus inest abieti, ignem facile concipiat. An fuit olim *raritas aëri patens?* Videant acutiores! Simile est, quod Theophrastus h. pl. 5, 4. ὅτι τῆς ἐλάτης τὰ μανὰ καὶ σαρκώδη ἕλκει τὸν ἀέρα ἔνυδρον ὄντα.

7.

antequam est excisa — Galiani dedit *incisa*, errore, puto, operarum. Ceterum haec verba omittenda censuit Rode, quod et superflua sint et sententiam loci perturbent. Quod mihi non videtur.

recipiens — Ex Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. vulgatum *excipiens* correxi. Deinde *proximietate* Sulp.

Digitized by Google

liquida — De trunco abietis nove dictum. Plinius 16 sect. 76 no. 1. *abietis quae pars a terra fuit, enodis est: haec qua diximus ratione fluviata decorticatur, atque ita sapinus vocatur: superior pars nodosa duriorque fusterna.*

eductis — Wratisl. *eductus* — *praecissa.* Deinde *dolata* Vatic. 2. Postea *duritiam* Guelf. Wrat.

fusterna — A fustibus nodosis dicta, uti putant. De sapino dictum ad Catonem de R. R. 31, 2. ubi ante Victorium legebatur *Prelum de sappino atra.* Pontedera in Curis secundis monuit materiarios Venetos hodieque atram carpinum *sappino* vocare. Varro R. R. 1, 6, 4. *quaedam in montanis prolixiora nascuntur ac firmiora propter frigus, ut abietes ac sappini.* ubi recentiores quaedam Edd. *sapini* dederunt. *Sapineae nuces* Columellae 12, 5, 2. ubi Langermannensis liber *sappineae* dat. Plinius 15 s. 9. de pineis nucibus: *tertium genus sappiniae e picea sativa, nucleorum cute verius quam putamine, adeo molli, ut simul mandatur.* Vides igitur vocabuli fuisse variatam significationem usu architectorum et materiariorum. Rode fusternam *das Knorrenstück*, sapinum *das Saftstück* vertit. Non bene! Mihi vocabula *Schopf* et *Schaft* aptiora videbantur esse.

excisa quadrifluviis disparatur — Plinius ex hoc loco reddidit *haec* (ima) *pars qua diximus ratione fluviata decorticatur.* quae de fluvio mersa parte abietis ineptissime interpretatur etiamnum Harduinus, postquam Philander ad Vitruvium monuisset esse dictum pro *quadripartita*, vel *quadripartito venarum cursu fluviata.* Scilicet paulo antea Plinius dixerat: *communia larici abieti pinoque ut quadripartitos venarum cursus bifidosque habeant vel omnino simplices. Ad fabrorum intestina opera medulla sectilis optima quadripartitis materiis et mollior quam ceterae:* quae sunt expressa ex his, Theophrasti histor. plant. 5 cap. 2 τὰ δὲ κοινὰ καὶ πεύκης καὶ ἐλάτης καὶ κίτυος καὶ τῶν ἄλλων· ἔστι γὰρ ἡ μὲν τετράξοος, ἡ δὲ δίξοος· καλοῦσι δὲ τετραξόους μὲν ὅσαις ἐφ' ἑκάτερα τῆς ἐντεριώνης δύο κηδόνες εἰσὶν ἐναντίαν ἔχουσαι τὴν φύσιν· ἔπειτα καθ' ἑκατέραν τὴν κηδόνα

Digitized by Google

ποιοῦνται τὴν πελέκησιν, ἐναντίας τὰς πληγὰς κατὰ πηδόνα φέροντες, ὅταν ἐφ' ἑκάτερα τῆς ἐντεριώνης ἡ πελέκησις ἀναστρέφῃ· τοῦτο γὰρ ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τὴν φύσιν τῶν πηδόνων· τὰς δὲ τοιαύτας ἐλάτας καὶ πεύκας τετραξόους καλοῦσιν· εἰσὶ δὲ καὶ πρὸς τὰς ἐργασίας αὗται πάλλιστοι· πυκνότατα γὰρ ἔχουσι τὰ ξύλα, καὶ τὰς ἀγγίδας αὗται φέρουσι· αἱ δίξοοι δὲ πηδόνα μὲν ἔχουσι μίαν ἐφ' ἑκάτερα τῆς ἐντεριώνης, ταύτας δὲ ἐναντίας ἀλλήλαις, ὥστε καὶ τὴν πελέκησιν εἶναι δικλῆν, μίαν δὲ καθ' ἑκατέραν πηδόνα ταῖς πληγαῖς ἐναντίαις. ἀκαλότητα μὲν οὖν ταῦτά φασιν ἔχειν τὰ ξύλα, χείρονα δὲ πρὸς τὰς ἐργασίας· διαστρέφεται γὰρ μάλιστα Μονοξόους δὲ καλοῦσι τὰς ἐχούσας μίαν μόνον πηδόνα· τὴν δὲ πελέκησιν αὐτῶν γίνεσθαι τὴν αὐτὴν ἐφ' ἑκάτερα τῆς ἐντεριώνης· φασὶ δὲ μανότητα μὲν ἔχειν τῇ φύσει τὰ ξύλα ταῦτα, πρὸς δὲ τὰς διαστροφὰς ἀσφαλέστατα. — ἀλλ' ἔστι τετράξοα μὲν ὀλίγα, μονόξοα δὲ πλείω τῶν ἄλλων. quae conatus sum interpretari ad Palladium p. 207 seqq. *Quadrifluvia* Vitruvii comparavi cum Columellae loco de Arboribus 7, 5 *Sin autem vitis exiguam materiam habebit, et in diversos ordines diducenda erit, neque aliter potuerit palos, ad quos perducitur, pertingere, quam ut diffluvietur, curabis, ut quam acutissima falce ab ea parte, qua bifurca est, findas eam, et eodem ferro acuto plagam emendes:* ubi Iocundus pessime dedit *diffluat*, cum in Edd. primis et libro Lipsiensi sit *diffluetur*, in Politiani vero Codice optimo omnium clare scriptum exstet *diffluvietur*. In Plinio *quadrifluviata* rectius scriberetur aut *diffluviata*. Rationem dictionis *fluviata* et *quadrifluviis* Salmasius Exercit. p. 727 inde repetere videtur, quod in Theophrasto olim *τετράροος*, *δίροος* et *μονόροος* scriptum fuisse suspicabatur.

eiecto torulo — Sulp. iterum *torculo*. Philander interpretatur partes medullae proximiores, quas, inquit, architecti, auctore Theophrasto Libro 5 de plantarum historia, auferendas praecipiunt, ut quod spississimum materiei sit relinquatur. Salmasius Exercit. p. 727 torulum, inquit, intelligit non corticem, sed eam partem ligni, quae ambit medullam toruli vice. Torulus ille

Digitized by Google

ciicitur perdolatione vel runcina, et sola medulla relinquitur. Idem iterum p. 728 Torulum, inquit, vocat circulum corticeum vel ligni alburnum, quod ambit medullam: Theophrasto φλοιώδης κύκλος dicitur de abiete 5, 6. μήτραν μὲν πάντα μὲν ἔχει, ἣ φασιν οἱ τέκτονες, φανερὰν δ' εἶναι μάλιστα ἐν τῇ ἐλάτῃ· φαίνεσθαι γὰρ οἷον φλοιώδη τινὰ τὴν σύνθεσιν τῶν αὐτῆς κύκλων. Sed in illo corticeo circulo a vero aberravit Salmasius: potius sequenda Philandri ratio, qui comparavit Theophrasti verba 5 cap. 7 διὸ οἱ ἀρχιτέκτονες συγγράφονται περιαιρεῖν τὰ πρὸς τὴν μήτραν, ὅπως λάβωσι τοῦ ξύλου τὸ κυκνότατον καὶ μαλακώτατον. Videamus nunc versiones, Galiani primum: *la parte inferiore al contrario tagliata e spaccata in quattro, gettata via la spugna.* Rode similiter: *letzteres wird, wenn es gefällt worden, in vier Klüfte getheilt, der Splint davon abgesondert.* Quae quidem interpretatio mihi etiam praeplacet. De venarum enim cursibus quadripartitis Vitruvius loqui non voluit, nec ubi de caedendis arboribus et ad aedificia parandis sermo est, potuit. Eam interpretationem mirum in modum adiuvat locus Columellae, ubi *diffluviatur* vitis, id est finditur ferro in diversas partes. Subiiciam nunc annotationem Ciserani p. 50 qui in libris aliquot *corculum* scriptum repererat: *In molti loci per Italia sono chiamati li tori de li arbori et in laquale* (sic) *substantia intima se dice il torlo, sicoma in lo ovo seu in la substantia de epso ligno qual parte extreme bianchegiano et a le interiore rossegiano e sono piu forte; unde et luno et laltro po stare, cioè* torulum et corculum.

et sappinea vocatur — Sulp. Wrat. *intima fusterna sappinea.* Guelf. *intima fusternea saprinea.* Sed margo habet: *in aliis sappinea.* Cum Neutono Rode in versione praetulit e Plinio *sapinus vocatur.* Mihi dubitatio de Plinii loco superest non levis, cum *sapinus* de arbore sui generis a reliquis scriptoribus usurpetur.

Digitized by Google

8.

abundans parumque — Wrat. qui a verbis *Contra vero* Capitulum XXI exorditur, habet h. l. *abundansque parum.* Palladius: *Quercus durabilis si terrenis operibus obruatur.* Plinius 16 sect. 79 *in aquis quercus obruta, eadem supra terram rimosa facit opera torquendo sese.*

ex eo quod — Sulpic. Guelf. Wrat. *quod* omittunt. Deinde *foraminum varietates* Wrat.

in corpus recipere — Ita ex Sulpic. Vatic. Wratisl. et libro Laeti vulgatum *corpore* correxi.

9.

vero, quod est — Sulp. *vero, quae est.* Plinius: *Esculus quoque humoris impatiens; contra adacta in terram in palustribus alnus aeterna onerisque quantilibet patiens.* Palladius: *Aesculus aedificiis et ridicis apta materies.* Compendium Architecturae c. 12 post quercum, de qua est: *cum in terrenis operibus obruitur, perpetuam exhibet utilitatem:* pergit ita: *Cuius apta aedificiis materies et in humore posita perpetuam exhibet utilitatem.* ubi Vatic. 2. *posita sic altius perpetuam* dat. Sed pro *cuius* scribendum est *Esculus*, deinde *sed in humore posita.* Quae sequebantur, exciderunt, eorumque loco suppleta inepte, quae ad quercum pertinent.

Cerrus, quercus, fagus — Secundo loco in Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *quercus* nominatur, cuius in locum Iocundus reposuit *suber*, de quo statim dicetur. Pro *pariter* in seqq. sola Rodiana *parvam* dedit, nescio unde.

pervia raritate — Sulp. Guelf. *pervisa*, Wrat. *percussa.* Deinde *raritatis* Sulp. *raritates* Guelf. Wrat. Postea *humoris* Sulpic. Guelf. Wrat. Palladius: *Castanea mira soliditate perdurat in agris et tectis et operibus caeteris intestinis, cuius solum pondus in vitio est. Fagus in sicco utilis, humore corrumpitur.* Plinius 16 sect. 79 *Fagus et cerrus celeriter marcescunt.* De

Digitized by Google

subere Plinius ex Theophrasto materiem mollem et se torquentem annotavit. Eius mentionem omisit Palladius, *castaneam* contra ponens, cuius materiam non significavit Plinius. In Vitruvio *quercus* iam antea fuerat nominata; igitur locum hic post cerrum habere non potest; cui suberem Iocundus substituit temere. Restitui scripturam librorum, quo facilius lectores doctiores de vitio admoniti in vestigiis scripturae veteris veram exquirant.

habendo satietatem, humoris temperate, parum autem terreni habentes — Correxi vulgatam a Iocundo inductam scripturam: *aëris satiatae, atque humoris temperatae, parum terreni habentes.* Sulp. Guelf. Wrat. cum Vatic. et Franeck. dant: *habendo satietatem humoris temperata* (*temperatae* Sulpic. Vatic. Guelf. Wrat. sed in Guelf. *atae* suprascriptum est) *parum autem terreni habentes.* (Vatic. *habens*) unde Wesseling. Observ. p. 71 efficiebat *habendo satietatem, humore temperatae — parum autem terreni hab.* Laetiana nescio qua auctoritate dedit: *aeris habendo satiate atque humoris temperate, parum terreni habentes.* Philander *saturate* et *temperate* edidit.

leviore temperatura comparatae — Guelf. Wrat. *leuiore.* Deinde *temperatae* Sulp. quod a prima manu habet etiam Guelf. *comparatam* Wrat.

durae terreni — Vatic. Guelf. Wrat. *dura.* Deinde *calidae et in structuris* Sulp. *candida* Vatic. Wrat. Postea *commodam* Wrat. Palladius: *Populus utraque et salix et tilia in scalpturis necessariae.* Compendium Architecturae: *in fabrica inutiles, in sculpturis gratae inveniuntur.* ubi Vatic. 1. *utiles* habet. Antiquum *calidae* restitui, quod etiam Theophrastus h. pl. 5, 4. de tilia: δοκεῖ δὲ καὶ θερμότατον εἶναι τοῦτο· σημεῖον δὲ, ὅτι μάλιστα ἀμβλύνει τὰ σιδήρια. τὴν γὰρ βαφὴν ἀνίησι διὰ τὴν θερμότητα. θερμὸν δὲ καὶ πιττὸς καὶ δάφνη καὶ ὅλως ἐξ ὧν τὰ πυρεῖα γίνεται. quae vertit Plinius 16 cap. 40.

Digitized by Google

10.

materies utilis — Guelf. *ad materiem.* Wrat. *ad materies.*

aëre est et igni — Sulpic. Guelf. Wrat. omittunt verbum, quod tamen Iocundus interseruit. *aeri* Wrat.

Itaque quod minus — Ita Codex Laeti pro vulgato *Itaque quia non nimis.* Sulpic. Guelf. Wrat. *Itaque non minus*, sed in Guelf. negatio *non* damnata est punctis suprapositis. Etiam Vatic. *minus* dant. Deinde *habent* Sulpic. Guelf. sed in Guelf. *habet* suprascriptum. Mihi sanus hic locus non videtur, sed verba *Itaque quod minus habet in corpore humoris* originem habere videntur ex repetitione aberrantis librarii, uti Wratisl. liber bis posuit totum istum locum *in palustribus — habet in corpore.* Itaque locum ita concinnandum censeo: *etenim aëre et igni plurimo temperata — humore paulo, in palustribus — in se, quod minus habet in corpore humoris, permanet* et cet. Correctionem loci eandem cum Iocundo dedit Budaeus annot. prior. ad Pandectas p. 538.

crebre fixa — Sulp. *crebrae fixa.* Deinde *permanent* Guelf. a prima manu habet. Postea *inania* pro *immania* Sulp. Palladius: *Alnus fabricae inutilis sed necessaria, si humidus locus ad accipienda fundamenta palandus est.*

11.

maxime id — Guelf. Wrat. *maximum id.* Deinde ibi *plū opera* Sulp. Postea *habent* pro *habeant* restitui ex Sulp. Wrat. Morgagni in opusculorum miscellaneorum Venetiis 1763 editorum Parte II in Epistola ad Marchionem Polenum comparat locum Strabonis 5 p. 106 Sieb. qui ad Tiberii tempora pertinet, ubi scriptum legitur: *ἐν δὲ τοῖς ἕλεσιν μεγίστη μέν ἐστι Ῥαβέννα ἔυλοκαγὴς ὅλη καὶ διάῤῥυτος, γεφύραις καὶ κορθμίοις ὁδευομένη.* quae vir doctus plane esse contraria censet loco Vitruvii, quem ad Augustea tempora referunt. Scilicet verba Vitruvii de Ravenna cum antecedentibus iungit, atque ita argumentatur: Si

Digitized by Google

Strabonis aetate Ravenna adhuc tota ligneis compacta aedificiis fuit, qui fieri potuit, ut Augusto vivente omnia opera et publica et privata eiusmodi essent, palis fundamentisque suffulta, quae non modo sustinerent immania pondera structurae, sed sine vitiis etiam conservarent? quod diu antea exaedificata opera significat. Putat igitur exemplum a Ravenna sumtum non scriptorem Augusto coaevum sed aliquem potius arguere, qui postea quam Claudius amplam illam et marmoribus ornatissimam portam, quam auream vocarunt posteri, murosque Ravennae dederat, tunc demum viveret, sive is Vitruvius, quod alios eius librorum locos minus credibile sibi facere ait, sive alius fuerit, qui Ravennae exemplum in ora addiderit codicis sui; unde postea sit inter Vitruvii verba translatum. Sed recte monuit V. D. in Novis Actis Erudit. anni 1764 p. 169 in Strabonis loco nihil esse, quod contrarium censeri possit Vitruvii loco, et in hoc nihil esse, quod cogat opera publica et privata Ravennae saxea intelligere, quasi non et lignea esse possint talia, ut sustinere immania pondera structurae dici possint. Contra narratio Strabonis plane confirmat Vitruvii doctrinam.

Ulmus — Hinc Capitulum XXII exorditur Wrat. Copulam *et* ante *ignis* omisit Sulp. Deinde *et terreni* dedit. *sed* Guelf. Wrat. plane omittunt, quod fecit etiam Iocundus reliquique eum secuti Editores. Primus auctore *Fea* addidit Rode.

temperata mixtione — Guelf. *temperatae.* Sulp. Iocund. Galiani *mistione*, Philandri Argentoratensis *mixtione* dedit.

ab pondere humoris non habent — Ita ex Sulp. Guelf. Wrat. Vatic. correxi vulgatum *sub pondere propter humoris abundantiam, non habent:* quod debetur Iocundo, quem deseruit etiam Fea. Deinde *et celeriter* Sulp. Guelf. Wrat. quod restitui pro vulgato *sed* praeeunte Fea. *pandunt* Wrat. a secunda manu Guelf. Plinius ubique *pandari* dixit.

praesectae — Ex Vossiano *persectae*, quod dedit Iocundus primus in locum *perfecto*, quod est in Sulpic. Guelf. Wrat. hoc

Digitized by Google

effeci. *perfectae* Argentoratensis 1543 ex correctione Philandri. De lectione *praesectae* postea dicetur.

qui inest — stantibus — qui est Sulpic. Guelf. Wrat. Deinde *stantes* Sulp. Wrat. Postea *fiunt duriores* Sulp. Guelf. Wrat. Denique *ab leuitudine firmas* Sulp. Wrat. *lenitudine* dedit Galiani. Palladius: *Ulmus et fraxinus si siccentur, rigescunt, ante curvabiles, catenis utiles habentur.* Compendium Architecturae: *in omni opere cito flectuntur, sed cum aruerint, rigidae sunt: lentoris causa catenis utiles.* Plinius: *ulmus et fraxinus lentae, sed facile pandantur, flexiles tamen stantesque a circumcisura siccatae fideliores.* Vides igitur Plinium in hoc Vitruvii loco non legisse scriptum *perfectae*, nec *persectae*, nec *profecto*, sed potius *praesectae*, quod ille *circumcisae* interpretatus est, quasi de ea circumcisura sermo esset, de qua Vitruvius loquitur sect. 3. Sed ex illa circumcisura destillat succus arboris, in ulmo vero aut senectute exarescit aut praesecta emoritur. Itaque non possum probare cum Fea antiquam scripturam sic leviter mutatam: *aridae factae aut in agro, profecto, qui inest eis, liquore, stantes emoriuntur, fiunt duriores.* Profectum liquorem voluit fortasse intelligi evanidum factum, quod an latini sermonis usus tulerit, ignoro.

12.

ignis et terreni — Copulam omisit Wrat. Postea *quod ea materia* dat.

iumentis comparant — Sulpic. *iuvencis*, Wrat. *comparat.* Deinde *aput eos* Wrat.

item et eam ζυγίαν — Sulp. *item et zigea.* Wratisl. *item zigeam eam.* Guelf. *item et zigaeam.* Codex Laeti *item zigaeam.* Cum Philandro Galiani ζυγίαν. Rode cum Iocundo et reliquis ζυγείαν edidit. Plinius 16 sect. 26 de acere: *Tertium genus zygiam, rubentem, fissili ligno, cortice livido et scabro. Hoc alii generis proprii esse malunt et latine carpinum appellant.* Quorum prior pars ducta est ex Theophrasti h. pl. 3, 11.

Digitized by Google

de cupressu — Wrat. *de* omisit; Guelf. suppositis punctis damnat et *cupresso* dat. Deinde *pino* Wrat. Postea *quod hae* Sulp. Guelf. Wrat. Denique *mistionem* Sulp.

quod is liquor — *quod his liquor* Sulp. Wrat. Plinius 16 sect. 80 de bestiolis ligno infestis: *Haec nasci prohibet in aliis amaritudo, ut cupresso.*

13.

et iuniperus — Sulpic. *iuniperusque.* Deinde *cupressu pinu resina ex cedro* Sulp. Guelf. Wrat. omissa copula *et* et *sic.* Wrat. *cypressu.*

ex cedro — Guelf. *cedru* — *cidreum.* Wrat. *cydreum.* Deinde verba *cum sunt* omisit Sulp. *sint* dat Wrat. Praepositionem ante *carie* omittit Guelf. Wrat.

Arboris autem eius — Sulp. Iocundi, Guelf. Wrat. *Arbores.* Correxit Philander. Deinde *autem sunt ei similes* Wrat. Postea *similis* Guelf. a prima manu scriptum habet.

cupresseae foliaturae — Wrat. *cupresse ac folia rutae.*

simulacrum — Wrat. *symulachre.* Sequens *et,* deinde *ex ea* omittunt Sulp. Guelf. Wrat. Plinius 16 sect. 79 *maxime aeterna putant — cedrumque claro de omnibus materiis iudicio in templo Ephesiae Dianae, utpote cum tota Asia exstruente quadringentis annis peractum sit, convenit tectum eius esse cedrinis trabibus. De ipso simulacro deae ambigitur: caeteri ex ebeno esse tradunt.*

fanis — Africae — Sulp. *phanis — Africae.* Wrat. *Syriae* omisit. Plinius 16 sect. 76 *Cedrus in Creta Africa Syria laudatissima. Cedri oleo peruncta materies nec tineam nec cariem sentit. Iunipero eadem virtus quae cedro. — At in Aegypto et Syria reges inopia abietis cedro ad classes feruntur usi.* Idem sect. 79 *Memorabile Uticae templum Apollinis, ubi Numidicarum cedrorum trabes durant ita uti positae fuere prima urbis eius origine.* Idem 16 sect. 21 de pice liquida: *hoc in Syria cedrium vocatur, cui tanta vis est, ut in Aegypto corpora*

Digitized by Google

hominum defunctorum eo perfusa serventur. Cedri genus Syrium non ad iuniperum pertinere, uti cedrum Hispanicam, sed potius ad pineum, hodie constat. De Libyco suspicio est non levis Salmasii Exercit. p. 668 nominis similitudinem cum citro peperisse errandi occasionem.

14.

Larix — qui non est notus — Sola Sulp. Editio *quae — nota* dat, deinde cum Vatic. Guelf. Wrat. *municipalibus*, quod Iocundus in *municipiis* mutavit. Genus foemineum in larice semper usurpavit Plinius.

circa ripam — Padi — Sulp. *ad ripam.* Deinde *litora* Sulp. Guelf. hic et ubique dant. Postea *Adriani* Vatic. Guelf. Wrat. Comes Rezzonici in Disquisitionibus Plinianis p. 128. Nulla, inquit, larix cognita mihi Padi ripas vestit; atque hinc arguit Vitruvium Veronensem non fuisse. Laricem montium summa amare. At vide annotata ad Palladium p. 204.

ob succi — Sulp. *a succo.* Guelf. *ab suco* suprascripto *suci*, quod est in Wrat. Deinde *vehementi amaritate* Sulpic. Guelf. Wrat. Iocundus *ab succi vehementi amaritate* dedit, sed Philander induxit *ob succi*, quod retinuit Laet, correxit Galiani. Postea *a carie* Sulp. Denique *aut tinia* Guelf. Wrat. *tynea* tamen Wrat.

ex igni — ardere — Sulp. *ex igne.* Sequens *ardere* omisit Wrat. et deinde verbum *uratur.*

tarde comburitur — Sulp. *tandem comb.* Deinde *nimius ignis et aëris*, denique *temperaturae* Wrat.

terreno est materia — et non habens — Wrat. *terrene.* Sulp. *terreno est spisse solidata non habet.* Etiam Guelf. Wrat. omissa *materia* et copula *et* dant *habet.* Item Vatic. *habet* probant. Iocundus *est* omisit et *materia* inseruit. Sequens *qua* pro *quo* revocavi ex Sulp. utraque Iocundi, Guelf. Wrat.

reiicitque eius vim, nec — Guelf. Wrat. *reicitque.* Deinde *eius vinde, ut* Wrat.

Digitized by Google

rates — In Vossii libro ita a secunda manu scriptum fuit, ipse *crates* legendum censuit, referente Laeto.

15.

est causa cognoscere — In Wrat. est *ca.* scriptum. Nova dictio pro *operae pretium est.* Deinde *imperasset* Sulp. Postea *vocabatur* cum Laetiana dedit Galiani. Denique Sulp. *qui fuerunt in eo.*

transversis uti pyra — Wrat. omisso primo vocabulo *phyra.* Deinde *uti posset* Guelf. Wrat. Postea *accendentes repellere* Wratisl.

16.

Postquam — virgas comprehendisset — Guelf. *Posteaquam.* Deinde *fasces* Vatic. 2. Postea *apprehendisset* Wrat. quam formam verbi praefero.

sublata effecit — Guelf. Wrat. *sublatam efficit.* Deinde *Quom autem* Sulp. Postea *requita* Wrat.

turrisque — Sulp. Guelf. Wrat. omittunt *que.* Deinde *opidani* Wrat. Postea *ideo hoc castellum* Wrat. Denique *materia larigna* Wrat.

per Padum — Plinius 3 c. 16 *Padus — gravis terrae quanquam deductus in flumina et fossas inter Ravennam Altinumque per CXX. M. passus. — Augustâ fossâ Ravennam trahitur, ubi Padusa vocatur, quondam Messanicus appellatus.* Iornandes de Reb. Getic. c. 29 *a meridie Ravennae idem ipse Padus — ab Augusto Imperatore altissima fossa demissus.*

colonia Fanestri — *coloniam* Sulp. Wrat. *Fanestrensem* Sulp. *Fenestri* a prima manu Guelf. Philander annotavit locum Plinii 5 sect. 19. de Umbrorum oppidis: *coloniae Fanum Fortunae, Pisaurum.* Melae 2 c. 4 *colonia Fanestris* audit, *Colonia Iulia Fanum Fortunae* apud Gruterum Inscr. p. 475 sed *Fanestris* p. 433.

materiei — Sulp. Guelf. Wrat. *materies.* Postea *apportationis* Sulp. Deinde pro *in omnibus* Sulp. *in omne*, quod est in Guelf. a prima manu, sed a secunda est *in omni*, ut in Wrat.

Digitized by Google

eae nec flammam — Sulp. Wratisl. *ea.* Deinde *neque* bis Guelf. *neque carbonem* Wrat. Palladius: *Larix utilissima: ex qua si tabulas suffigas tegulis in fronte atque extremitate tectorum, praesidium contra incendia contulisti: neque enim flammam recipiunt, aut carbones creare possunt.* Compendium Architecturae cap. 12 *ex ea adfixae tabulae subgrunda ignis violentiam prohibent.* ubi Vascosana dabat: *affixa tabula a suggrundo.*

17.

eae arbores — Sulp. Guelf. Wrat. *hae arbores.*

sappinea — Sulp. *sappina.* Guelf. *sapprina.* Sed a secunda manu damnatur litera *r.* Wrat. *sapina.* Cum Sulp. facit Codex Laeti et Salmasii Exercit. p. 504.

habetque — *Attici* — Wrat. *suntque* — *aciti.* Guelf. *Attii.* Deinde *ptisicis* Sulp. Wrat. *thisicis* Vatic.

De singulis — Hinc Capitulum XXIV exorditur Wrat.

quibus proprietatibus e natura — Sulp. *quibus* post *proprietatibus* transponit. Deinde *ea natura* Guelf. Wrat. Postea *procreentur* sequi debebat antecedens *videantur esse.*

quid ita quae — Ita Sulp. Guelf. Wrat. ineptissime Iocundus post *ita* interseruit *quod:* et statim similiter vitiavit sequentia *quam quae infernas quae* edendo, ubi fidem Sulp. Guelf. Wrat. secutus sum.

uti sint — *exponam* — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *uti essent* — *exponerem.* Sola tamen Sulp. dedit *exponam.* unde Iocundus recte etiam *sint* scripsisse videtur.

AD CAPUT X.

ab Tyrrheno — Wrat. *a.* Deinde *Tyrrhenico* Vatic. Guelf. Wrat. Sequentia *in Alpis et in extremas* Rodiana mutavit in *inter Alpes et extremas.*

maris Adriatici — Wratisl. *marias.* Vatic. Guelf. Wratisl. *Adriani*, Sulp. *Adriaci.*

Digitized by Google

ad solis cursum — Ita Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Laeti Vossianus, nisi quod *a* est in Guelf. Wrat. Vulgabatur *a solis cursu.*

turgentes — Sulp. Guelf. *urgentes*, Wrat. *urgentis*, Codex Laeti *turgente.* Deinde *dedolatae* Wrat. *amiserunt* Sulp. Guelf.

venarum rigore permanente — Inepte Iocundus scripturam Sulp. *rigore permentes* mutavit in *rigorem permutantes.* Guelf. dat *rigore permantes*, Wrat. *rigore permanentes.* unde effeci, quod postea vidi Perralto placuisse ex Codice aliquo ductum, frustra vulgatum defendente Galiano. Deinde *sicciscendo* Guelf. Wratisl.

2.

Quae autem ad solis cursum — Wrat. omisso *autem* dat *occursum.* Deinde *intervenarum* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat.

siccitatibus exuctae — Sulpic. *siccitates exsuctae.* Vatic. *exutae.* Wrat. *exsuccae.*

Itaque quae sunt — Sulp. *Ita quae sunt.* Deinde *quae cum in materiam* Sulpic. Guelf. Wrat. *materiem* Guelf. Postea *infernantes* Sulp. ut paulo post *supernantibus* Wrat.

advehuntur — Guelf. Wrat. *adducuntur.*

3.

ignota aedificantibus — Sulpic. *ignota aedificationibus.* Deinceps *Ita qui* Sulp. Wrat. Postea *potuerunt* Wrat.

apparationibus — Sulp. *apparitionibus.* Deinde *exponitur* Wrat. Postea *et primo* Sulp. Plinius 16 c. 39 *et in ipsis arboribus robustiores aquiloniae partes: et in totum deteriores ex humidis opacisque, spissiores ex apricis ac diuturnae. Ideo Romae infernas abies supernati praefertur.* Haec eadem est doctrina Theophrasti histor. plant. 5 cap. 2 et 3. Palladius 12, 15 *quaecunque autem ex parte meridiana caeduntur, utiliores sunt, quae vero ex septentrionali, proceriores, sed facile vitiantur.*

Digitized by Google

AD LIBRI III. PRAEFATIONEM.

pectora fenestrata — Philander admonuit Lucianum in Hermotimo (T. IV p. 26 ed. Bipont.) Momo hanc sententiam tribuere: *διότι μὴ καὶ θυρίδας ἐποίησεν αὐτῷ κατὰ τὸ στέρνον, ὡς ἀναπετασθεισῶν γνώριμα γίγνεσθαι ἅπασιν ἃ βούλεται καὶ ἐπινοεῖ, καὶ εἰ ψεύδεται ἢ ἀληθεύει.* Rectius haec Momus, quam Socrates sensisse et dixisse perhibetur. Fabulam Aesopiam ex Babrii choliambis ductam dedit Codex in Tyrwhitti Dissert. de Babrio p. 39 unde apparet esse eandem, ex qua Momum Aesopium nominavit Aristoteles de Partibus Animal. 3 c. 2. In ea igitur est: *τοῦ δέ γε τὰς φρένας ἀνθρώπου καὶ τὰς βουλὰς φανερὰς εἶναι, ὡς ἂν διαγιγνώσκηται, τί βουλεύεται ἕκαστος.*

ad manum aspicerentur — id est statim.

considerationem — Sulpic. Guelf. Wratisl. *consideratione.* Deinde Wratisl. *a doctis* habet. Idem liber post *natura* omittit *rerum.*

Ipsi autem artifices — Sulpic. Guelf. Wrat. *Ipsique artifices.* Sequens *etiamsi* omittunt iidem libri. Postea *pollicentur* Sulp. *pollicerentur* Guelf. Wratisl.

seu vetustate officinarum — Sulpic. Guelf. Wratisl. Vatic. Laeti *sed vet.* habent. Deinde *gratia forensi et eloquentia cum fuerint* Sulpic. Guelf. Wrat. Vatic.

praediti — Sulpic. Guelf. Wratisl. Vatic. *parati.* Deinde *auctoritates possunt habere* — *crederetur* dant iidem libri, nisi quod *possint* Sulpic. *auctoritate* Wratisl. Ex librorum scriptorum et Sulpic. lectione efficitur minore cum mutatione haec lectio: *Ipsique artifices pollicentur suam prudentiam, sed si non pecunia sint copiosi aut vetustate officinarum habuerint notitiam, aut etiam gratia et forensi eloquentia non fuerint parati* et reliqua.

Digitized by Google

2.

Namque uti — Sulp. *Namque ut in.* Guelf. Wrat. *Namque ut.* Deinde *nobilibus civibus* Sulp. Postea *minore* Sulp. Guelf. Wrat.

nobilibus — Librorum scriptorum et editorum *nobilibus* Philander mutavit *ex aliis Codicibus*, ut ait, in *ignobilibus.* At ita saltem *ignobilibusque* scriptum oportebat, ut structura verborum vacillans fulciretur. At mutatione verborum plane opus non est; sed interpunctio erat mutanda, et post *nobilibus* comma ponendum, quod vocabulum cum antecedentibus iungendum: *non minore studio et ingenio solertiaque fuerunt* quam nobiles illi statuarii.

deserti — Sulpic. *diserti*, Guelf. *desepti.* Deinde *Chellas* Wratisl. *Chyon Chorinthius* Wratisl. *Dion* est in Sulpic.

Myagrus — Sulpic. *Miagrius.* Deinde *Phoceus* Wrat. Plinius 34 sect. 19 no. 34 obiter cum aliis nominat *Myiagrum* non addita patria.

Bedas Byzantius — Sulpic. Guelf. Wratisl. *Boedas.* Inter Lysippi discipulos sine patriae indicio nominat *Bedam* Plinius 34 cap. 8.

Polycles — Sulpic. Wratisl. *Polides et Andramites.* Guelf. *et andramithes.* Vatic. *et Antramithes.*

Nicomachus — Sulpic. *Niteonagius*, Guelf. Wrat. *nitheo magnis.* In quo verae scripturae *Magnes* vestigium latere videtur. Patriae enim indicium reliquis pictoribus omnibus additum est. Nomen ipsum pictoris ignobilis, ipso fatente Vitruvio, quis eruet verum?

ceterique — Guelf. Wratisl. *ceterisque.*

superatio — Sulpic. Guelf. Wrat. *superati*, Wratisl. tamen *separati* habet.

3.

ignorantiam — Guelf. Wratisl. et duo Vossiani, teste Oudendorpio ad Suetonium p. 745 *inmotitiam* dant.

blandiatur — Sulpic. et Wratisl. *blandiantur.* Galiani vertit:

Digitized by Google

che in grazia degli amici si abbraccino i falsi, non i veri giudizi. Rode: *wenn öfters niedere Schmeicheley, wider besseres Bewuſstseyn, Verdienst gegen Unverdienst herabsezt.* Neutrius sententiae vestigia aperta sunt in lectione sine dubio vitiosa.

Ergo, (uti) — Exorditur hinc Wratisl. *Capitulum II.*

et perlucidae — Haec verba Sulpic. omisit; et malim equidem abesse.

nostrae scientiae — Sulpic. *naturae sñie* dat.

4.

quas habeat ea virtutes — Sulp. omisit *ea.*

loci salubres — Guelf. Wrat. *loci*, solus Wratisl. *salubribus*, et paulo antea *elegantur.*

regionibus — Vocabulum omittunt Sulpic. Guelf. Wratisl. Deinde *spirant* Guelf. Wratisl. Postea *grammaticis* male Sulpic. Guelf. Wrat. Vatic.

emendatae — Sulpic. *emendate.* Deinde *primo volumini* dedi pro *volumine.* Laetiana *primo libro* edidit. Postea *quibus virtutibus e natura rerum sit comparata* postulat concinnitas orationis. Praecessit enim *quas habeat utilitates.* Ceterum Scaliger corrigebat: *virtutibus naturarum.* Vide supra ad 2, 9, 6.

aedibus sacris — Varro de L. L. 6 p. 82 ed. Bipont. *in urbe Roma pleraeque aedes sacrae sunt templa, eadem sancta.* Idem apud Gellium 14 c. 7. *Non omnes*, inquit, *aedes sacrae templa sunt, ac ne aedes quidem Vestae templum est.* Ibidem accurate, quod erat et dicebatur templum, explicatur.

perscriptas esse — Sulpic. Wrat. non inepte *esse* omittunt. *Praescriptas* dedit Iocundus. Verbum difficile ad interpretandum, quod non reddiderunt Galiani et Rode, figuram ille aedium *Form* hic simpliciter interpretatus est, quasi non *perscriptas* sed *perfectas* editum legeretur.

Digitized by Google

AD CAPUT I.

Inscriptionem novam Capiti feci, cum antiqua ad totum caput referretur, a quo separandas censui sectiones priores novem. A decima novum caput exorsus sum.

Aedium compositio — Wrat. *expositio* dat. *Compositio* h. l. est pro *ordinatio*, ut infra sequetur *Diastyli compositio* pro *ordinatio*. Monuit Perraltus. Deinde *symmetriis* — *rationes* Sulpiciana. Postea *architecturae* Wrat. Compositionem dici, quae alibi est *dispositio*, monuit Galiani.

ratae partis — *totiusque* — Wratisl. *statae*. Deinde *tota* Sulp. Guelf. Wrat. Vatic.

non potest aedes — Wrat. *ut potest*. Deinde *aedis* Guelf. Wratisl.

ad hominis — *exactam rationem* — Wratisl. *ab hominis*. In reliquis libri nihil varietatis offerunt, quamvis manifestum sit deesse aliquod vocabulum, veluti *eam* vel simile pronomen.

2.

ad frontem — Wratisl. *ad florentem*.

ab articulo — Carpum et metacarpum dicit, quem utrumque graeci scriptores carpi nomine appellant.

tantumdem ab cervicibus imis — Sulpiciana, Vatic. Guelf. Wratisl. *cum cervicibus imis* brevius habent scriptum. *Cervicas imas* Galiani *la nuca* vertit, eumque sequitur Rode. Romani scriptores *cervices*, non *cervicem*, usurparunt de ea colli regione, quae graece αὐχὴν audit, et in homine erecto est posterior. Vide dicta ad Varronem R. R. 2, 9, 4 p. 472.

Ab summo pectore — Sulpic. *a summo*. Sequens *quartae* suspectum fuit *Galiano*, qui *quintae* scribendum censet, nisi forte verba *ab medio pectore* intercideriut.

ad imas nares — Wratisl. *usque ad i. n.* Sequens *nasus* Sulpic. Vatic. 2. Guelf. Wrat. in *nasum* mutant. Debebat esse *nasi*. Postea *ab eorum fine* Vatic. 2.

Digitized by Google

capilli, ubi — Vocabulum *ubi* omittit Sulpic. Wratisl.
Cubitus — Sulpic. Vatic. 2. Guelf. Wrat. *Cubitum.*

3.

pictores et statuarii — Symmetrias artificum antiquorum collectas et locum Vitruvii egregio commentario illustravit P. Camper in libro germanice verso: *Ueber den natürlichen Unterschied der Gesichtszüge in Menschen. Berolini* 1792 p. 53 seqq. Addo locum praeclarum Diodori Siculi I, 98 unde cognoscimus symmetrias, quibus usi sunt artifices Aegyptiaci: *παρ' ἐκείνοις γὰρ οὐκ ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν ὅρασιν φαντασίας τὴν συμμετρίαν τῶν ἀγαλμάτων κρίνεσθαι, καθάπερ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλ' ἐπειδὰν τοὺς λίθους καταπαίνωσι καὶ μερίσαντες κατεργάσωνται, τὸ τηνικαῦτα τὸ ἀνάλογον ἀπὸ τῶν ἐλαχίστων ἐπὶ τὰ μέγιστα λαμβάνεσθαι· τοῦ γὰρ παντὸς σώματος τὴν κατασκευὴν εἰς ἓν καὶ εἴκοσι μέρη καὶ προσέτι τέταρτον* ($21\frac{1}{4}$) *διαιρουμένους, τὴν ὅλην ἀποδιδόναι συμμετρίαν τοῦ ζώου. Διόπερ ὅταν περὶ τοῦ μεγέθους οἱ τεχνῖται πρὸς ἀλλήλους συνθῶνται, χωρισθέντες ἀπ' ἀλλήλων σύμφωνα κατασκευάζουσι τὰ μεγέθη τῶν ἔργων οὕτως ἀκριβῶς, ὥστε ἐκπλῆξιν παρέχειν τὴν ἰδιότητα τῆς πραγματείας αὐτῶν. Τὸ δ' ἐν τῇ Σάμῳ ξόανον συμφώνως τῇ τῶν Λίγυπτίων φιλοτεχνίᾳ κατὰ τὴν πορυφὴν διχοτομούμενον διορίζειν τοῦ ζώου τὸ μέσον μέχρι τῶν αἰδοίων, ἰσάζον ὁμοίως ἑαυτῷ πάντοθεν.* Samium signum ligneum Diodorus dicit Apollinis Pythii Sami, cuius altera pars a Telecle Ephesi, altera a Theodoro, Rhoeci filio, Sami elaborata fuit. Ibidem fuit signum Iunonis antiquissimum omnium cum templo, auctore Pausania 7, 4, 4. Signum is Smilidi Aeginetae tribuit, Daedalo aequali, cuius signa omnia e ligno fuisse facta constat. Cf. Heynii Opuscula Vol. V p. 339. Eidem Smilidi adscribit signum Iunonis Samiae Olympichus Clementis Alexandrini Protrept. p. 14 Sylb. Aegyptia, id est signis Aegyptiis similia, simulque lignea omnium antiquissima dicit Pausanias 2, 19, 3. et 7, 5, 3. 1, 42, 5. Labyrinthum Sami Theodorum Samium, Rhoeci filium, fecisse narrat Plinius 34 s. 19 no. 22. Templum Iunonis

Digitized by Google

Rhoecum, Philae filium, Herodotus 3, 60. Idem Plinius 36 sect. 19 no. 3 praeter labyrinthum Creticum a Daedalo expressum ad instar Aegyptii, memorat Lemnium et quartum Italicum a Porsenna rege exstructum, Samii plane oblitus, nisi fuit alios auctores secutus, qui Samium labyrinthum in Lemnum transtulerant. Atqui solius Lemnii reliquias superesse narrat Plinius; itaque error scriptorum tam facilis esse non potuit. Lemnii autem architectos facit *Zmilum*, *Rhodum et Theodorum indigenam.* ubi *Smilis*, *Rhoecus* corrigi recte voluit Heyne Opusculorum Acad. V p. 342. Samium vero voluisse labyrinthum nominare Plinium ex eo etiam apparet, quod Theodorum indigenam nominat. Theodorum Lemnium artificem ignorant scriptores veteres, Samium omnes celebrant et opes Samiorum, quibus Lemnus nunquam abundavit. Sed e deverticulo ut redeam ad Diodori narrationem, iuvat annotare doctissimi Galli *Denon* animadversionem, qui picturam Tentyritanam vidit rubrica circumscriptam et lineam, in qua symmetriae figurarum descriptae erant, ita ut corpus humanum in partes 22½ divideretur, quarum 2⅔ id est octava totius summae, capiti tribuebantur. Addit easdem symmetrias artifices graecos in figuris heroicis fingendis adhibuisse.

totius magnitudinis — Sulpiciana *etiam* interserit. Deinde eadem *habent.* Postea *commensus responsum* Vatic. Guelf. Wrat.

centrum medium — Suspicor olim fuisse *medium tanquam centrum.* Contra iam olim monuit Varro de L. L. 6 p. 84 ed. Bipont. *Umbilicum aiunt ab umbilico nostro, quod is medius locus sit terrarum, ut umbilicus est hominis medium. Quod utrumque est falsum. Neque hic locus est terrarum medius, neque noster umbilicus est hominis medius.*

circinique — centrum — Sulpiciana cum Wratisl. *circumque* habet. *Centrum* dici pedem firmum circini monuit Philander. *Rotundatio* est orbis a pede circini moto descriptus.

utrarumque manuum — Guelf. Wrat. inepte *rerum* interserunt. Deinde *linea* omittit Sulpiciana, non inepte. Alterum enim circini crus circumductum tangit digitos.

Digitized by Google

schema — invenitur — Wratisl. *scema.* Deinde *invenietur* Guelf. Vatic.

ad normam sunt quadratae — Wratisl. *ornam.* Equidem exspectabam *quae — fuerit quadrata.*

4.

cum causa — Sulpic. *cum eam*, deinde *videantur.* — *In operum perfectionibus* dixit Vitruvius pro in operibus perficiendis.

Igitur cum in omnibus — Hinc Capitulum IV exorditur Wratisl.

id maxime — in quibus — Sulpic. Vatic. Wrat. *id* omittunt. Deinde verba *in quibus* desunt in Sulpic. Vatic. Guelf. Wrat. ubi praeterea est *et laudes et culpae.* Mihi scribendum videtur, *traderent, tum maxime* (intellige *tradiderunt*) *in aedibus deorum, quorum operum et laudes — permanere. Quorum* facilius ob praecedens *deorum* excidere potuit quam *in quibus.*

5.

τέλειον — Sulpiciana *theleon*, Guelf. *teleon*, Wrat. *taleon.*

denarius — numerus — Sulpiciana prius vocabulum omittit cum Wratisl. deinde *numerum* habet cum Guelf. Wrat.

Sicut autem in — Sulpic. Guelf. Wratisl. *Si autem in utrisque palmis.* Sulpic. etiam *in* omisit. Deinde Sulpic. *a natura — perfecti, Platoni*, omisso *ita* Sulpic. Guelf. Wrat. Unde colligo veram Vitruvii scripturam hanc: *Si autem in utrisque palmis a natura decem sunt perfecti, etiam Platoni placuit.* Ita supra est: *Si ita natura composuit, — cum causa* et cet. Verba *ex articulis* aliena sunt ab hoc loco, sive articulos carpos sive phalanges digitorum interpreteris. Ceterum Plato sensit cum Pythagoricis, de quibus Theo Smyrnaeus de Mathematicis Platonis c. 32. ubi de denario numero est: ὃν καθ' ἕτερον λόγον τέλειον ἔφασαν οἱ Πυθαγορικοί.

simulac — Sulpic. *simul aut*, Guelf. Wrat. *simul autem*, unde emergit vera Vitruvii scriptura *simul ut.*

Digitized by Google

factae — Sulpiciana *facti* cum Vatic. *perfecti* Wrat. Deinde *quot superaverint* solus Wratisl. recte, ubi vulgabatur *quod*. Scilicet libri scripti fere *aliquod*, *quodammis* et similia vocabula litera *d* scripta exhibent.

perfectae — Sulpic. Vatic. Guelf. Wrat. *perfecti*. Deinde *decusis* Guelf. Wrat. *decussis* Sulpic. Postea *perveniant* Guelf. Wratisl.

6.

numero convenientes — Galiani aequivalentes interpretatur. Theo Smyrnaeus de Mathem. Platonis cap. 32 *οἱ μὲν τέλειοί εἰσιν ἀριθμοὶ οἱ τοῖς αὐτῶν μέρεσιν ἴσοι*. Sic iterum cap. 45. ubi vide Interpretes. Perraltus h. l. corrigi voluit *earum rationibus*, quae vertit: *chacune selon sa proportion*. Contra vulgatum defendens Galiani vertit: *à loro modo di raziocinare sommati eguagliano il numero di sei*.

trientem duo — Sulpic. Vatic. Guelf. Wratisl. *trientes*. Deinde *duos* Sulpic. Vatic. Wratisl.

bessem — Vocabulum omittit Guelf. Wratisl. Deinde *dimeron* Sulpic. Guelf. Wrat. Verbum *dicunt* omittit Sulpic. Postea *penthimeron* Sulpic. *pentemoeron* Guelf. sic tamen ut *o* litera a secunda manu sit deleta; *penthemoeron* Wratisl. Quid in ea scriptura latere mihi videatur mox dicam.

supputationem — Wratisl. *suppletionem*, Sulpic. *duplicationem*. Pro *crescat* scribendum censeo *crescit*. *eum* enim hoc loco non causam significat, sed factum.

adiecto asse — Cum Philandro Galiani monuit scribendum esse *sextante* pro *asse*. Contra Salmasius ad Scriptores historiae aug. p. 216 et 472 vulgatam defendens scripturam assem interpretatur unitatem, quae huic loco non convenit, ubi as est pro toto aliquo in suas quasdam partes diviso. Meibomius in Editione Laetiana p. 254 corrigebat: *adiecta assis sexta, cum facta sunt septem, habemus sextantem alterum, quem vocant ἕξαντον*. Verum brevior superest via ad tollendum vitium, si scribas: *supra*

Digitized by Google

assem sextante adiecto. Ceterum *effectum* pro ἔφαστον dant Sulp. Guelf. Wrat. Ciseranus in libro aliquo ἕκτον, in alio *effectum*, in tertio δράστραν esse testatur.

ad tertiarium — Sulp. Guelf. Wrat. *tertiarum autem, qui* ἐπίτριτος. Iocundus nihil tentavit in ea scriptura, quod tamen ausus est facere Rode, qui *trientem alterum* edidit ad instar scilicet sequentis *bes alterum.* De vitio quod recte animadvertit, laudo virum doctum; sed in eo temere fecit, quod fidem librorum scriptorum deseruit. Salmasius enim de Modo Usurarum p. 17 testatur se in Codice antiquissimo Vitruvii scriptum reperisse *ad tertiarium;* atque ad hanc normam deinceps *ad quintarium* scribendum censuit. Ad verbum reddere voluisse Vitruvius videtur Graecam vocem latina conficta a se; nam exempla eius formae alibi non reperit Salmasius nec ego. Interim *quintarium* reliqui in altero loco, cum libri scripti non addicerent corrigenti. Baldum pro Salmasio nominavit Rode, quoniam Baldi verbis Laet annotationem Salmasianam in Lexico subiecit, nomine tamen eiusdem anteposito satis distinctam. Ceterum Ciseranus in libro aliquo ἐπίστριτος, in multis *epitritos* scriptum reperit.

decussi facto — Sulp. *decussis*, Guelf. Wrat. *decusis.* Deinceps *bis alterum* Wrat. Philander ex Festo apposuit *lignum bes alterum*, id est pedem et bessem latitudinis habens. Locus est Festi ad h. l. appositissimus hic: *Trientem tertium pondo coronam auream dedisse se Iovi donum scripsit T. Quintius Dictator, quom per novem dies totidem urbes et decimam Praeneste cepisset. Id significare ait Cincius in Mystagogicon libro II duas libras pondo et trientem, qua consuetudine hodieque utimur, quom lignum bes alterum dicimus, id est, pedem et bessem latitudinis habens, et sestertium, id est, duos asses et semissem tertium; item si tres asses sunt et quadrans, quadrans quartus.*

quod adiecti sunt — Wrat. *qui ad. s.* Deinceps *quintarium alterum* edere ausus est Rode, ut supra *trientem alterum*, secu-

Digitized by Google

tus scilicet Philandrum, qui tamen antecedentem *tertiarium* intactum reliquit, quem in *trientem alterum* mutavit Rode.

quem ἐπίπεμπτον — Restitui scripturam Vatic. Guelf. Wrat. ad quam accedit Sulp. ubi extat: *quod epipenton.* Iocundus recte fecit corrigendo *quod ἐπιπεντάμοιρον*, si scilicet supra recte habet *quintarium quem πεντάμοιρον dicunt.* Sed scripturam eius loci in libris scriptis variatam supra annotavi; et si *δίμοιρον* bessem, id est quatuor significat, *μοῖρα* una non potest pro una parte duci et dici; non magis etiam *πεντάμοιρον* quinque partes habebit. Quod libri scripti dant *ἐπίπεμπτον*, dicitur quidem ad similitudinem vocabuli *ἕφεκτον*, sed numerandi ratio vacillat, uti dixi. Ut enim *ἕφεκτος* sextam habet partem adiectam, ita *ἐπίπεμπτος* quintam habere debet. Verum non constat, num Graeci quinque partibus perfecti numeri sex compositum numerum *ἐπίπεμπτον* dixerint, ut Romani *quintarium*, qui quinque partes numeri sex continebat. In superiore loco *quintarium*, *quem penthemimoeron dicunt* facile efficies ex scriptura Sulpicianae editionis, quod dicitur ut *τριημιχοίνιξ*, *πενθημιχοίνιξ* et similia, id est pro tribus et quinque dimidiatis choenicibus. Ita igitur *πενθημίμοιρον* significabit quinque dimidiatas *μοίρας*, hoc est quinque. Ad hanc normam in hoc altero loco item scribendum erit *ἐπιπενθημίμοιρον.* Denique admonendus est lector Rodianam nescio quo auctore *quem ἐπιπεντάμοιρον* dedisse, nisi eius auctor fuit libros Vatic. Guelf. (et Wrat.) secutus, qui *quem* scriptum habent.

duobus simplicibus numeris — Wrat. *numeris simplicibus* omisso *duobus.* Deinde *est factus* Sulp. Postea *diplasiona* Sulp. *displasiona* Wrat. *διπλάσιον* ex alio Codice scribi maluit Philander.

7.

quod pes — Wrat. *quia pes*, deinde *partem habet.* In sequentibus Sulpic. dedit *corpori sexies altitudinis terminavit.* Guelf. cum Arundel. et Wrat. *corporis sexies alt. terminavit.* Ex Vaticanis Galiani *corporis sexies* tantum annotavit. Iocundus eumque secuti Editores posuerunt: *corpus his sex alt. termi-*

Digitized by Google

nando. Laet corrigi voluit: *quod perficitur corpus, his sex altitudinem terminando.* Philander maluit *ex eo quo perficitur:* quem sequitur cum Barbaro Perraltus. Equidem scribendum censeo: *pedum sex numero corporis altitudinis terminatio:* quam coniecturam non dubitavi orationi Vitruvii inserere, in quo mihi minor audaciae culpa timenda erat quam Iocundo.

ex sex palmis — Wrat. *in sex palmis.* In sequentibus iterum Iocundus fidem librorum scriptorum mira cum audacia sprevit. In Sulp. Guelf. Wrat. est *fecisse quemadmodum cubitus est sex palmorum, in* (*et* Wrat.) *drachma* (*dracma* Sulp. *dragma* Guelf. Wrat.) *qua numero uterentur, aereos signatos uti asses ex quo sex obolos appellant — in drachma* (*draema* Sulp. *dragma* Guelf. Wrat.) *constituisse.* In Wrat. post *signatos* additum est *obulorum*, verba autem sequentia usque ad *obolorum* omissa sunt. Iocundus hinc effecit: *fecisse, uti quemadmodum cubitus est sex palmorum, ita in drachma quoque eo numero uterentur; illae enim aereos signatos, uti asses, ex aequo sex quos obolos appellant, quadrantesque obolorum — pro digitis viginti quatuor in drachma constituerunt.* Galiani varietatem *digitisque* ex Iocundi Editione posuit, in qua tamen utraque *digitis* exstat; deinde Barbarum verba *in drachma* ante *constituerunt* omisisse annotavit. Mihi servata fide librorum scriptorum integra multo minore mutatione opus fuit, ut sententiam Vitruvii explanarem: quanquam fatear periodum ita factam esse paulo contortiorem quam fert sermo Vitruvianus.

dichalca — Pollux 9, 65 *ὁ μέντοι ὀβολὸς ὀπτὼ χαλκοῦς εἶχε. καὶ οἱ μὲν δύο χαλκοῖ τεταρτημόριον· — οὗτοι δ' ἂν εἶεν καὶ δίχαλκον, ὅτι ἦν τοῦ ὀβολοῦ τέταρτον.* Qui quadrantem oboli *τρίχαλκον* vocarunt, quam rationem aut analogiam secuti fuerint, equidem non exputo. At Laetiana posuit ex Salmasio obolum argenteum Siculum duodecim chalcos habuisse; hinc esse, quod *τρίχαλκον* quadrantem oboli quidam fecerint. Budaei de Asse p. 173 haec est annotatio ad h. l. *Ex hoc loco falsitatis arguitur Plinii locus in fine libri 21, ubi ait obolum decem chalcos habere. Aut enim obo-*

Digitized by Google

lus octo chalcos habuit, id quod nos diximus, et sic in quaterna dichalca dividitur; aut duodenos, si quadrantes trichalci id est ternarii fuerunt, quod non Athenis, sed alibi fuisse puto, sicubi fuit.

8.

decem fecerunt antiquum numerum — Sulp. Wrat. *primo fecerunt antiquum numerum* omisso *decem.* Mihi etiam hic *numus* in locum *numeri* restituendus esse videtur. *Decem* omisi, quod *asses* ex antecedentibus repeti voluit Vitruvius.

denos aeris — Ita Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Iocundus primus dedit *denos aereos asses.* Sed *asses* hic iterum repetendi sunt ex antecedenti periodo.

compositio nominis — Ita Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Iocundus primus ausus est *nummi* edere, et sequentia etiam verba *denarium retinet* depravare in *denarii nomen retinet.* Sed Sulpic. Guelf. Wrat. *denarium* dant, de Vaticanis libris tacet Galiani, aut potius *denarium* etiam ab illis abesse significavit. Perraltus coniecturam civis sui Villalpande annotavit, qui vulgatum *compositio numi* veluti e margine illatam interpolationem tolli voluerit.

etiamque pars quarta quod — Revocavi scripturam Sulpic. Guelf. Wrat. Iocundus dedit: *quartam eius partem.* In Sulpic. est *etiamquae.* Eadem sequens *quod* post *quarta* omisit.

vocitaverunt — Sulp. Wrat. *vocitarunt.* Deinceps *postea autem quam* dedi ex Guelf. *postquam animad.* Sulp. *post autem quoniam.*

utrosque — Sulp. *utroque.* Deinde *decusis sexeis* Guelf. Wrat. *decussis sexis* Sulp. Postea *auctores invenerunt* Sulp.

uti habeat pes sexdecim digitos — Sulp. ordine mutato *uti pes habeat digitos sexdecim.* In Wrat. est XIII. Deinde *asses aereus* Sulp. *ases aeratius* Guelf. Wrat. *aereos* Cotton. *aeratius* Argentoratensis anni 1543. Primus Philander correxit *aereos,* quod receperunt Editores secuti omnes. Causam is posuit hanc ex Plinio 33 cap. 3. *quod denarius fuerit aureus aut argenteus.* Hanc eandem posuit etiam Budaeus de Asse p. 173 ubi h. l. corrigit:

Digitized by Google

totidem asses aureos denarius. Commemoravit is etiam scripturam *aeratius.* Plinius 33 cap. 3. *Cum asses sunt facti unciales & denarius sedecim assibus permutatus, sestertius autem quaternis.* Ceterum eiusdem Budaei l. c. haec est annotatio: *Vult Vitruvius Romanos sic denarium et eius partem ad pedis rationem retulisse aliquando post argentum signatum, ut Graeci drachmam et eius partes ad cubiti retulerunt; quo fit, ut denarius sedecim asses valuerit, ut pes sedecim digitos habet. Contra Plinius libro* 33 *significat propter pecuniae penuriam factum esse, ut denarius sedecim assibus permutaretur; et tamen Vitruvius ratione id dicit non necessitate factum, et suo etiam tempore id est sub Augusto denarium sedecim asses valuisse.*

9.

et ex membris — Wrat. copulam omisit. Sequens *suspiciamus* pro vulgato *suscipiamus* primus excogitavit Perraltus, cuius admonitioni insequentes Editores non paruerunt. Sic infra in Praefatione libri VII pro *scripta suspicerentur* Sulpic. eodem errore dedit *susciperentur.*

convenientes — Sulp. Guelf. Wrat. *convenientesque.* Deinde *efficerent* Sulp. Pro *eorum* in Guelf. Wrat. est *operum.*

AD CAPUT II.

Aedium autem principia — Capitulum V hinc exorditur Wrat. Equidem novi capitis initium pariter hic institui, uti doctrinam Vitruvii de aedium constitutione separarem a rebus alienis, quibus permista in vulgatis Editionibus continuatur, et lectorem rei ipsi intentum atque architecturae studiosum moratur. Ceterum *principia* statim interpretabor ad initium capitis sequentis.

aspectus. Primum — Vulgatum *et primum* ex Sulp. Guelf. Wrat. correxi cum Rodio. Deinceps *naos en parastasin* Sulp. Guelf. Wrat. *naos ok parastasin* Cotton.

Prostylos — Omisit Sulp. Deinceps *ampheprotilos* — *Dypte-*

Digitized by Google

ros Wrat. *hipteros* Sulp. Vocem *hypaethros* omittunt Sulp. Wrat. Ciseranus in uno libro *Hipteros*, in multis *Hypetros* scriptum reperit.

his rationibus — Quae abhinc sequuntur usque ad versum 8, post verba: *Huius exemplar*, omissa suo loco recordatus librarius Sulpiciani libri et Wrat. alieno inseruit.

2.

antas parietum — Philander lapideas pilas in parietum extremis partibus interpretatur, quem sequuntur Galiani et Rode. Festo sunt *antes extremi ordines vinearum; unde etiam nomen trahunt antae, quae sunt latera ostiorum.* Idem, *antipagmenta*, inquit, *valvarum ornamenta, quae antis adpanguntur.* Nonius *antas quadras columnas* interpretatur. Compara Salmasium Exercit. p. 856 et ad Columellae 10, 376 p. 541. In angulis parietum positas esse antas arguit locus sequens, ubi Vitruvius nominat *columnas angulares contra antas.* Inscriptio prolata a Philandro p. 157 et Grutero p. CCVIII. *in eo pariete medio ostii lumen aperito latum P. VI. altum P. VI.* (Gruterus VII habet) *facito ex eo pariete antas duas ad mare vorsum proiicito longas P. II. crassas P. I* :· (Gruterus dimidium omisit.) *Insuper id limen robustum long. P. VIII. latum P. I* :· *altum P. S*≡. *Inponito insuper id et antas mutulos robustos duos crassos S*= *altos P. I. proicito extra parietem in utramque partem P. IV. insuper simas pictas ferro offigito* et cet. De antis contra Hirtium bene disputavit *Stieglitz* Archaeologiae I p. 235 sed is *parastatas* cum *parastatitis* vulgari Vitruvii lectione deceptus confudit. Antarum locum bene designare mihi videntur verba Procopii de Aedificiis Iustiniani, ubi frontem curiae Byzantiacae describit I, 10 ἐξ αὐτοῦ κίονες ἐκπροσθεν ἑστᾶσιν, οἱ μὲν δύο τὸν τοῦ βουλευτηρίου τοῖχον ἐν μέσῳ ἔχοντες, ὃς πρὸς βόρρα ἥλιον τέτραπται, οἱ δὲ τέσσαρες ὀλίγῳ ἐκτός.

ad tres Fortunas — Nardinus Libri 4 c. 7 de Roma antiqua vicum Fortunarum ab his tribus Fortunis, videlicet *libera*

Digitized by Google

reduce et stata appellatum fuisse censet, monente Galiano. Plures Romae dedicatas Fortunis cum locis nominavit Plutarchus de Fortuna Romanorum. Equidem verba Vitruvii sana omnia nolim spondere. Quid enim est *exemplar ad tres Fortunas?* Si tres enim Fortunae singulatim aedem quaeque suam habuerunt in antis, recte vix dici potuit id exemplar esse *ad tres Fortunas.* Sed separatim aedes Fortunarum has fuisse, arguit sequens *ex tribus quod* (exemplar an templum?) *est proxime portam Collinam.*

3.

epistylia — Wrat. *epistyleon.* Voluitne *epistylion?* Deinde *singulas* D. Barbarus voluit scribi cum aliis, columnas intelligens, quem refutavit Galiani, interpretatus singula epistylia: *quei pezzi di cornicione, che posano sopra le colonne degli angoli ed i pilastri delle cantonate.* Eum secutus est Rode: recte! Praeter columnas enim medias in angulis seu versuris prostylos *singulas* utrinque habet, quibus *singula epistylia* conveniunt.

Tiberina — Fauni — Guelf. Wrat. *Tiberiana.* Iuxta aedem Aesculapii fuit aedes Iovis in insula, teste Ovidio Fastorum 1, Fauni vero aedem ibidem commemorat Ovidius libro 2, monente Philandro. Ab aedilibus ex multatitia pecuariorum pecunia Fauni aedem in insula factam memorat Livius 33, 42. 34, 53. Iovis aedem in insula idem refert 34, 53 et 35, 41.

4.

in postico — Guelf. Wrat. Fran. *posticio;* atque ita libri inspecti a Salmasio Exercit. p. 856 qui ὀπισθόδομον interpretatur. Mox Wrat. *pasticio* habet.

5.

ita ut sint — Puto Vitruvium scripsisse *ita vero sunt hae columnae collocatae.* Deinceps Wrat. habet: *habeantque amplitudinem.*

Digitized by Google

in porticu Metelli Iovis Statoris Hermodi — Haec est scriptura librorum omnium, nisi quod Sulpic. et Arundel. habent *Iovis Statoris huiusmodi et ad Mariana.* Turnebus Advers. XI, 2 primus *Hermodori* nomen reponere iussit ex loco Cornelii Nepotis apud Priscianum libro 8 col. 792. *Aedes Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio.* Eundem putabat, de quo Cicero de Oratore I, 14 *si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, cum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset?* Turnebi auctoritatem plerique omnes Editores secuti sunt praeter Rodium, qui *Hermodi* restituit. Verum mihi Sulp. et Arund. lectio placet: *Statoris: huiusmodi et ad Mariana* et cetera, de quibus deinceps dicetur. De Hermodoro levissima est Turnebi suspicio, quam etsi litterarum similitudo commendare videri possit, de aetate tamen hominis superest magna quaestio, num ea cum tempore aedis Iovis Statoris dedicatae congruat. Initium huius aetatis ex antiquissimo Romae tempore memoravit Livius I c. 12. Situm designat Plutarchus vitae Ciceronis cap. 16 *τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερὸν, ὃν Στάτωρα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ πρὸς τὸ Παλάτιον ἀνιόντων.* Plinius 34 s. 23. statuam memorat positam contra *Iovis Statoris aedem in vestibulo domus Superbi.* Philander ad h. l. haec annotavit: *Ad finem circi Flaminii fuit a Q. Metello Macedonico facta, de qua Velleius Paterculus. Fuit autem et aliud Iovis Statoris templum in radicibus palatini, ubi nunc aedes D. Mariae de poenis inferni.* Ipsum audi Velleium I, 11, 3. *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quae fuere circumdatae duabus aedibus sine inscriptione positis, quae nunc Octaviae porticibus ambiuntur, fecerat, quique hanc turmam statuarum equestrium, quae frontem aedium spectant, hodieque maximum ornamentum eius loci, ex Macedonia detulit.* Nihil hic de aede Iovis Statoris memorari vides, nec a Plinio 34 s. 14. ubi de Corneliae Gracchorum matris statua est: *Sedens huic posita soleisque sine amento insignis in Metelli publica porticu: quae statua*

Digitized by Google

nunc est in Octaviae operibus. Cui locus Velleii aliquantum lucis largitur, quanquam Plinius singulari numero Metelli porticum dicat, similiter ut Vitruvius, plurali Velleius. Porticum Metelli in numo argenteo pictam extare asserit Harduinus in annotatione. Quaeritur nunc, quid ea cum aede Iovis Statoris commune habuerit? Equidem respondere quod possim ad Philandrum excusandum, non habeo, nisi quod video eum interpunctione loci Vitruviani falsum, ubi editum erat ab ipso etiam: *in porticu Metelli Iovis Statoris.* Recentiores enim Editiones post Metelli nomen comma posuerunt. De gemina igitur Iovis Statoris aede error esse Philandri videtur. Sed ecce Varro libro 8 Rerum divinarum apud Macrobium Saturn. 3, 4. *Delubrum alios aestimare in quo praeter aedem sit area assumpta deûm caussa, ut est in circo Flaminio Iovis Statoris.* Praeterea fragmentum Inscriptionis publicatum a Fabretto Inscr. p. 455 habet: *Apollini Latonae ad Theatrum Marcelli, Felicitati in Campo Martio, Iovi Statori, Iunoni Reginae ad Circum Flaminium.* Aedem Metelli Plinius 36 sect. 4 no. 12 collocat in urbe *ubi Campus petitur.* Aedem ex marmore factam testatur Velleius l. c. et quidem *in iis ipsis monumentis*, de quibus loquitur locus eius antea positus. Igitur aedes Metelli etiam diversa ab aede Iovis Statoris nihil pertinet ad locum Vitruvii illustrandum: sed omnem plane dubitationem de aede Iovis cum portica Metelli iungenda eximet locus Plinii 36 s. 4 no. 14. *Nec Sauron atque Batrachum oblitterari convenit, qui fecere templa Octaviae porticibus inclusa, nationis ipsi Lacones. Quidam et opibus praepotentes fuisse eos putant ac sua impensa construxisse, inscriptionem sperantes. Qua negata hoc tamen alio loco et modo usurpasse. Sunt certe etiamnum in columnarum spiris inscalpta nominum eorum argumenta, lacerta atque rana.* Superest igitur ut post mentionem porticus Metelli excidisse suspicemur vocabulum aliquod vel plura, velut *et in aede.* Quae si restituas, tum non opus erit in sequentibus verbis vocabulum *aedes* inserere, sed simpliciter *factae* mutandum in *facta.*

Digitized by Google

ad Mariana Honoris et Virtutis — Vulgatam hanc librorum editorum et scriptorum omnium lectionem de sententia Itali *Fr. Piranesi* in libro *Raccolta dei tempi antichi* P. I p. 9 mutavit Rode in *ad Marcelli Honoris.* Infra in Praefatione libri VII est: *sed etiam a C. Mutio, qui magna scientia confisus aedes Honoris et Virtutis Marianae cellae columnarumque et epistyliorum symmetrias legitimis artis institutis perfecit.* ubi Rode pariter eidem Italo obsecutus *Marcellianae*, posuit. Codex Vatic. 2 *Maritinae*, Guelf. *Marimianae*, Fran. Cotton. *Malinianae*, Wrat. *Maximianae* dant. Philander ibi meminit tabulae marmoreae inventae in via Flaminia, quae ipdicet de manubiis Cimbricis et Teutonicis extructam aedem; fuisse autem in ea Esquilini montis parte, quae hodie *Merulana* pro *Mariana* vocetur. Denique hinc Augustinum dixisse, neminem Honoris templum ingredi posse qui non sit prius Virtutis ingressus. De regione Merulana in parte montis Esquilini commentum esse Philandri ex scriptura vulgata ductum, postea demonstrabo. Idem tamen Philander in annotatione ad hunc ipsum Vitruvii locum, quem tracto, post pauca de altero loco verba addit: *Fuit et templum a M. Marcello ad portam capenam interiore parte Honori et Virtuti dicatum et a Vespasiano postea restauratum.* Ita loquitur, tanquam duobus in locis diversis aedes Virtuti et Honori dedicatae Romae fuerint, cum scriptores veteres unas tantum aedes Virtuti et Honori a Marcello dedicatas nominent. Ex loco Augustini cognoscimus Virtutis aedem adiectam fuisse aedi Honoris, et postico caruisse. Causam discemus postea a Livio. Idem Philander locum Plutarchi de Fortuna Romanorum posuit p. 8 ed. Hutt. ubi aedem hanc a Marcello dedicatam esse tradit. Idem Livius 27, 25 et 29, 17 refert et aedem ad portam Capenam in prima urbis regione collocat. Unde viri docti, quos sequitur Rode, scripturam *Marianae* et *Mariana* vitiosam censuerunt et *Marcellianae* substituerunt. Addunt *Mariana trophaea* in quinta urbis regione fuisse dici; sed equidem locum scriptoris veteris de Marianis trophaeis nullum adhuc reperi. Mihi vero vitium loci non in uno vocabulo *Ma-*

Digitized by Google

riana haesisse, sed latius etiam vagatum esse videtur. Quid enim? Gemina fuit aedes, altera Virtutis, altera Honoris priori adiecta, sed sine postico, quas ipse Vitruvius altero loco *aedes* vocavit. Cur idem hic *aedem Honoris et Virtutis* singulari numero dixerit? Ad singularem enim refertur verbum *facta*. Quid? quod vocabulum *aedes* ipsum male omissum est, quod nullo modo fieri commode et recte poterat. Denique non intelligo, quo pertineat praepositio *ad* ante *Mariana* posita, cum in altero loco *aedes Honoris et Virtutis Marianae* simpliciter nominetur. Quare suspicio potest alicui in mentem venire, fuisse scriptum a Vitruvio: *quemadmodum est in porticu Metelli: huiusmodi et aedes Honoris et Virtutis Marcelli sine porticu a Mucio factae.*

Nunc ponam Livii loca de loco et causa aedium. Is igitur 27 cap. 25. *Marcellus cum bello Gallico ad Clastidium aedem Honori et Virtuti vovisset, dedicatio eius a pontificibus impediebatur, quod negabant unam cellam duobus recte dedicari. — ita addita Virtutis aedes adproperato opere: neque tamen ab ipso aedes eae dedicatae sunt.* Idem 29 c. 11. *aedem virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit septimo decimo anno post quam a patre eius primo consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat.* Eadem retulit Valerius Maximus I, 1, 8. Plutarchus in Marcello cap. 28 locum Livii excerpsit ita: *ἔπειτα ναὸν ἐκ τῶν Συρακουσίων λαφύρων ᾠκοδομημένον ὑπ' αὐτοῦ Δόξης καὶ Ἀρετῆς καθιερῶσαι βουλόμενος καὶ κωλυθεὶς ὑπὸ τῶν ἱερέων, οὐκ ἀξιούντων ἐνὶ ναῷ δύο θεοὺς περιέχεσθαι, πάλιν ἤρξατο προοικοδομεῖν ἕτερον.* Tertius est locus Livii 25, 40 de Marcello Syracusarum victore: *Hostium quidem illa spolia et parta belli iure: ceterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera, licentiaeque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est; quae postremo in romanos deos, templum id ipsum primum, quod a Marcello eximie ornatum est, vertit. Visebantur enim ab externis ad portam Capenam dedicata a Marcello templa propter excellentia eius generis ornamenta, quorum perexigua pars comparet.* Praeclara Livii,

Digitized by Google

hominis romani, sententia, quae consolabitur Germaniam nostram, dum ipsa nunc Italiae veterem Graeciae querelam cum Livio repetit! Succedat quartus Livii locus 26 c. 32 *si ab inferis existeret rex Hiero, quo ore aut Syracusas aut Romam ei ostendi posse? quum, ubi semirutam ac spoliatam patriam respexisset, ingrediens Romam in vestibulo urbis prope in porta spolia patriae suae visurus sit.* Consentit de loco Cicero Verrinarum 4, 56 de Marcello: *victoriae putabat esse multa Romam deportare, quae ornamento urbi esse possent, humanitatis, non plane exspoliare urbem. — Romam quae asportata sunt ad aedem Honoris atque Virtutis itemque in aliis locis videmus.* Denique Asconius Pedianus ad Ciceronis Verrinas p. 163 ed. Lugd. *idem* (M. Marcellus) *cum statuas sibi ac patri itemque avo poneret in monumentis avi sui ad Honoris et Virtutis aedem, subscripsit Tres Marcelli, novies Consules.* Lubet addere annotationem, et quaerere, num casu factum sit, an prudentia artificis error imperatoris correctus fuerit, qui virtutem honori posthabuerit non solum factis sed etiam in publico monumento, ita ut post haruspicum demum intercessionem vanam, artifex vel sensu animi suo admonitus, vel temporis angustiis adigentibus aedem Virtutis adiecerit, quam tamen nemo nisi per Honoris aedem ingredi posset! Ceterum Livii animadversionem de amore et studio artium graecarum Romae tum primum cum luxu innotescente repetiit et aliunde auxit Plutarchus Marcelli cap. 21.

6.

ut in fronte et postico — Sulp. *ac postico.* Deinde *quinae denae* Guelf. Fran. Wrat. Postea *Sint autem* Guelf. Wrat. ex quo vestigio suspicor sequentia fuisse a librario temerata. *Ita* enim non habet ullam consequentiam ex antecedentibus; quare fuisse scriptum ita suspicor a Vitruvio: *quindenae, sint autem — in fronte et postico ita collocati, ut duorum intercolumniorum — spatium sit a parietibus (ab par.* Guelf. Wrat.) *circa ad — columnarum.* Denique pro *imae* in Fran. Wrat. est *unae.*

Digitized by Google

Hermogenis Alabandi — Vatic. *Alabarinthi*, Franeck. *Alabaunthe* dant. Verum cognomen a patria erit *Alabandei*, ut 7, 5 est *Apaturius Alabandeus*. In libri 7 Praefatione est: *Hermogenes de aede Dianae Ionica, quae est Magnesiae pseudodipteros, et Liberi Patris Teo monopteros.* Forte fuit olim scriptum *et Alabandis Apollinis.* Iterum cap. sequenti Hermogenes *aedis octastyli Liberi Patris Teo* nominatur: et tertium libri 4 capite 3. Fabricius in Indice auctorum a Vitruvio laudatorum simpliciter ex nostro loco *Hermogenem Alabandeum* posuit. Hermogenem Cytherium statuarium habet Pausanias 2 c. 2.

a Menesthe facta — Sulp. *a Manesche*, Vatic. Fran. Arund. *Amenesthe*, Guelf. Wrat. *a Meneste;* Bononiensis liber *Mneste* dicitur habere; in Philandrea anni 1550 reperio *Amnestae* editum sine annotatione. Turnebus Advers. XI, 2 *Menesteo* coniecit, hominem sibi ignotum fassus. Vulgo erat *Mneste*. Hic in Catalogo Fabriciano cum aliis omissus fuit. Ceterum lubet adiicere ex Pausaniae 8, 45, 4 mentionem aedis Minervae Aleae Tegeatarum a Scopa statuarum artificio etiam insigni factae: *ὁ δὲ ναὸς ὁ ἐφ' ἡμῶν πολὺ δή τι τῶν ναῶν, ὅσοι Πελοποννησίοις εἰσὶν, ἐς κατασκευὴν προέχει τὴν ἄλλην καὶ ἐς μέγεθος. ὁ μὲν δὴ πρῶτός ἐστιν αὐτῷ κόσμος τῶν κιόνων Δώριος, ὁ δὲ ἐπὶ τούτῳ Κορίνθιος· ἐστήκασι δὲ καὶ ἐντὸς τοῦ ναοῦ κίονες ἐργασίας τῆς Ἰώνων — τὰ δ' ἐν τοῖς ἐσχάτοις ἐστὶν ἔμπροσθεν — τὰ δ' ὄπισθεν πεποιημένα ἐν τοῖς ἐσχάτοις.* Habes aedem, ni fallor, pseudodipteron; in fronte primum columnarum ordinem Doricum, alterum Corinthium: Pausanias primum ornamentum vel ordinem columnarum vocat. Aedem ipsam circumdant utrinque columnae Ionicae. Habet etiam posticum cum fastigio. Columnas Doricas exteriores, Ionicas vel Corinthias interiores in porticu post theatrum collocavit Vitruvius libro quinto.

aedes Quirini — Wrat. *aedis Querini*, deinde *effesi Diana — thersifrone.* In Guelf. est etiam *effesi*, in Fran. *Ephesi.* Sulp. *Ctesiphone*, Vatic. *Chtesiphrone*, Franeck. *Acresiphone*, Guelf. Wrat. *thersifrone*, Arund. *Chresifrone*, Codex Reg. Paris. anti-

Digitized by Google

quissimus *Cresiphonte*, et Libri VII Praefatione libri omnes et Regius Paris. *Cresiphonte* vel *Cresiphone* habent, teste Salmasio Exercit. p. 814. Strabo: *τὸν δὲ νεὼν τῆς Ἀρτέμιδος πρῶτος μὲν Χερσίφρων ἠρχιτεκτόνησεν, εἶτ' ἄλλος ἐποίησε μείζω.* Rationem, cur scripturam *Chersiphrone* praetulerim, infra editam reperies. *Χερσίφρων* est in monumento Smyrnensi inter Oxoniensia.

8.

vero decastylos — Philander reperit in libris nescio an editis an scriptis *endecastylos*, quam scripturam repudiat; neque enim medianum intercolumnium pati in his locis imparem columnarum numerum collocari, quod oporteat utrinque ad eundem modum columnas habere. Cui regessit Galiani extare hodieque ruinas templi Paestani Pseudodipteri cum novem columnis in fronte positis. In libris scriptis equidem nihil varietatis reperi, nisi quod Sulpic. *Hypaethros autem decastylos* habet, unde lectio depravata *Hypaethros aut endecastylos* originem duxisse videtur. Eadem Sulp. deinde *habent* dat. Ceterum cum Vitruvius in hoc uno genere aditus valvarum ex utraque parte, in pronao et postico, meminerit, dubitari possit, num in reliquis, ubi posticum adfuit, aditus postico abfuerit. Pausanias in Corinth. c. 27 memorat templum duplex, aditum utrinque habens ad orientem et occidentem conversum, in altera templi parte occidentali Martis, in orientali Veneris simulacrum fuisse collocatum. Idem 5, 20, 2 refert templum Ilithyae Olympicum in anteriore cellae parte, (*ἐν τῷ ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ*) duplicem enim esse, aram habere Ilithyae, in posteriore Sopolidi daemoni sacra fieri, quo adire nemini licere nisi sacerdoti. Denique 8, 9 apud Mantinenses Aesculapii duplicem cellam (*ναὸς διπλοῦς*) memorat, alteram cum Aesculapii, alteram cum Latonae eiusque liberûm signis.

ad circuitionem — Wrat. *ad* omittit, *circumitionem* dant Fran. Guelf. Deinde *peristylorum* Wratisl. Circuitionem antea *ambulationem* vocavit.

Digitized by Google

aditusque valvarum — Wratisl. *aditus autem valvarum.* Sulpic. Guelf. Franeck. omittunt *que.*

Huius autem exemplar — Sulpic. Vatic. Franeck. Guelf. *Huius item* dant.

est in templo Olympio — Sulpic. *et in templo olympio*, Wrat. *et exemplo olympio*, Guelf. *et templo olympio.* Vocabula *in* et *Iovis* omittunt etiam Franeck. Vatic. qui pariter *Olympio* dant. Is. Vossius ad Melam p. 73 ed. Burm. corrigebat *est in templo*, aut delebat *et.* Philander etiam copulam *et* deleri voluit. Contra viri docti, cum quibus facit Rode, aedem priorem interpretantur Parthenonem Atticum, in quo tamen mirantur octo columnas in pronao et postico positas, et alarum columnas simplices non duplices. Quod ipsum argumentum docere poterat viros doctos, interpretationem illam esse falsam. Galiani interpretatur locum ita, ut unam Iovis Olympii aedem octastylon a Vitruvio memorari in exemplo putet. Britannus Stuart in Ruinis Athenarum p. 5 affert Codicum septem scriptorum auctoritatem, in quibus *et in templo Olympio* scriptum reperit. Is igitur templum Iovis quod Olympiae fuit, intelligendum censet; Atticum enim fuisse decastylon. Contra Rode Atticum intelligit Olympium, ne Vitruvius in exemplo decastyli ponat duas aedes, quae a regula ista aberrant. Equidem fidem librorum scriptorum, quos tanto numero viri docti in hoc loco tractando compararunt, integram servavi. Quocunque enim te vertas, in difficultates non leves incides. Conatus eram primum obsecutus virorum quorundam doctorum opinioni *et* mutare in *est*, ut verba omnia de uno aliquo templo essent. Verum ita Vitruvii orationem fieri multo magis hiulcam et asperam vidi postea, cum iterum ad hos commentarios retractandos accessissem. Ita enim Vitruvius loqueretur: *Huius autem exemplar Romae non est, sed Athenis octastylos est in templo Olympio.* Vide nunc, quam inepte diceretur *sed Athenis est* (exemplar nempe) *octastylos* (ad quod vocabulum *aedes* intelligitur) *est in templo Olympio.* Quid ais? aedes est *octastylos in templo?* Igitur emendatio illa, quanquam levissima, repudianda erat. Verum etiam

Digitized by Google

vulgata lectio et quae est in libris scriptis satis dura est et insolens, si solam dictionem spectes. Ad verba enim *et in templo Olympio* repetendum est *exemplar est;* cum antea dixisset *sed Athenis octastylos est*, ubi *exemplar est* similiter repeti debet. Igitur si concinne loqui voluisset Vitruvius, ita potius dicendum fuit: *sed Athenis octastylos et templum Olympium.* Verum accedit alia difficultas in *templo Olympio*, si de templo Iovis Olympici Attico interpreteris. Graeci quidem scriptores *Ὀλυμπίειον* et *Ὀλύμπιον* dicunt id templum; quod imitari si volebat Vitruvius, *templum* vocabulo *Olympium* addere non debebat. Quod si vero de templo Iovis, quod Olympiae erat, dicere voluit, tum vero *Iovis* nomen addendum erat, si vel maxime *octastylos* Athenis quae nominatur aedes, eidem Iovi dedicata et tum nota fuisset, iis scilicet, qui Athenas viderant aut antiquitates earum ex scriptis cognoverant. Itaque scribendum fuerat: *et in templo Iovis Olympiae.* Sed, uti dixi, etiam *octastylo* nomen dei addendum fuit, quod Vitruvium fecisse puto, sed librariorum culpa utriusque numinis nomen excidisse suspicor. Ceterum magis animus in templum Iovis, quod Olympiae fuit, mihi inclinatus est iis, quae hactenus disputavi. In Praefatione libri 7. Vitruvius *aedem Iovi Olympio facienti* dixit, sed in altero loco ibidem sect. 17. Codices scripti omnes dant: *In Asty vero ad Olympium amplo modulorum comparatu — architectandum Cossutius suscepisse memoratur.* ubi Iocundus eumque secuti Editores ceteri omnes ineptissime *Iovem* in loco vocabuli *ad* inseruerunt, quem iterum loco excedere alieno iussi et simpliciter *Olympium* restitui. Poterant iidem Editores, si Vitruvii exemplum aliquod sequi vellent, ex hoc loco dare: *in Asty vero templum Olympium.* Hoc vero Olympium columnarum collocationem dipteron symmetriis et proportionibus Corinthiis habuit, auctore Vitruvio.

AD CAPUT III. (vulgo II.)

Species autem aedium sunt quinque — In antecedente capite explicuit Vitruvius aedium sacrarum *principia*, nunc *species*

Digitized by Google

subiungit. Vocabuli notiones primum sunt interpretandae utriusque. *Principia sunt, e quibus constat figurarum aspectus.* Ita Vitruvius, quae vertit Perraltus: *Les differences des Temples lesquelles dependent de la figure et de l'aspect qu'ils ont, sont:* quasi scriptum extet *quae constant figuris earum et aspectu.* Galiani: *I principi de' tempi sono quelli, de' quali si compone l'aspetto e la figura de' medesimi.* In annotatione addita monet Vitruvium nunc principia, in Praefatione autem libri quarti *genera* dicere, *le formazioni o siano figure de' tempi.* Quem si sequaris, ineptissime Vitruvius ita doceret: *Principia* (id est figurae) *templorum sunt e quibus constat figūrarum aspectus.* Rode *genera* ex Praefatione libri quarti comparans utrobiqne *Gattungen* vertit, sed totum locum secutus Perraltum perverse interpretatur: *Der Unterschied der Gattungen der Tempel besteht in ihrer Form.* Vides, Interpretes hi tres quam longe a vero sensu verborum aberraverint, quasi principia non dicantur ea ex quibus corpus aut res nascitur aut componitur. Vitruvius ait ex principiis iis, quae nunc dicit, nasci vel constare figurarum aspectum seu malis figuras et aspectum. Diversa igitur et posterior figura principiis, quam tamen eandem facit Galiani interpretatio. Contra cum Perralto Rodius principia ex figura nasci voluit. Ponam nunc locum ex libri Praefatione, qui viros doctos in errorem induxit: *Tertio autem de aedium sacrarum dispositionibus et de earum generum varietate, quasque et quot habeant species, earumque quae sint in singulis generibus distributiones.* Non equidem infitior respicere Vitruvium argumentum capite secundo et sequentibus huius libri tractatum a se; qui enim possim id infitiari, quod est manifestum? Sed nego Vitruvium ibi proprietate ea vocabulorum usum fuisse, unde sententia dubiorum in hoc capite vocabulorum aperiri possit et explicari. Praeterea dicit ibi Vitruvius generum distributiones et aedium dispositiones, ex quibus de vocabulorum eorum significatione aliis in Vitruvii locis nihil licet definire. Iisdem enim vocabulis Vitruvius multoties paulum variata significatione utitur, quam ex singulis locis interpretationis

Digitized by Google

diligentia deducere et velut extorquere oportet. Sed magis etiam viros doctos movisse videtur vocabulum *Species*, quod capitis huius ipsius initio positum conspicitur, quod ex vulgato nunc usu sunt interpretati. Perraltus enim vertit: *Il y a cinq espèces.* Galiani: *Le spezie de' tempi sono cinque.* Rode: *Es giebt fünferley Arten der Tempel.* Perraltus tamen, acutissimi ingenii homo, cum animadvertisset, nec de generibus aedium nec de speciebus tradi in hoc et antecedenti capite, eo quidem sensu, quo nunc genera et species usurpamus, ita statuit, ut diceret Vitruvium nunc non de speciebus aedium sed de varia dispositione columnarum tradere. *Il faudroit dire, que les espèces dont il s'agit ici ne sont point des espèces ni de Temples, ni de Batimens, mais seulement des espèces de Disposition de Colonnes.* Galiani in annotatione no. 8 p. 103 genera ait definiri a Vitruvio situ diverso columnarum et antarum, species vero intercolumniorum diversitate. Verum Vitruvius si species aedium intercolumniorum spatiis descripsit, ineptissime fecit, quod demonstrare pluribus non opus est. Superest enim alia brevior et rectior ratio, qua Vitruvium a pravae philosophiae culpa defendamus. Usus vocabuli *species*, quo res plures genere aliquo comprehensas hodie dialectici distinguunt, exemplum in Vitruvio unicum extat libri I cap. 2 sect. 2 ad quam vide annotata. Verum is ab hoc loco plane alienus est, ut egregie vidit Perraltus. Igitur *principia aedium, e quibus constat figurarum aspectus*, mihi videntur esse elementa et membra principalia, ex quibus consistunt aedium figurae eae, quae sub adspectum veniunt structura, et speciem aedium externam efficiunt. Contra vero *species* sunt partes eae, quae membris principalibus in aedium figuras quasi corpora coniunctis extus accedunt, eisque speciem aliquam et velut ornamentum addunt. *Aspectum* vocat Vitruvius. Uti vero ex principalibus membris variae aedium figurae construuntur, quae possunt aedium totidem species dialectice vocari; ita columnarum varia dispositio speciem aedium externam sive *adspectum* variat atque ornat aut dehonestat; eaque species variis nominibus a columnarum inter-

Digitized by Google

stitiis praecipue deductis appellatur. Sed haec ipsa columnarum dispositio alio etiam modo speciem aedium et aspectum variat, adeoque altitudinem earum et latitudinem vel imminuit vel auget. Columnis enim rarius inter se diductis aedes fiunt humiles et latae.

Ita eustyli aedis probabilitatem maximam ait esse et ad usum et *ad speciem* et ad firmitatem sect. 6. paulo vero post *figurationis aspectum* vocat. Ita sect. 8 Hermogenes *de aspectu nihil imminuit* sublatis interioribus columnis ex diptero, *sed sine desiderio supervacuorum conservavit auctoritatem totius operis distributione.* Vides Vitruvium praeter *speciem* et *aspectum* nominare eandem rem *auctoritatem*, quae scilicet ex specie et aspectu existat. Sect. 9 pteromatis inventionem repetit inde, *ut aspectus propter asperitatem intercolumniorum haberet auctoritatem.* Ita sect. 11 *aspectus scaporum crassitudinem* dicit, postea vero *tumidam et invenustam speciem.* Denique sect. 13 est: *vastus et invenustus conspicientibus remittetur aspectus.* Ita denique est libri 7 cap. 1 *ruderatio principia. tenet expolitionum.*

Pycnostylos — Franeck. ubique dat *Pignastylos.* Wratisl. *Pignostylos.*

Diastylos — Sulp. *Interstilos.* Guelf. Wrat. *Interestilos.* Sed Sulpic. statim post *amplius* ita pergit: *spatiis intercolumniorum. Pignostilos spatiis in diastilos. Areostilos et stilos.* In quo memorabile inest vestigium antiquissimae lacunae, quod solus servavit fideliter liber scriptus, ex quo Sulpiciana Editio fuit expressa. In reliquis, quos equidem adhibui, vestigium lacunae deminutum et fere obscuratum est. Nam vix coniicere liceret, unde Guelf. et Wrat. vocabulum *interestilos* duxerint, nisi Sulpicianus liber doceret, librarium post scripta verba *spatiis intercolumniorum* aberrasse oculis ad lineam antecedentem, ubi *Pycnostylos* erat, deinde ad verba iam antea posita *spatiis intercolumniorum*, in quibus tamen statim errore animadverso, transiit tandem ad *diastilos*, cuius in loco antea posuerat *interstilos.* Sed denuo aberravit inserendo *Areostilos et stilos.* Sed bene ce-

Digitized by Google

cidit is librarii error. Hinc enim notitiam lacunae habuimus, et verba simul lucramur, quibus lacuna interpolanda est, quaeque restitui Vitruvianae orationi. Miror vulgatae vitium a nemine fuisse animadversum. Columnae enim qui possunt dici patere in diastylo aede? *Distant*, *diductae sunt*, proprium erat verbum rei. At intercolumnia et *spatia intercolumniorum* patent aut latius aut angustius, vel *amplius* aut *rarius*.

rarius quam — Guelf. Wrat. *rare quam*. Deinde *deductis* Wrat. Denique ante *eustylos* Guelf. Wrat. *et* interserunt.

2.

Ergo Pycnostylos — Wrat. *Pignostylos*. Deinde *quemadmodum divi Iulii* Guelf. Philander interpretatur aedem divi Iulii in foro Caesaris dedicatam ab Octaviano. De quo est in monumento Ancyrano: *Dona de manubiis in Capitolio et in aede D. Iulii — consecravi*. Veneris aedem interpretatur Philander Genetricis in eodem foro positam auctore Appiano B. C. 2, 102. ubi est de Caesare: *ἀνέστησε τῇ γενετείρᾳ τὸν νεὼν, καὶ τέμενος τῷ νεῷ περιέθηκε, ὃ Ῥωμαίοις ἔταξεν ἀγορὰν εἶναι, οὐ τῶν ὠνίων ἀλλ' ἐπὶ πράξεσι συνιόντων ἐς ἀλλήλους — Κλεοπάτρας τε εἰκόνα τῇ θεῷ παρεστήσατο*. De foro Iulio compara Dionem 43, 22. Plinium 36 c. 15.

sic sunt compositae — Sulp. Fran. Wrat. inserunt deinceps: *patentibus rare*. Scilicet librarius oculis aberrans a versibus hic iterum inseruit et repetiit, quae supra sequuntur post *Diastylos amplius*. ubi tamen Sulpiciana *rarius* dederat antea.

in qua duarum — Sulp. Fran. Wrat. *in quo d.* Sequens *in* omisit Wrat.

aeque magnae sint eo spatio — Nihil variant libri, nisi quod Wrat. *et spatio* habet. Dictio tamen insolita et soloeca est, pro eo quod erat: *aequales sint ei spatio:* quamvis *eo* pro *ei* positum possit aliis Vitruvii locis defendi. Deinceps Wrat. dat *plamcides* pro *plinthides*.

Digitized by Google

ad theatrum lapideum — Pompeii intelligit Philander, quem sequuntur reliqui Interpretes comparantes Pompeianas porticus libri 6 cap. 9. Marcelli et Balbi theatra lapidea nondum absoluta fuisse eo tempore aiunt, cum haec Vitruvius litteris mandabat. De Fortuna Equestri locus est Taciti Ann. 3, 71 *nam etsi delubra eius deae (Fortunae) multa in urbe, nullum tamen tali cognomine erat. Repertum est aedem esse apud Antium, quae sic nuncupàretur.* Haec sub imperio Tiberii narrata viris doctis quibusdam visa sunt arguere Vitruvii aetatem Tiberio posteriorem: alii in Tacito *Sequestri* corrigi voluerunt. Pro Vitruvio militant Livius 42, 3 et 10 Valerius 1, 1, 20 et Obsequens 113 qui Fortunae Equestris aedem Romae dedicatam a Q. Fulvio nominant.

et reliquae — Guelf. omisit *et* et deinceps *reliquaeque* dedit. Ex Vatic. Fran. *reliquae quaeque* apponitur. Sulp. *reliquae quoque*, omisso *et*, quod deest etiam in Wrat.

3.

abstruditur — Ita Franeck. Vatic. Guelf. Wrat. Vulgatur *obstruitur.*

4.

est Apollinis et Dianae aedis — Wrat. *et* omittit. *aedes* dat Sulpic. Videtur communis Apollini et Dianae fuisse aedes. De qua locus scriptoris romani mihi nullus occurrit; sed Dianae et Lunae separatas aedes fuisse apparet ex loco Livii 40, 2. *forem ex aede Lunae, quae in Aventino est, raptam tulit (turbo) et in posticis partibus Cereris templi adfixit.* De aede Lunae refert etiam Ovidius Fastorum 3, 883 et Tacitus Annal. 15, 41. Diversa fuit aedes Cereris ad circum maximum, de qua Vitruvius mox sect. 5 tradit. Sed omnino huc transferenda est annotatio Asconii Pediani ad Orat. Ciceronis p. 150. *Ne tamen erretis, quod his temporibus aedes Apollinis in Palatio sit nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone* (nec a Vitruvio) *significari, ut puto, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imp.*

Digitized by Google

Caesar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quae est extra portam Carmentalem inter forum olitorium et circum Flaminium: ea enim sola tum demum Romae Apollinis aedes. Aedes Dianae a L. Cornificio facta, narrante Suetonio Aug. c. 29 posterior fuit etiam illa, quam in circo Flaminio una cum aede Iunonis reginae a M. Aemilio dedicatam narrat Livius 40 c. 52. Sed antiquior fuit aedes Dianae in Aventino monte, cuius meminit Livius 1 c. 45 et quam temporibus civilium bellorum a Graccho et Flacco munitam refert Appianus 1, 26. Utram Vitruvius dicere voluerit, an utramque simili arte factam, difficile est dicere.

5.

baricae, barycephalae — Sulpic. Cotton. *baricae.* Deinde *paricae Phalae* Sulp. *parycefalae* Guelf. *parycephale* Vatic. Fran. *aricae paricefale* Wrat. Turnebus Advers. XI, 2. graeca vocabula esse negans *varica* corrigit, comparans Ovidii locum in Arte amandi III, 304 *illa velut coniux Umbri rubicunda mariti ambulat, ingentes varica fertque gradus.* Ita laxitas columnarum facit, ut aedes *varica* videatur. Idem deinceps *varicae phalae* scribit, monens esse, qui scribant in Vitruvio *species sunt barycephalae*, deleto vocabulo *barycae.* Scaliger ad Festum p. 20 vocabulum *barycephalae* delet, locumque omnem ita scribit: *baricae, humiles, laxae, ornantque* et cet. Philandro verba *barycae barycephalae* Vitruvius ipse interpretatus esse videtur additis vocabulis latinis *humiles lataeque*, quae ille interpretatur *depressiores crassioresque*, simulque improbat eorum interpretationem, qui haec verba ad columnarum formam retulerant, quas Galli balustrias (balustres) vocant. Addit tamen in extrema annotatione: „Ceterum portenta illa verborum *barycae, parycae, humiles, urniles, latae*, quae in aliquot exemplaribus inveniuntur, his septis longe arcemus: tantum enim ad rem faciunt, quantum in lente unguentum.“ Turnebum sequitur Perraltus. Galiani vertit: *l'aspetto di tali fabbriche riesce tozzo basso e largo.* Rode:

Digitized by Google

auch sind solche Tempel von Ansehen gedrückt, plattköpfig, niedrig und breit. Ciseranus haec annotavit: *Trovai in una postilla antiqua di texto Vitruviano in cambio di* Parice *era perscripto* laute. Videant doctiores num in *Phalae* lateat *Falere* Varronis R. R. 3, 5, 14 qui sect. 16 *suggestum faleris* nominat.

humiles latae, ornantque — Post *humiles* Sulpic. inserit *Vrniles*, quae mihi vocabuli *humiles* varietas esse videtur a librario fideliter repetita, uti vocabula *baricae* et *barycephalae* mihi pariter alterum ex alterius diversitate scripturae videntur esse orta. Deinde *ornanturque* ex libro Franeck. tacitus edidit Rode.

aut aereis — Barbarus haec verba omisit.

ad Circum maximum Cereris — Plinius libri 35 s. 48. *Plastae laudatissimi fuere Damophilus et Gorgasus, iidemque pictores: qui Cereris aedem ad Circum maximum utroque genere artis suae excoluerunt, versibus inscriptis graece, quibus significarunt a dextra opera Damophili esse, ab laeva Gorgasi. Ante hanc aedem Tuscanica omnia in aedibus fuisse, auctor est M. Varro. Ex hac cum reficeretur, crustas parietum excisas tabulis marginatis inclusas esse: item signa ex fastigiis dispersa.* Idem Plinius 34 sect. 16. *Signa quoque Tuscanica per terras dispersa, quae in Etruria factitata non est dubium. Deorum tantum putarem ea fuisse, ni Metrodorus Scepsius propter duo millia statuarum Volsinios expugnatos obiiceret. Mirumque mihi videtur, cum statuarum origo tam vetus in Italia sit, lignea potius aut fictilia deorum simulacra in delubris dedicata usque ad devictam Asiam, unde luxuria.* Succedat alter locus Plinii 35 sect. 45. *Praeterea elaboratam hanc artem* (plasticam) *Italiae et maxime Etruriae, Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus effigiem Iovis in Capitolio dicandam. Fictilem eum fuisse et ideo miniari solitum: fictiles in fastigio templi eius quadrigas, de quibus saepe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiae nomen in urbe retinet. Hae enim tum effigies deorum erant laudatissi-*

Digitized by Google

mae. — *Durant nunc plerisque in locis talia simulacra. Fastigia quidem templorum etiam in urbe crebra et municipiis, mira caelatura, et arte aevique firmitate sanctiora aura, certe innocentiora.* Cicero de Divin. I, 10 *cum Summanus in fastigio Iovis optimi maximi, qui tum erat fictilis, e coelo ictus esset.* De aede Cereris memorabilis est locus Taciti Annalium 2, 49 *iisdem temporibus Deûm aedes vetustate aut igni abolitas, coeptasque ab Augusto dedicavit* (Tiberius), *Libero Liberaeque et Cereri iuxta Circum maximum, quam A. Postumius dictator voverat.* Cf. Dionysii Antiq. 6, 94. Livii 3, 55. et 41, 28.

Herculis Pompeiani — Putant esse eum, de quo Plinius 34 sect. 19 no. 3. *Herculem etiam* (fecit Myron) *qui est apud Circum maximum in aede Pompeii Magni.* ubi Harduinus ex P. Victore posuit locum in descriptione Urbis regione undecima: *Circus Maximus — Hercules olivarius — Aedes Pompeii.* Idem Plinius 34 sect. 18 *Talis in campo Martio Iupiter a Divo Claudio Caesare dicatus, qui vocatur Pompeianus a vicinitate theatri.* Fuit is una cum theatro Pompeii item in nona urbis regione.

item Capitolii — Vatic. Fran. *Capituli.* Male Turnebus *Pompeiani* cum *Capitolii* iunxerat, quem sequitur Perraltus. Recte contra Philander *Pompeianum Herculem* comparaverat cum Iove Pompeiano. Superest vitium in *Capitolii*, quod vulgo interpretantur pro *item templum Capitolii.* Verum ordo et usus Vitruvianus postulant *item Iovis Capitolini*, de cuius fabrica Tuscanica et signo fictili iam supra dictum fuit. Primam Iovis Capitolini aedem a Tarquinio Superbo factam sed ab Horatio dedicatam, alteram post bella civilia a Sylla restitutam sed a Catulo dedicatam memoravit Plutarchus Poplicolae 5. Haec deinde sub mortem Titi conflagravit.

6.

namque facienda sunt intervallis — Hinc Wratisl. Capitulum VII exorditur. Post *sunt* insertam praepositionem a Iocundo omisi cum Sulp. Guelf. Wrat. Deinde *quartae partes* Wrat.

Digitized by Google

quod erit in postico — Repetitò *erit* carent Sulpic. Fran. Wrat. Deinde *qditum usum* dat Wrat.

7.

rei ratio — Ordinem invertit Wrat. Deinde *partes undecim* dedit Iocundus. Sulp. *decussas*, Guelf. Wrat. *decusas*. Fran. *decussis*, Vatic. *decussa*.

decem et octo — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *decem novem*. Deinde *octostylos* Fran. Postea *in XXV* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. *XXII* Wrat.

hexastyli — Wrat. *exastyli*. Deinde *octostyli* Sulp. Postea *ea quae* Sulp. Wrat. Denique *erat* Wrat.

unius erit crassitudo — Fran. *unus*. Sulp. Guelf. Wratisl. *crassitudinis*.

mediana — Guelf. Wrat. *medium*. Sulpic. Franeck. *mediam*. Sequens *duorum* omittit Wrat. Postea *trinum modulorum* Sulp. Wratisl.

erit modulorum — Haec omittit Sulpic. Franeck. sequens *octo* Wratisl.

8.

Teo hexastylon — Ita Sulpic. Vatic. Fran. Arundel. Guelf. Wrat. nisi quod *exastylon* Fran. Wrat. Iocundus *octastylon* dedit. In Sulp. Guelf. Wrat. est *Theo*.

hexastylum — Ita Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. eamque scripturam reddidit Ciseranus, annotata tamen altera: *octastylum* cur fecerit Iocundus, nec ex h. l. nec ex altero, mox ponendo, appareret. Quare librorum scriptorum lectionem restitui, uti in templo Teio Liberi patris fecit ante me Rode. Sequens *ve* post *Pseudo dipteri* omisit Sulpic. Item postea *invenit* omittunt Sulpic. Guelf. Wrat. In Praefatione libri 7 est: *Hermogenes de aede Dianae Ionica quae est Magnesiae pseudodipteros et Liberi Patris Teo monopteros*. Obiter iterum meminit libri 4 cap. 3.

Ex dipteri — Wrat. *ex* omisit. Deinde *distulit* Sulp. Phi-

Digitized by Google

landri correctionem *XXXIV* scribentis comparata ratione ea, quae traditur libri 4 cap. 7. ubi collocantur in angulis quatuor cellae binae utrinque columnae, quae accedunt binis dipteri ordinibus, reiecit cum Galiano Rodius.

operasque compendii fecit — Ita Sulp. (nisi quod *compende* habet) Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Vulgatum *operisque compendia* ex Franeck. correxit Wesseling Observ. p. 71. Postea *ambulationis* Sulpic.

9.

Pteromatos — Hoc vocabulum cum *peripteros*, *dipteros*, et latino *alae* hoc in loco simul breviter explicabo. Graece πτερὸν, πτεροῦν et inde deductum πτέρωμα dicitur translate de rebus, quae corpus aliquod vel ad latera circumdant et cingunt, vel tollunt, elevant et movent. Posterior usus poetis frequens, qui vela navis alas vocant, nos nunc non morabitur. Sed iidem ut prosaici scriptores πτερὰ νεῶν dicunt remos navis, praecipue ad remigandum sublatos: Sophocles etiam πτέρυγας gubernacula vocavit, teste Photio. Hinc πτεροῦν τὰς ναῦς Polybio I, 45 πτεροῦν τοὺς ταρσοὺς τῶν νεῶν καὶ ἐγείρειν Plutarcho in vita Antonii, id est naves sublatis remis ad impetum vel iter apparare. De aedificiis cum usurpatur vocabulum πτερὸν, muros aut columnas significat, quibus aedificium circumdatur vel tegitur, auctore Salmasio Exercit. p. 857 qui posuit locum Strabonis 17 p. 875 de templo aliquo Thebano: τοῦ δὲ προνάου κατ' ἑκάτερον πρόκειται τὰ λεγόμενα πτερά. ἔστι δὲ ταῦτα ἰσοΰψη τῷ ναῷ τείχη δύο, τὰς ἀρχὰς μὲν ἀφεστῶτα ἀπ' ἀλλήλων μικρὸν πλέον ἢ τὸ πλάτος ἐστὶ τῆς πρηκῖδος τοῦ νεὼ, ἔπειτα εἰς τὸ πρόσθεν προϊόντι κατ' ἐκτενούσας γραμμὰς μέχρι πηχῶν πεντήκοντα ἢ ἑξήκοντα· ἀναγλυφὰς δ' ἔχουσιν οἱ τοῖχοι οὗτοι μεγάλων εἰδώλων et cet. Posuit etiam Hesychii locum, qui πτερὰ interpretatur οἰκοδομήματα ἱερῶν ἐκ λίθων, aedificia templis adiecta e lapidibus. Plutarchus de Iside p. 416 ed. Reiskii, p. 128 Huttenii, de templis Aegyptiis: αἵ τε τῶν ναῶν διαθέσεις πῇ μὲν ἀνειμένων εἰς πτερὰ καὶ δρόμους

Digitized by Google

ὑπαιθρίους καὶ καθαροὺς, κῆ δὲ κρυπτὰ καὶ σκότια κατὰ γῆς ἐχόντων στολιστήρια θηναίοις ἐοικότα καὶ σηκοῖς. Plinius 36 cap. 13 *maiore in parte transitus est per tenebras: aliaeque rursus extra murum labyrinthi moles: pteron appellant.* Est de labyrintho Aegyptiaco. Idem de Mausoleo 36 c. 5 *cingitur columnis triginta sex. Pteron vocavere circuitum.* Vocabulum *circuitum* solus liber Vossianus ibi additum habet, monente L. F. Gronovio, quod omisit Harduinus. *Alas* Vitruvius *atriorum* infra dicit 6, 4 altero loco 4, 7 habent *alae* dubitationem. Hinc ductum est περίπτερος, quod de aedibus apud Vitruvium usurpatur, de coenaculis et oecis a Callixeno Athenaei 5 p. 105 in locis positis infra ad 5 cap. 6. Vocabulum ὀρθόπτερον ex Sophoclis Aethiopibus Photius cum Hesychio interpretatur ὀρθοὺς ἔχοντα ὠμοὺς, alter πολωνούς. Hesychius addit: πτερὰ γὰρ τὰ εἰς ὕψος ἀνέχοντα, ἢ μεγάλας ἔχουσα περιστόους οἰκοδομάς. Haec continent diversam loci Sophoclei interpretationem, de porticibus altis cingentibus locum.

Scholiastes graecus ad Aristophanis Aves versu ubi est τὰς οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς ἀετὸν, haec habet: τὰς τῶν ἱερῶν στέγας πτερὰ καὶ ἀετοὺς καλοῦσιν. Verum Suidas sub voce ἀετώματα, qui glossam exscripsit, habet τὰ τῶν ἱερῶν στεγάσματα πτέρυγας καὶ ἀετοὺς καλοῦσιν. Sane πτέρυγας inter partes domus nominavit Pollux VII, 121. Sunt ἀετοὶ Romanorum fastigia templis deorum propria. Tympanum fastigii vocat Vitruvius. Pausanias I, 24, 5 de Parthenone Attico: ὁπόσα ἐν τοῖς καλουμένοις ἀετοῖς κεῖται, πάντα ἐς τὴν Ἀθηνᾶς ἔχει γένεσιν, τὰ δ' ὄπισθεν (in fastigio opisthodomi) ἡ Ποσειδῶνος πρὸς Ἀθηνᾶν ἐστιν ἔρις ὑπὲρ τῆς γῆς. Idem 2, 7, 3 λίθου ἐποικοδομήσαντες πρηκῖδα κίονας ἐφιστᾶσι καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα κατὰ τοὺς ἀετοὺς τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς. 7, 11, 3 τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς Ἡρακλῆς καὶ Νῖκαι πρὸς τοῖς πέρασίν εἰσιν. ubi ταῖς πτέρυξιν coniecit Iac. Gronovius ad Taciti locum mox laudandum. Sic τὰ ἐν τοῖς ἀετοῖς sunt 10, 19, 3. Idem in descriptione templi Olympici Iovis 5, 10, 2. ὕψος μὲν δὴ τὸ εἰς τὸν ἀετὸν ἀνῆκον εἰσὶν οἱ ὀπτὼ πόδες καὶ ἑξήκοντα — καὶ Νίκη κατὰ μέσον μάλιστα ἕστηκε τὸν ἀετόν. — καὶ αὖθις ὁ ἀετὸς πάντωσιν εἰς στενὸν,

Digitized by Google

καὶ κατὰ τοῦτο Ἀλφειὸς ἐκ' αὐτοῦ πεποίηται. — τὰ μὲν δὴ ἔμπροσθεν ἐν τοῖς ἀετοῖς ἐστι Παιωνίου — τὰ δ' ὄπισθεν αὐτῶν Ἀλκαμένους. Hinc est quod Dionysius Antiq. 4, 61 de cella Iovis, Iunonis et Minervae in templo Iovis Capitolini ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι σηκοί. Euripides in fragmento Hypsipylae fastigiorum picturas vocat γραπτοὺς ἐν αἰετοῖσι τύπους. Cf. Valckenarii Diatr. p. 214. Geminum fastigium deorum templis primum a Corinthiis impositum fuisse tradit Pindarus Olymp. 13, 29. Spintharum Corinthium architectum templi Delphici Olympiade 58 constructi nominat Pausanias 10, 5, 5. De origine nominis ἀετὸς et ἀέτωμα de fastigiis templorum usurpati compara Heynium ad locum Pindari p. 160. Originem manifesto monstrat locus Taciti Histor. 3, 71 de templo Iovis Capitolini conflagrante: *Inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus: mox sustinentes fastigium aquilae vetere ligno traxerunt flammam alueruntque.* ubi annotationem Ernestianam appositam nec in postremo Oberlini Editione correctam miraberis mecum. Ἀετὸν vocabant in rotae radiis ferrum impositum Graeci, teste Polluce I, 145 τὸ ἐφ' ἑκάστῃ κνήμῃ σιδηροῦν. Hesychius σιδήριον vocat κατὰ ἑκάστην κνήμην. Idem κυμάτιον τὸ ἐν τοῖς γείσσοις interpretatur, et in αἰετὸς αἴθων explicat per ὄροφος καὶ τὸ ἐπὶ τῷ γείσῳ κυμάτιον.

Videamus nunc de peristylis et peripteris locis, et primum de peristylis, qui frequentius nominantur a graecis et latinis scriptoribus. Constat testimonio Grammaticorum, graece περίστυλον dici locum columnis cinctum. στύλος enim idem quod κίων, columnam significat. Peristylium latini substantive aedificium vel domum dixerunt eiusmodi; et Casaubonus ad Suetonii Aug. 29 et 82 *atrium* proprie vocabulo graeco *peristylium* significari tradit, ubi ex Glossis apposuit: *Atrium*, περίστωον, μέσαυλον. In libris scriptis et editis Suetonii c. 82 et Ciceronis pro Domo 44 variatur scriptura: alii enim *Peristylium*, quidam *Peristylum* vocant. Eadem est diversitas in libris Vitruvii 5 cap. 6 et alibi. In Plinii Ep. X, 75 *iussitque in peristylio* (domus) *templum Claudio fieri — cum peristylio domus tota collapsa est.* Iterum Ep. 76.

Digitized by Google

ubi libri scripti nihil variant. Pollux I, 78 *περίστυλον τόπον εἴποις ἂν περιπίονα· καὶ γὰρ στύλος καὶ πίων ὀνομάζεται· κατὰ δὲ τοὺς Ἀττικοὺς περίστωον· στοὰν δὲ τὸ μέρος αὐτοῦ· στοὰ γὰρ τὸ πλευρὸν καλεῖται. ἡ μέντοι χρῆσις καὶ ἐπὶ τὰ ἐναντία τέτραπται.* Sic etiam Vitruvius peristylii latera porticus vocat proprie libri 5 cap. 6 de domo graeca loquens.

Sed Graeci *οἴκους* etiam *περιπτέρους* et *πύκλῳ περιπτέρους* nominant, intus columnis positis cinctos, ut Callixeni docent loca infra ad 5 cap. 6 apposita. Vitruvii aedes *περίπτεροι* extus habent positas columnas circum aedem. Sed idem Vitruvius libro 10 cap. 19 verba graeci scriptoris: *ἐγένετο δ' αὐτῷ ὁ τηλικοῦτος δεκάστεγος, περιπτέρου οὔσης ἑκάστης χώρας*, ita vertit: *fieri autem eam turrem tabulatorum decem, singulis partibus in ea fenestratis*, cum deberet *pinnatis*, id est proiecturas extra prominentes habentibus et extantes, ut circumiri possent singula tabulata. Comparavit Salmasius in Exercit. p. 557 locum Hesychii, qui *περίπτερον* interpretatur *πάντοθεν ἐξέχον, ἢ στέγην ἔχουσαν ἔξοχὴν* id est tabulatum cum prominentia. Idem scriptor Graecus in simili turri decem tabulatorum ait: *ὁ δὲ τηλικοῦτος πύργος εἰκοσίστεγος περιδρόμους ἐχούσης ἑκάστης στέγης εἰς τὴν ἐκβοήθησιν τῶν ἐμπυρισμῶν.* Quae fuit ergo diversitas vocabuli *περίπτερος* et *περίστυλος*, cum utrumque columnis cinctum significet? Solum equidem Perraltum reperi, qui dubitationem hanc solvere conatus sit. Is igitur in annotatione ad Vitruvium p. 72 ita docet: *le qui fait l'essence des Peristyles, est que ces Portiques qui les composent, ayent les colonnes en dedans et les murs dehors, et non pas les colonnes en dehors et les murs en dedans, comme aux Temples et aux Portiques de derriere les Theatres, dont il est parlé au chapitre 9 du 5 Livre. Cette disposition des colonnes et du mur empeche les Peripteres et les Monopteres d'ètre Peristyles; parceque les Monopteres n'ont point de mur et que celui des Peripteres est en dedans.* Recte. Igitur Peristylium dicitur atrium, quod in medio aream sub divo habet columnis cinctam.

Digitized by Google

De *πτεροῖς* templorum Aegyptiorum addo locum Olympiodori in Commentario ad Platonis Phaedonem excerptum a Bullialdo in Annot. ad Ptolemaeum de Iudicandi facultate p. 203. ubi est de Ptolemaeo Mathematico: *οὗτος ἐπὶ τεσσαράκοντα ἔτη ἐν τοῖς λεγομένοις πτεροῖς τοῦ Κανώβου ὅπου ἀστρονομίᾳ σχολάζων.* ad quem locum Bullialdus comparavit locum Strabonis adiecta suspicione Ptolemaeum sacerdotis munere functum habitasse in templi *πτεροῖς*, quod fuit Canobi.

asperitatem intercolumniorum — Infra 7, 5. *cum aspectus eius scenae propter asperitatem eblandiretur omnium visus.* ubi Barth Adversar. XI, 27 novitatem interpretabatur, ut in numo aspero Persii. Galiani h. l. *interruzioni* vertit, Rode *das Abstechende der Zwischenweiten.*

haberet — Guelf. Wrat. et a secunda manu Fran. *habeat*, Fran. a prima *habet.* Sequens *et* ante *imbrium* omittit Fran. *ex* dant Guelf. Wrat. quod est etiam in Iocundi Edd. sed vitium corrigi iussit Philander. Postea pro *moram* Wrat. dat *horam.*

ita explicantur — Sulp. Guelf. Wrat. *ut expl.* Deinde *Hermogenis* Guelf. Wrat.

10.

Aedibus araeostylis — Hinc Wratisl. exorditur Capitulum VIII. qui statim *adiastylo* dat pro *diastylo.*

octo et dimidiam — Wratisl. *octavae*, deinde cum Vatic. Guelf. *dimidium.* Postea *crassitudo columnae* Sulp.

Systylo — Wrat. *Systilio*, deinde *in novem et in dimidiam*, postea *pnicostylo.*

in partes decem — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. omittunt *partes.* Deinde *Eustilia* Wrat.

ut Systyli in novem partes — Haec est scriptura Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. nisi quod omnes dant *partibus*, Guelf. *Sistili*, Wrat. Sulp. *Systili.* Ex Arundeliano libro Laet *Sistyli* tantum apposuit. Monuit iam olim Perraltus analogiam proportionis, cum in ceteris generibus omnibus altitudo ratione semidiametri

Digitized by Google

crescat, et eustylum sit medium inter araeostylum et diastylum, postulare partes *novem*. Annotationem simpliciter repetiit Galiani; de varietate librorum nemo admonuit, quos equidem sequendos censui, cum Iocundus primus *ut Diastyli in octo partes* dederit.

dimidiam — *partem* addunt Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Deinde *unius scapi* Sulp.

ita habebitur — Wrat. *item* dat, Franeck. *ita* omisit. Deinde Sulpic. *habebit*.

11.

ita proportionibus — Cum Meistero in N. Comment. Goett. Vol. VI p. 143 *ita* addidi, quod flagitabat praecedens *quemadmodum*. Sed idem fecerunt iam olim praeeunte Philandro Galiani et Laet. Deinde Wrat. dat *Namque in Araeostyli*.

pars crassitudinis — Meister l. c. scribendum censuit *pars altitudinis crassitudo fuerit*, atque ita verterunt Perraltus, Galiani et Rode. Deinde *ideoque per* Sulp. *ideoque quod per* Wrat.

aër consumit — Rationem eandem exemplo contrario confirmat Plinius 36 sect. 56 *columnae in aede densius positae crassiores videntur*. Perraltus *aërem* h. l. lucem interpretatus per aërem diffusam, ita ratiocinatur, ut contrarium effectum illi, quem posuit Vitruvius, efficiat. Sed statim sequitur: *eae ab aëre circumciduntur et graciliores esse videntur adspicientibus*. Sequitur scilicet Vitruvius doctrinam eorum, qui radios ex oculis effundi putabant.

pars crassitudinis — Similiter Meister h. l. corrigebat: *pars altitudinis crassitudo*. quam ipsam sententiam Interpretes omnes vertendo reddiderunt. Post *angustias* Wratisl. inepte copulam *et* inserit.

ex sua diametro — Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *suo*. Iterum infra 5 c. 7. *quod diametron habuerit* dant Sulp. Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. ubi Iocundus *quam* scripsit. Libri 10 cap. 14 solus Wrat. dat *per medium diametrum*.

Digitized by Google

quod eae — Sulp. Guelf. Wrat. *quod hae.* Deinde *videntur esse* Sulp. Guelf. Wrat.

oculos — exaequandum — Vatic. 1. Guelf. Wrat. *oculus.* Sed ita sect. 13 *scandentis oculi speciem fallunt.* iterumque postea *uti id, in quo fallitur* (visus) *temperatione adaugeatur.* Deinde *exequendum* dedit Iocundus, idque habet etiam Wrat. Vitium primus animadvertit et correxit Galiani eumque secutus Rode.

12.

hypotracheliis — Sulp. Fran. Guelf. *hypotrachelis.* Wratisl. *hypotracelio.* Deinde *a minimo* Sulp.

ad pedes quindenos — Numerorum seriem suadere, ut *quinos* deleamus, censebat Meister l. c. p. 148. Vitium vulgatae ipse etiam agnosco, et arguit membrum *ab minimo*, cui numerus deest, quem supplebis ex simili ratione Capitis V sect. 8 ubi plene est: *si columnae fuerint a minimo pedum XII pedum ad XV pedes.* Idem vitium tamen est in Capitis V sect. 7.

ima crassitudo — Sulp. Wrat. *una cr.* ut paulo post *scapus unus.* Deinde *itemque erit* Fran.

ab quindecim — viginti — Wrat. *ab pedibus XX — XXX.*

in partes sex — Sulpic. habet *in partes septem: superior crassitudo columnae in partes sex.* Ita etiam Wrat. nisi quod is pergit *columnae fiat.* In utroque Codice librarius oculo aberravit ad alterum versum, sed simul varietatem scripturae *septem* annotavit, quae est etiam in Guelf. ubi omnia ordine sunt perscripta.

ex earumque — Sulp. Guelf. *ex* omittunt. Deinde *Item quae erit* Wrat. quod vulgato *erunt* substitui propter concinnitatem. Postea *scapus unus* Sulp.

septem earumque sex — Haec omisit Fran. Deinde *perficiat* Sulp. Postea *a triginta* Sulp.

ima crassitudo — Sulpic. Wrat. *una cr.* Eadem cum Guelf. *crassitudo* omisit. Sequentia verba *dividatur in* omisit Fran.

Digitized by Google

ratione — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *rationem* habent. Deinde *et earumque septem* Wrat.

summo scapo sub capitulo — Haec est scriptura Sulp. Vatic. Arundel. Guelf. Wrat. Fraueck. nisi quod Wrat. habet *sub scaplô* scriptum. Iocundus primus *scapi hypotrachelio* dedit.

altiores erunt, eadem — Ita Sulp. Guelf. Wrat. Iocundus post *erunt* interseruit *his*. Deinde Fran. Guelf. Wrat. *constituatur* dant, unde sequi debebat *contractura*.

13.

Hae — Guelf. *Haec*. In sequentibus dedi scripturam Sulp. Fran. Guelf. Wrat. quam ineptissime interpolavit Iocundus edens: *speciem fallunt, quamobrem adiiciuntur cr. temp.* Attamen in Codd. est *species* scriptum. *Oculi speciem* dixit pro visu: *adiiciuntur crassitudinibus temperaturae* est pro *fiunt temperaturae adiectionibus crassitudinis*. Sic est in libri 6 cap. 2. *acuminis proprium est providere ad naturam loci aut usum aut speciem* (i. e. visum) *detractionibus vel adiectionibus temperaturas efficere*. Compara de eadem re simillimum locum infra Cap. V sect. 9 et ibi annotata. Praeterea Wrat. dat *oculis*. Deinde *adiciuntur* Guelf. Wrat.

Venustatem — Guelf. Wrat. Fran. *Venustates*. Deinceps *autem* dat Wrat. postea *blanduntur*.

uti, quo fallitur, temperatione id augeatur — i. e. ut ea pars columnae, in qua oculus fallitur, dum contractior illi appareret, quam re vera est, et quam apparere debet ex iusta proportione, augeatur in crassitudinem adiecta aliqua parte instar temperaturae. Vulgatum *uti id in quo* debetur Iocundo. Sulpic. Vatic. Guelf. Wrat. omittunt *id in*. Deinde *quod fallitur* dant Sulp. Fran. Vatic. Guelf. Wrat. Pro vulgato *adaugeatur* in Wrat est *et augeatur*. In hoc solo verbo mihi mutationem levissimam lectores imputabunt.

adiicitur — Guelf. Wrat. *adicitur*. Pro *ἐνταῦς* in Cotton.

Digitized by Google

est *antεσις*. Ciseranus in libris aliquot *ἔμφασις*, in uno *ὀνφαλὸν* scriptum reperit.

forma et ratio — subscripta — Pessime Iocundus scripturam Sulp. Guelf. Wrat. Fran. mutilavit, omisso *subscripta*. Deinde omnes libri dabant *formata ratio*, quod vitium comparato loco sequentis capitis, ubi est: *De volutarum descriptionibus — in extremo libro forma et ratio earum erit subscripta*. correxit Wesseling Observ. p. 72 quem secutus est Fea et Rode. Cf. ad Libri 9 Praef. sect. 5. Ceterum de *ἐντάσει* cum doctrina Vitruvii non possit cognosci ex forma, quae temporum iniuriam experta intercidit, multa disputarunt viri docti, quae coniecturis nituntur, nec ad vices Interpretis pertinent. Philander ait eiusmodi columnam, cui mediae sit aliquid adiectum, nullam sibi visam esse, et haud scire, an sit oculo responsura, cuius tamen maxime sit habenda ratio. Equidem Vitruvium auctoritate Graecorum scriptorum tuendum censeo; video enim huius ipsius *ἐντάσεως* exemplum afferri a Damiano vel Heliodoro Larissaeo in Opticis, unde locum excerptum reperiet lector infra ad Libri VI cap. 2.

AD CAPUT IV. (vulgo III.)

Titulum capiti feci eum, quem res et caput ipsum desiderabat. Verba enim vulgo translocata in suum locum suadente et praeeunte Perralto reduxi. Vulgo caput hoc cum sequenti inscriptum legebatur: *De fundationibus et columnis atque earum ornatu et epistyliis, tam in locis solidis quam in congestitiis.* In quo repetito Laetiana postremum *et* omisit. Primus Galiani dedit: *De Fundationibus et Columnis atque earum ornatu.* Quem secutus Rode post *columnis* adiecit vocabulum *Ionicis*, quod res efflagitabat. Hunc ducem secutus sum in titulo Capitis sequentis.

Fundationes eorum operum — Sic libri scripti omnes, quorum lectionem vitiavit Iocundus ita: *Substructionis fundationes.*

si queat inveniri, ad solidum, et in solido — Hanc Philan-

Digitized by Google

dri correctionem cum Fea recte probavit Rode: libri enim scripti et editi omnes *ab solido et in solidum.* Editiones quaedam ante Philandrum *queant* dabant, quod est in Galeana. Comparavit Philander locum geminum I cap. 5. ubi vide annotata.

videbitur — In loco gemino I c. 5 peius est *videatur.*

exstruaturque structura totum solum quam solidissima — Scripturam Sulpic. et librorum scriptorum recte cum Fea probavit Rode, quam temeravit Iocundus scribendo *exstruantur*, *quae structura per totum solum quam solidissima fiat:* immemor loci gemini, ubi est: *et ea* (fundamenta) *impleantur quam solidissima structura.*

sub columnis — Sulpic. Guelf. Franeck. *columnas.* In Guelf. et Franeck. vulgata supra scripta est. Wratisl. deinde verba *dimidio crassiores quam columnae* omisit. In gemino loco est: *crassitudine ampliore, quam parietum, qui supra terram sunt futuri.*

quae stereobatae — Sulpiciana cum Guelf. *stereobates*, Wrat. cum Vatic. *estereobates*, Franeck. *Ereobatis.*

non procedant extra solidum — Franeck. *procedet.* Deinde *stolium* Franeck. Margo Guelf. *al. solium* adscriptum habet. Spiras mox videbimus in podio ad aedes posito. Sed hic Philander spiras columnarum interpretatur, et locum sic explicat: *non oportere Plinthidem basis procedere et latiorem esse, quam sit stylobatae quadratum.* Sic est libro 6 cap. 11. *eorumque parietes pilae columnae ad perpendiculum inferiorum medio collocentur, uti solido respondeant.*

Item supra parietis — Intellige *supra terram.* Parietem supra fundamentorum parietes templum habet, quod dicitur *in antis*, prostylum, et amphiprostylum, monente Rodio. *parietes* est in Sulp. Guelf. Wrat. Vatic. Fran.

fistucationibus — Sulpic. Franeck. *festucationibus.* Deinde *destineantur* Guelf. Wrat. *detineantur* Sulpiciana. Fistucationes Philander interpretatur *palationes*, quam opinionem recte repu-

Digitized by Google

diavit Galiani, densatam fistucatione terram, ut in pavimentis, intelligens.

2.

congestitius — Fran. et Codex Laeti *coniectitius*. Sic infra VII, 1. est *coniectitius* in Codice Vatic. 1 et Cottoniano. Columella 2, 10, 18. *non deterius tamen etiam pinguibus harenis vel congesticia humo proveniunt sesama.* et 2, 15, 5 *congesticiam vel de vepribus vel denique aliam quamlibet arcessitam et advectam humum.* Eandem nominat Palladius Octobr. XI, 2.

paluster — Franeck. *pluster*, Wratisl. *placiter*. Deinde *et is locus* Wratisl. postea *eximaturque.*

saligneis aut oleagineis aut robusteis — Sulpiciana *salignis*, Guelf. Wratisl. Franeck. Vatic. *saligneis.* Vulgo est *alneis* ex Iocundi emendatione valde probabili. Infra V cap. 12. *Sin autem mollis locus erit, palis ustulatis alneis aut oleagineis aut robusteis configatur et carbonibus compleatur, quemadmodum in theatrorum et muri fundationibus est scriptum.* ex quo locum nostrum interpolavit Iocundus. In Sulpiciana deinde est *oleaginis.* Postea Wratisl. omisso *aut* habet *robustis. ustilatis.* Etiam Sulpic. et Guelf. *aut* omittunt. In Varronis libro I cap. 38. sect. 2 de re rustica ante Victorium erat *robustea materia.* Ceterum carbonum usum in fundamentis templi Ephesii primum adhibuerunt Graeci. Plinius 36 cap. 14 *ne in lubrico atque instabili fundamenta tantae molis locarentur, calcatis ea substravere carbonibus, dein velleribus lanae.* Suadente hoc factum Theodoro, Rhoeci filio, Samio, narrat Diogenes in Aristippo: *οὗτός ἐστιν ὁ συμβουλεύσας ἀνθρακας ὑποθεῖναι τοῖς θεμελίοις τοῦ ἐν Ἐφέσῳ ναοῦ· καθύγρου γὰρ ὄντος τοῦ τόπου τοὺς ἀνθρακας ἔφη τὸ ἔυλῶδες ἀποβαλόντας αὐτὸ τὸ στερεὸν ἀκαθὲς ἔχειν ὕδατι.* Huc pertinet locus Augustini de Civitate dei 31 c. 4. *Quid in carbonibus? nonne miranda est et tanta infirmitas, ut ictu levissimo frangantur, pressa facillime conterantur, et tanta firmitas, ut nullo humore corrumpantur, nulla aetate vincantur, usque adeo,*

Digitized by Google

ut eos substernere soleant, qui limites figunt ad convincendum litigatores, quisquis post quantalibet tempora extiterit, fixumque lapidem non esse contenderit. Quis eos in terra humida effossos, ubi ligna putrescerent, tamdiu durare incorruptibiliter posse, nisi rerum ille corruptor ignis efficit?

sublicaeque — adigantur — *Subliga* est in Vatic. Wratisl. et Sulpiciana; *subligae* in Franeck. Vulgo erat *sublicae.* Deinde *adigatur* est in Guelf. Wratisl. Vatic. Franeck. sed Sulpiciana habet *alligetur.* Ex hac postrema scriptura collegit Rode emendationem in versione propositam *sublicaeque machinis alligentur,* ubi *sublicas* interpretatur cratem ex axibus decussatis factam et palis impositam. Quam interpretationem repetiit in Lexico Vitruviano, cum tamen aliam lectionem (*subligaque — adigatur*) in textu exhibuisset, quae ad istum sensum nulla potest machina adigi. Repudiavit viri docti opinionem etiam Woltmannus in Commentatione Regiae Societati Goettingensi tradita, cuius notitia extat in Relationibus Goetting. anni 1803 p. 753 seqq. sed is in opinionem non minus erroneam incidit, ut putaret *sublicae machinis* pro machina sublicae dictum genus fistucae manibus regendae significare. Quod fieri per sermonis latini leges posse, recte negavit auctor relationis, qui *sublicas* dici monet quos *palos* antea Vitruvius nominavit. Atque haec fuit iam olim Philandri sententia vera, qui sublicas h. l. palos interpretatur. Sed *sublices* vel *sublicae* non omnes pali dicuntur, sed qui in aquis defiguntur ad sustinendum onus. Recte et egregie Glossarium Philoxeni: *Soblices* καταπῆγες οἱ ἐν τῷ ποταμῷ τὴν γέφυραν ὑποβαστάζοντες. Suidas locum historici innominati posuit hunc: ἐπεὶ τὰ ὑποκείμενα οὐχ οἷά τε ἦν καταπῆγας δέχεσθαι, ὑφ' ὧν ἔδει συνέχεσθαι τὰ ἐπὶ τοῦ ῥεύματος καθιέμενα. Festus in pontis sublicii interpretatione de origine et notione vocis opiniones varias posuit; Scaliger in annotatione a *liquus* deducit, unde *obliquus*, *sublicus*, *subliquus.* Equidem malim e graeco ὑποβλὴς (uti dicitur ἐπιβλὴς) derivare *sublex*, quod subiicitur palus in aqua defixus ponti.

Digitized by Google

fundamenta impleantur — Philander ipsas fossas dici monet, et ex libro 5 cap. ultimo affert: *fundamenta fodiantur.*

ad libramentum — collocandae — Wratisl. *quod libramentum*, quod est contractum ex *quoad.* Deinde *collocandi* Edd. multae, et ipsa Philandrea, sed Codd. cum Sulpiciana foemineum sexum dant.

3.

Supra stylobatas — Wrat. *stylobates.* Sequens *supra* omisit Sulpiciana. Eadem pro *Diastylo* habet *decastylo.*

Araeostylis — cuique — Wratisl. *araehostylis — cui.* Idem postea *quod* habet pro *quot.*

totidem bis intercolumnia — De hoc praecepto comparare iubet versio Rodiana Stuarti Antiquitates Atticas T. II p. 24 et Editionem Italicam Winckelmanni Historiae artium T. III p. 497.

4.

item in summo primus — Galiani *il piano di tempio* interpretatur, Rodiana versio *templo* non expressit, quod recte omisit Sulpiciana, sed sola: nam reliqui libri scripti vocabulum ineptum addunt, damnatum iam olim a Philandro. Ineptius etiam propinat nobis Laet *summo templi.*

crassiores dextante — Sulpiciana et Franeck. *sexante* habent, quod vitium apertum correxit Philander; sed iam antea Ciseranus ex libris duobus *dextante* annotaverat. Reliqua ad graduum fastigium pertinentia traduntur infra in Praefatione ad Librum IX.

Retractiones — bipedales — Vaticani libri *retractationes.* Deinde Sulpiciana *semipedales* dat, postea *futuri sint.*

5.

ad id constituatur — Omnes interpretantur, quasi scriptum extet *id ita constituatur*, cum tamen vulgatum aliter interpretari non liceat, nisi *eo usque constituatur.*

quadrae — lysis — Quinque haec membra podii Perraltus

Digitized by Google

vertit: *le zocle, la base, le dé, la corniche et la cymaise.* Galiani: *il zoccolo, il tondino, il dado, la corona e la cimasa.* Sulpic. *lesis*, Guelf. Wrat. *lapis* habent, sed in margine Guelf. varietas *lysis* annotata est.

ad ipsum stylobatam — Edd. dant *ipsum*, Sulpic. Guelf. Wrat. *ipsam*, quod restituit Rode: et tamen mox *qui* est in Sulp. Guelf. Wrat. ubi *quae* cum Edd. dedit Rode. Wrat. *stylobabam* dat.

columnarum spiris — Ita Iocundus scripsit. Sulp. *columnis et spiris.* Guelf. *columnae spiris.* Wrat. *columnis spiris.* Fran. *columna spiris.* Quod si *columnae* probaveris, tum *spira* videtur scribendum, ut stylobates dicatur, non totus ille paries cum podio continuatus, qui sustinet impositas columnas, sed singulae parietis partes, quousque columnam habent impositam, stylobatae erunt dicendi plurali numero. Ita *intra stylobatas* dixit Varro R. R. 3, 13, 3. sed singulari numero bis 3, 5, 11 et 12.

conveniant — Sulp. Fran. *conveniat.* Perraltus vertit: *se rapportent avec les mêmes partis du stylobate.* Galiani: *corrispondano colle membra del piedistallo.* Rode: *vollkommen mit denen am Säulenstuhle übereinstimmend fortlaufe.* Habebunt igitur stylobatae eadem plane membra, quae podium in tribus lateribus circa positum. Haec vero omnia pertinent ad latera parietis seu podii erecti, item ad latera stylobatarum, in quibus convenire omnia debent.

Stylobatam ita — Sic Guelf. Wrat. et Iocundus. *stylobatan* Sulp. Vulgo *stylobaten.* Sequens *ita* omittit Guelf. Wrat. Post *ita* Sulp. repetit *stilobatam.*

exaequari — Interpretatur ipse Vitruvius deinceps *ad libellam dirigere.* Libella autem ad corpora et membra plana, perpendiculum ad erecta, norma ad corpora iuncta cum aliis ad angulum, regula denique, quae etiam linea vocatur interdum, ad recta exploranda adhibetur. Hinc Vitruvius libri I cap. 1 usu euthygrammi et circini ait descriptiones aedificiorum in areis normarumque et librationum et linearum directiones expediri. Libellam adhibet libri I cap. 6 sect. 6. ubi est: *collocetur ad libellam mar-*

Digitized by Google

moreum amussium — aut locus ita expoliatur ad regulam et libellam, ut amussium non desideretur. In plana enim terra fit exploratio per libellam; adiicitur etiam regulae mentio, quae planis et erectis aeque commoda est examinandis. Contra Perraltus et Galiani Philandrum secuti libellam hic a Vitruvio pro regula nominatam fuisse volunt, quoniam scamillos impares interpretantur stylobatas ipsos, ubi columnis subiecti sunt, recedentes et quasi resilientes a podio, quod ita in spatiis inter stylobatas mediis cavum apparet. Qui quidem ut hanc opinionem amplecterentur, quae Vitruvium facit usum proprium vocabulorum et dictionum arti propriarum tam proterve et temere contemnentem, effecisse videtur praeter obscuritatem vocabuli *scamilli* vel *scabilli* etiam *adiectio per medium facienda*, omnium vero maxime illud, quod stylobates, si ad libellam dirigatur, alveolatus oculo videri dicitur. Atqui Perraltus et qui Philandrum sequuntur, stylobatam putant ita demum alveolatum et quasi cavum apparere, si eius latera inter coronam et spiram comprehensa secundum longitudinem aspiciantur.

uti — per medium — Wrat. *ut.* Deinde *per podium* Sulp. Fran. habent: quae scriptura nullo modo ferri posse videtur, etiam si verba *per podium* iunxeris verbo *exaequari.* Dicendum enim potius fuerat *exaequari cum podio, uti habeat adiectionem.* Quaeritur nunc quod medium dicatur a Vitruvio? Medio stylobatae insistit columnae spira. Id igitur spatium occupari per scabillos non potest. Relinquitur igitur medium inter stylobatam et podium spatium, quod ne alveolatum appareat, adiectione scabillorum supponendorum iuvandum est. Quae si vera est interpretatio, aliam autem comminisci non possum, tum vero lectio Sulp. Guelf. Wrat. qui statim *alveolatum oculo videbitur* scriptum habent pro *alveolatus*, quod Iocundus primus edidit, non solum toleranda sed etiam praeferenda videtur ideo, quod locus ita indicatur stylobatae, cuius vitio medendum est. Igitur eam scripturam restitui. Ceterum Meister in Comment. Nov. Goetting. l. c. p. 184 corrigebat *per modicam adie-*

Digitized by Google

ctionem, quae scriptura ex Sulp. *per podium* facilius quam ex vulgato *per medium* existere videtur. Ipse Vitruvius hunc locum respexit infra libri 5 cap. 9 sect. 4 *stylobatisque adiectio quae fit per scabillos impares ex descriptione, quae supra scripta est in libro tertio, sumatur.*

scamillos — Sulp. Vatic. 1. Fran. Arundel. *scabellos.* Iocundus dedit *scamillos*, quod est in Guelf. Wrat. Ita statim *scabelli* est in Fran. et Sulp. Infra libri 5 c. 9 sect. 4 *scabellos* habent Sulp. Vatic. Fran. Arundel. Cotton. *scabillos* Guelf. Wrat. Ciseranus in Codd. aliquot *scamnuli* reperit. Itaque Iocundi lectionem hoc solo in loco adiuvant libri Guelf. et Wrat. De vocabuli significatione deinceps accuratius dicetur, posteaquam de re ipsa viderimus.

alveolatum — Ita Sulpic. Guelf. Wratisl. Iocundus primus *alveolatus* edidit, atque ita occasionem Philandro et qui eum sequuntur praebuit, locum male interpretandi, atque id, quod de planitia superna stylobatae et spatio inter columnarum spiras et podium medio dixit Vitruvius ad latera podii et stylobatae transferendi. Quomodo autem stylobates desuper alveolatus oculo videatur, recte mihi tradere videtur Genelli Fascicul. I p. 4 his verbis: *Vitruv nimmt die vordere Ansicht seines Tempels, wo er, wenigstens im Hinaufsteigen der Stufen, unfehlbar eine Aufsicht auf die obere Fläche des Säulenstuhls bekommen mufs, die er wegen der Verschiedenheit des Pflasters von dem Fufsboden der Seitengänge abgesondert ansieht, und findet da, dafs ihre leeren Ränder neben den Basen sich zu heben, und folglich die ganze Fläche wie eine hohle Rinne scheint. Diesem fehlerhaften Schein will er dadurch abhelfen, dafs er die Fläche nach aufsen hin allmählig senkt, und zwar nach einer Curva in entgegengesetzter Richtung mit der des optischen Scheins, die er dann durch einen Rifs zu verdeutlichen nöthig findet, und den gleichen Stand der Säulen wieder herzustellen, gebraucht er nun die angegebnen Scamillen.* De causa igitur et loco scamillorum subdendorum spiris columnarum constat ita, ut dubitationi locus superesse non possit. Confirmat Baldi interpretationem

Digitized by Google

alter locus 5 cap. s. 8 sed is coniecturis Iocundi et vitiis scripturae hodie in plerisque omnibus Editionibus ita perturbatus, ut scripturam et mentem Vitruvii agnoscere vix liceat. Quare critica opera opus est ad veram librorum scriptorum lectionem restituendam. Primum igitur ponam scripturam Iocundeam, quam secuti sunt plerique Interpretes: *Capitulis perfectis denique in summis columnarum scapis non ad libellam sed ad aequalem modulum collocatis, uti quae adiectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum. Epistyliorum ratio sic est habenda, ut si* et cet. Nihil mutavit Laetus et Galiani in hac scriptura, nisi quod *Capitulis perfectis, deinde* ediderunt, quae mutatio nihil ad sententiam attinet. Contra Rode temeritate fere pudenda verba Vitruvii sic ex ingenio mutata posuit: *Capitulis perfectis, denique in summis columnarum scapis non ad libellam sed ita exaequata per medium collocanda, uti cum adiectio, quae in stylobatis, facta fuerit, in superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum. Epistyliorum ratio sic est habenda:* et cet. Quae qui legit, nunquam intelliget qua de parte Vitruvius loquatur: at qui versionem Rodianam comparaverit, is demum admonitus suspicabitur, quid vir doctus Vitruvium dicere voluerit. Ita enim versio: *Wenn die Kapitäle vollendet sind, so sind sie auf den obern Säulenschaft aufzustellen: sie müssen aber oberhalb nicht wagerecht, sondern dergestalt gehalten werden, daſs sie auf dem Obertheile im Mittel eine Erhöhung gleichwie der Säulenstuhl erhalten, damit das Ebenmaſs der Unterbalken nicht gestört werde.* In Annotatione versioni subiecta addit: Sine eiusmodi adiectione in media planitia superiore capituli suspicienti epistylium supra capitulum parte aliqua truncatum visum iri; quo facto epistylii symmetriam tolli aut imminui. Vides adiectionem non solum ad capituli sed etiam ad epistylii referri symmetriam! Sed missa viri docti opinione redeamus ad orationem Vitruvii, quam Rode non solum

Digitized by Google

sensu plane omni cassam reddidit, sed etiam barbaram. Ex sententia enim Rodii verba ita erant concinnanda: *Capitula perfecta denique* et cet. Sed ex priore Vitruvii loco translata sunt verba aliquot, prave iuncta aliis, quibuscum alienam sententiam fundunt, et substituta in locum eorum, ex quorum interpretatione alii subsidium priori loco petierant; itaque dubia dubiis permutata et Vitruvio non sua reddita, sed pars cum alienis commentis confusa et permixta fuit obtrusa. In Iocundea scriptura ingenium expertus est etiam Meister, et cum apodosin orationi non respondere sed deesse animadvertisset, post verba *in stylobatis facta fuerit* inserebat haec: *huic inclinatio*, atque ita cum his reliqua continuabat: *in superioribus membris respondeat.* Verum hoc novo supplemento non est opus, dummodo redeamus ad scripturam librorum et Sulpicianae. Ibi igitur totus locus ita scriptus legitur: *Capitulis perfectis deinde columnarum non ad libellam sed ad aequalem modulum collocatis, ut quae adiectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum. Epistyliorum ratio sic est habenda:* In hac scriptura consentiunt libri Vaticani, Fran. Guelf. Wrat. In his paucissima vel mutanda vel corrigenda sunt, ut sententia constet. Primum igitur post *columnarum* inserenda videtur copula *et;* deinde verba *symmetria epistyliorum*, veluti annotationem in margine appositam verbis: *Epistyliorum ratio sic est habenda*, quae vulgo novam periodum, in Wrat. libro Capitulum XII exordiuntur, eliminemus, quae est coniectura felicissima Meisteri, qua si vir dictus recte abusus fuisset, facile supersedisset opera coniiciendi, quid esset in verborum spuriorum locum substituendum, ut apodosis responderet initio periodi. His etenim eiectis, oratio sic est continuanda, ut verba, quae vulgo ad sequentem periodum trahuntur, cum antecedente coniungantur, ita: *Capitulis perfectis deinde columnarum*, [*et*] *non ad libellam sed ad aequalem modulum collocatis, ut quae adiectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondeat*

Digitized by Google

[symmetria epistyliórum] *epistyliorum ratio sic est habenda, uti si columnae fuerint a minimo XII pedum ad XV pedes, epistylii sit altitudo dimidia crassitudinis imae columnae.* Atque ita plane posui verba Vitruvii in hac mea Editione, seclusis nempe verbis spuriis, et typorum forma adeo damnatis, ne nimis religiosi homines de damno verborum aliquo conqueri possint. Ita adiectio facta in stylobatis comparatur cum simili adiectione facienda in capitulis, nulla ratione habita epistyliorum, quam nec cum verborum structura conciliare ullo modo possumus. Supersunt verba quaedam, quae difficultatem interpretandi habent, velut illa *sed ad aequalem modulum collocatis:* ubi vocabulum *modulum* recte miratur Perraltus non propria Vitruvio notione positum, sed potius pro *modum.* Itaque interpretatur ille: *d'une manière égale.* Atque ita infra Cap. 5 sect. 14 est: *cetera aequali modo disposita.* Duram tamen esse dictionem fateor, et fere est ut verear, ne Vitruvius scripserit: *et non ad libellam et aequalem modulum collocatis, sed ut quae adiectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondeat.* Ita *sed* in *et* mutatur, et ante *ut* inseritur *sed.* Hoc facto verba *collocare ad libellam et ad aequalem modulum* respondebunt illis, quibus primo loco usus esse reperitur Vitruvius: *Stylobaten ita oportet exaequari: si enim ad libellam dirigetur* i. e. *si ad libellam exaequabitur.* Hoc idem nunc dicere videtur *ad libellam et ad aequalem modulum collocare.* Denique si volumus locum ita pristinae integritati restitutum comparare cum primo loco, ut interpretationi subsidium inde petamus, superesse mihi dubitatio ea videtur, ut quaeramus, num adiectio illa, quam fieri in capitulis vel membris superioribus iubet Vitruvius, uti respondeat adiectioni in stylobatis factae, vere fuerit facta a Vitruvio, an potius omissa fuerit, velut ex formula loco primo subiuncta supplenda. Quodsi enim fuit adiectio ipsa iam facta a Vitruvio, facilis est opera comparandorum singulorum capituli membrorum; unde constabit de membris in stylobatis adiiciendis. Sin minus, opera omnis quaerendi frustra consumitur, cum forma a Vitruvio

Digitized by Google

libro tertio subiuncta cum reliquis omnibus temporum iniuria perierit; et res redit ad divinationem. Sed video equidem omnes fere Interpretes in eo consentire, ut putent Vitruvium adiectionem ipsam non fecisse, sed arbitrio architectorum ex formula a se edita definiendam et addendam reliquisse. Itaque ad solam verborum in tribus locis de eadem re positorum interpretationem referre nos cogimur, ut coniectura aliqua assequamur, quid Vitruvius per *adiectionem scamillorum imparium in stylobatis* intelligere nos voluerit, et quid in capitulis vel in superioribus membris isti adiectioni respondere debeat.

Extat libellus Hispani *Ortiz* editus Romae 1781 hoc titulo: *Abaton reseratum, sive genuina declaratio locorum capitis ultimi libri tertii architecturae M. Vitruvii Pollionis, nusquam ad mentem auctoris facta, scilicet: De adiectione ad stylobatas cum Podio seu ad Podium ipsum per Scamillos impares: Et item de secunda adiectione in Epistyliis facienda primae respondente.* Hic igitur p. 36 verba Vitruvii ex tertio loco posita supra *sed ad aequalem modulum collocatis* ita interpretatur: id est ad aequalitatem totius summi scapi; quod aliter evenire nequit, quam ea (capitula) ad axem inclinatum sive centrum supernae faciei collocando. Ex ungue leonem agnoscent rei architectonicae periti, et Vitruvii callentes!

Si comparamus locum tertium cum primo, duae occurrunt quaestiones, ante omnia expediendae. Vetat tertio loco Vitruvius *collocari capitula ad libellam*, uti primo *ad libellam dirigi stylobaten* vetaverat. Quod si utroque loco dictione eadem sensu eodem, uti decebat, utpote in rebus sibi respondentibus, usus est Vitruvius, quaeri potest, quomodo viri docti, qui in primo loco tantopere sectantur proprietatem verborum in dictione *ad libellam dirigere*, voluerint capitula in scapis columnarum collocari *non ad libellam*, id est plana, et ut vulgo dicitur, ad lineam horizontalem, sed aliquam in partem propendentia et nutantia. Quod est vitium in capitulo maximum, nec ulla symmetriae ratione excusandum. Quare qui Baldi sententiam sequuntur, verba

Digitized by Google

Vitruvii ita interpretari coguntur, uti capitula dicta sint pro *summa capitulorum planitia*, quae non ad libellam exaequanda sed adiectione scamillorum attollenda est, eadem ratione ut in stylobatis summis factum erat.

Altera superest dubitatio, in capitulorum adiectione eadem causa an diversa adsit adiectionis ab ea quam in stylobata posuit Vitruvius, videlicet, *ne alveolatus videatur*. Si causa adest eadem, debuerunt antiquarii iam diu in monumentis veteris architecturae reliquis ex ea agnovisse membra vel partes in capitulis adiectas, et si comparaverunt cum his stylobatas in aliis monumentis reliquos, tandem etiam in his partes illis superioribus respondentes exquisivisse. Atqui nominant reliquias aliquot, in quarum capitulis additas abaco partes aliquas cum adiectione a Vitruvio memorata compararunt, etiam in templorum quorundam reliquiis additas inter stylobatas et plinthum partes compararunt cum scamillis Vitruvii. Monumenta ea enumeravit Rode in annotatione addita versioni p. 136 et p. 143. Plura Stieglitz in Archaeologia Architecturae T. I p. 202.

Sed et numerus Vitruvii doctrinae respondere non videtur, qui plura nominat scamilla et imparia, nec ratio itaque inde declarari potest, qua voluerit Vitruvius ea collocari. In capitulis causa scamillorum adiiciendorum diversa fuisse videtur ab ea, quae in stylobatis adiectionem facere videbatur necessariam. Symmetriae enim ratio in capitulis tantum habita fuisse videtur, ut superiora membra omnia inferioribus responderent. Ita video etiam virum doctum, *Genelli*, statuere, qui speciem oculi infra positi ad capituli superficiem adspiciendam pertingere recte negat.

De loco igitur scamillorum adiiciendorum satis constat: rationem et modum viri docti dubitationibus in diversas partes traxerunt variis et longis, quas equidem nec explicare nec iudicare possum. Faciam, quod possum, ut conatus virorum doctorum de ratione scamillorum collocandorum quaerentium adiuvem aliquo modo explicata scamillorum varia significatione. De vocabuli enim eius obscuritate queruntur omnes. Quodsi scriptorum loca

Digitized by Google

omnia, qui vocabulo usi reperiuntur, eiusque varias significationes excusserimus, poterunt fortasse in hac varietate agnoscere acutiores similitudinem aliquam, quae eos in vestigia verae notionis scamillorum Vitruvianorum perducat. Audiamus tamen antea, quae viri docti ad Vitruvium de vocabulo annotarunt. In quibus Hadr. Turnebus Advers. II, 3 nihil aliud quam scamillos parva scamna esse annotavit; ut enim a mamma mamillam diminui, ita a scamno scamillum; auctorem esse Priscianum libro 3, qui afferat exemplum hoc: *verum infirma scamillorum obice fultae fores.* Alios *scabellorum* legere malle. Philander primum gradillos interpretatus est, deinde accuratius opinionem ita declaravit suam, ut scamillos esse diceret stylobatas non perpetuos et cum podio aequali superficie continuatos, sed sub columnis recedentes atque resilientes. Quam sententiam deinde Perraltus et Galiani sunt amplexi. Praeterea Philander annotat in Codicibus aliquot esse *Scamulos* scriptum. Barbarus dum eandem cum Philandro, non nominato tamen, sequitur sententiam, quaedam de vocabuli *camillum* et *camillus* significatione admiscet, quae nulla auctoritate firmavit, nec loca scriptorum accurate indicavit. Hoc tamen apparet, rediisse ei in animum locum Vitruvii libro X cap. 15 ubi est in descriptione scorpionum sect. 3 *crassitudo bucculae, quae affigitur, vocitatur camillum, seu, quemadmodum nonnulli, loculamentum, securiolatis cardinibus fixa*, ubi in graeca Heronis descriptione nihil est, quod *camillo* respondeat, nec libri editi scriptive variant lectionem. Baldus tamen *catillum*, Perraltus *scamillum* malebat scriptum. Praestat camillum hoc ut proprium mechanicae artis vocabulum seponere, ab alia, ut videtur, origine derivandum, et ad scamnum redire, unde *scamilli, scabilli* et *scabelli* descendunt. Tam varie enim vocabulum scribitur in Codicibus. Quid? quod *scamilli* Iocundo potius, quam Codicibus Vitruvii debentur; Codices enim fere omnes cum Sulpiciana aut *scabillos* aut *scabellos* nominant. Scamnum a scandendo dictum testatur Varro de L. L. IV p. 35 (p. 46 edit. Bipont.) *Quia*, inquit, *simplici scansione scandebant in lectum non altum, sca-*

Digitized by Google

bellum, in altiorem, scamnum: duplicata scansio gradus dicitur. ubi libri alii *in locum non altum* habent. A scamno scabellum fieri testatur etiam Quinctilianus Or. Instit. I, 4, 12. Cato R. R. 10, 4 *scamna magna* III, *scamnum in cubiculo unum, scabilla* III. ubi Edd. primae habent *scabillia.* Scamno etiam sedentes pedes imponebant, quin ipsi scamno insidebant; unde *in scamnis equitum sedere* apud Martialem V, 42, 7. *regni scamna solumque stabilita* Ennius Ciceronis de Divin. I, 48. In arando sicubi crudum solum et immotum relinquebatur a bubulco, scamnum appellabant rustici, teste Columella 2, 2, 25 quod instar scamni esset inter duos sulcos extans. Cf. ad Columellam p. 61. Sic in vineis quod solum inter scrobes immotum relinquebatur, scamnum etiam vocabatur, auctore eodem Columella 3, 13, 2. Scamnum agrimensorii scriptores limitem in latitudinem ductum dixerunt, atque hinc scamnatum agrum: de quo Salmasius Exercit. p. 478.

Scabillum igitur est ὑποπόδιον graece, quod pedibus scandentium vel sedentium subditur. Sed peculiari ratione scabillum dicitur solea vel regula lignea vel ferrea calceis subdita, quam pedibus supplodentes crepitum edebant, atque ita motus saltantium vel rhythmos canentium temperabant et regebant. De quibus primus omnium egregie docuit Salmasius ad Script. H. A. p. 501 seqq. et in Exercit. p. 702 unde transferam summa disputationis capita. Lucianus de Saltatione pluribus locis ποδὶ πτυποῦντας, ποδῶν πτύπους et simpliciter τοὺς πτυποῦντας nominat eos, qui saltantibus pantomimis adstantes crepitum scabillis edebant. Idem de Laconicis choris: καὶ αὐλητὴς μὲν ἐν μέσῳ πάθηται ἐπαυλῶν καὶ πτυπῶν τῷ ποδὶ, οἱ δὲ κατὰ στοῖχον ἀλλήλοις ἑπόμενοι σχήματα παντοῖα ἐπιδείκνυνται πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνοντες. Vides tibicinem choris accinentem et simul pedibus supplodentem, quod in coryphaeis chororum hodie *mensuram percutere* dicere solemus. Uno in loco sect. 83 Lucianus τοὺς τῷ σιδηρῷ ὑποδήματι πτυποῦντας nominat, id est ferrea solea supplodentes. Pollux 7, 22, 87 ligneas eiusmodi soleas προυπέδια vocat, ξύλινον ὑπόδημα πεποιημένον εἰς ἐνδόσιμον χοροῦ. De ferrea solea vel regula, sub calceis pro-

Digitized by Google

minente, quam concrepabant, qui saltantibus pantomimis rhythmum moderabantur, locus est egregius Libanii in Apologia Pantomimorum T. III p. 385 ed. Reiskii: *πτύκου δεῖ τοῖς ὀρχησταῖς μείζονος, ὃς τά τε τοῦ χοροῦ διοικήσεται πρὸς τὴν χρείαν καὶ συμβαλεῖ τοῖς ὀρχησταῖς εἰς εὐρυθμίαν· οὗτος δὲ ἀπὸ ψιλοῦ τοῦ ποδὸς οὐκ ἂν ἀποχρῶν εἴη· δεῖ δή τινα κανόνα σιδηροῦν ἀπὸ τῆς βλαύτης ὁρμώμενον ἀρκοῦσαν ἠχὴν ἐργάσασθαι.* Hanc ligneam vel ferream soleam Romani *scabilla* vocarunt. Sic est in Suetonii Caligula cap. 54 *repente magno tibiarum et scabellorum crepitu cum palla tunicaque talari prosiluit ac desaltato cantico abiit.* Ad quem locum Casaubonus posuit locum Augustini Libro IV de Musica: *quum symphoniaci scabella et cymbala pedibus feriantur, certis quidem numeris, et his, qui sibi cum aurium voluptate iungantur, sed tamen tenore perpetuo, ita ut si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis, quousque procurrat connexio pedum, et unde rursus ad caput redeatur.* Hi sunt *crepitus scabillorum* apud Arnobium libro 2. Hinc *Scamellum symphoniaci* in Glossis Isidori, et in Scholiis ad Statii verba: *ad inspirata rotari buxa: buxa, tibia vel scabillum, quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt.* In mimis etiam scabilla adhibita actuum et scenarum terminos et tempora, quibus aulaea tollenda vel submittenda essent, signabant. Testis est locus Ciceronis pro Coelio cap. 27. *Mimi ergo est iam exitus non fabulae: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus: deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur.* Hinc *scabillarii* Inscriptionis apud Donium Classis 8 no. 42 Muratorii p. 529 et *operae scabillares* apud Fabrettum Inscr. p. 603. 660. Memoravit Ernesti in Clavi Ciceroniana monumentum vetus, in quo scabilla expressa spectentur.

Scabelli Vitruviani si cum his scabellis choricis comparentur, accedere videtur etiam ex similitudine aliquid auctoritatis sententiae Baldi, qui scabillos planitiae summae stylobatarum adiicit, cui columnarum pes insistit; ubi possunt videri imitari scabella supposita soleis vel calceis *τῶν ποδοφόρων* in mimis vel panto-

Digitized by Google

mimis atque omnino in choris supplodentium pedibus et crepitum scabellis excitantium. Baldi sententiae inter recentissimos Vitruvii Interpretes accessit etiam Genelli I p. 1 — 10 qui de modo et ratione tantum diversus abit a reliquis viris doctis, qua scamilli stylobatarum planitiae sint imponendi. Quaedam addidit in Fasciculo II p. 37. 38. ubi scribendum censuit: *deinde in columnarum scapis non ad libellam sed ita ad aequalem modulum collocanda*, (capitula) *uti quae adiectio in stylobatis facta fuerit, in super. m. respondeat symmetria epistyliorum*, quae vertit: *sondern also auf die Neigung der Säule gepafst, dafs ein aufgelegtes Bänkchen, wie auf den Stylobaten geschehen ist, erst mit gleicher Abwägung den darauf liegenden Theilen der Architraven wieder entspreche.* Contra *D. Pietro Marquez* in Appendice libri Romae 1796 editi: *Delle Ville di Plinio il giovane* Philandri opinionem quasi inventum suum proposuit et defendere conatus est. Librum ipse perlegere non potui, sed excerptum eius argumentum dederunt Ephemerides litterariae Goettingenses anni 1798 No. 90 p. 889 — 896.

Hoc autem uti — Guelf. Wrat. *ut.* Deinde *scabelli* Sulpic. Fran. Scabram et hiulcam facit orationem additum ab initio *Hoc*, quod cum quo iungatur aut quo referatur, non habet. Deinde *ad id convenientes* alia ratione et notione dictum videtur, quam antea *ad ipsum stylobatam conveniant.* Haec omnia perferenda sunt in scriptore scribendi non satis perito nec in arte grammatica, ut ipse ait, satis exercitato!

AD CAPUT V. (vulgo III. sect. 6 sqq.)

His perfectis — Hinc Capitulum X exorditur Wrat. Deinde *haeque ad symmetriam* Sulpic. *eaque* Wrat. Postea *cum plinthio* Sulpic. Pollux 7, 121 στυλοβάτης, ἡ τοῦ Δωριικοῦ κίονος βάσις, σπεῖρα δὲ ἡ τοῦ Ἰωνικοῦ. quem locum taxant viri docti. Sed apparet tamen Pollucem incidisse in scriptorem, qui spiram ordini columnarum Ionico assignarat ut Vitruvius. Rectius Hesychius

Digitized by Google

in vocabulo vitioso aut lacunoso Σπύλωνες pro σπείλωνες scripto, cuius tamen interpretatio intercidit: deinde sequebatur σπείρα, οἱ πρὸς τῇ βάσει λίθοι, plane ut Basilius Patricius in Naumachicis p. 139 σπεῖρα δὲ παρὰ μὲν ἀρχιτέκτοσι τῶν τοίχων οἱ πρὸς τῇ βάσει λίθοι.

plintho — Sulpic. *plinthio*, et statim bis iterat. Deinde *elcopam* Wrat. *esphoran* Sulp. quae deinde *vocant* dat.

ἐκφορὰν vocitant — Infra libri VI cap. 3 sunt *columnarum proiecturae*, *mutulorum ecphorae*. ubi Wrat. *ephorae* dat. Ibidem *tabula ad regulam plana* dicitur, quae h. l. est *columna ad libellam directa*.

quadrantem — Sulpic. Vatic. Fran. Arundel. Guelf. Wrat. *sextantem* dant.

2.

superior torus — Wratisl. hic et statim *corpus* dat. Festus: *Spira dicitur et basis columnae unius tori aut duorum.*

scotia — τρόχιλον — Sulp. *scotica* — *trochilion*. Hesychius: σκοτία, μέρος τι παρὰ τοῖς ἀρχιτέκτοσι προσαγορευόμενον τριγλυφον. ubi Salmasius corrigebat τοῦ προσαγορευομένου τριγλύφου. Qui sequitur trochilus, eum Turnebus Advers. 11 c. 2 malebat τράχηλον scriptum, quod ea pars hodieque *gula* dicatur ab Italis, sed τρόχιλον etiam potuisse dici a similitudine orbiculi trochleae. In Hesychio glossam Ἀβάκης — καὶ ὄνομα ἀρχιτεκτονικόν, ὃ Σπύθαι λέγουσιν ἀνδραπλεῖν. Salmasius corrigebat: ὃ σκοτίαν λέγουσι καὶ τράχηλον, Is. Vossius autem: ὃ σκοτίαν λέγουσι τραχηλίαν ἢ τρόχαλον. Infra libri 4 c. 3 est: *ad ipsumque mentum coronae incidatur linea quae scotia dicitur.* ubi Sulpiciana habet *lima — scobina.* Suspicor in Scholiis Theonis ad Arati Diosem. versum 239. ubi γεῖσσα interpretatur τὰ λεγόμενα σκόμια, idem esse vocabulum forte aliam ad partem domus translatum, quod Glossarium Ducangii omisit. Ceterum veram puto Turnebi coniecturam τράχηλον in Vitruvio scribendum esse, a quo vocabulo hypotrachelion in Vitruvio saepiuscule occurrit deductum. Eodem ducit Sulpicianae *trochilion*, in quo forte *trachelion* latet.

Digitized by Google

3.

altitudo uti Atticurgis, ita et eius — Guelf. Wrat. *altitudo ita uti.* Deinde *Atticurges* Sulpic. Wrat. Postea *ita ut eius* Sulp. Guelf. Wrat. Fran.

quod erit tertia pars — columnae — Sulpic. *quod ei tertia pars* omisso *columnae* vocabulo. Guelf. Wrat. *quod erit ei t. p.* Fran. *quod ei tertia pars.* Postea pro *torus* Wrat. *chorus* dat.

cum suis astragalis et supercilio — Wrat. *supercilia.* Philander interpretatur superiorem scotiae vel trochili quadram vel regulam, ut est supercilium antepagmentorum libri 4 cap. 6. Perraltus corrigebat *suo astragalo et superciliis.* Sed Galiani interpretatur *astragalos* h. l. taeniam et astragalum, *Listello e Tondino.* Argumento sunt ei sequentia verba: *astragali faciendi sunt octavae partis trochili.*

sexta decima — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. addunt *pars.*

4.

uti dictum de earum contractura — Sulpicianae, Franeck. Guelf. Wratisl. scripturam *uti dicant se — contracturam*, correxit ex parte Iocundus *contractura* edens, reliqua expolivit Philander.

figurae compositionis — Has duas voculas, ut sententiam interpellantes inepte, suspectas habuit *Meister* l. c. p. 186 tolerat tamen. Idem verba sequentia sic ordinari iubet: *iusta ratione exactae, scapis columnarum statutis. Capitulorum ratio. Si pulvinata erunt* et cet. Quem secutus sum. Vulgo enim ita leguntur: *Scapis columnarum statutis, capitulorum ratio, si pulvinata erunt* et cet.

contracturae iusta ratione — Sulpic. Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. habent *contractura eius tali ratione.* Correctio facilis et vera debetur Iocundo.

Digitized by Google

5.

crassus imus — Sulpic. *crassissimus*, Franeck. *crassimus*. Deinde *nona decima* Guelf. *nomina decima* Wrat.

crassitudinem cum volutis — Franeck. a secunda manu copulam *et* anteponit, quam Sulpiciana ante *dimidiam* inserit.

interiorem partem — Sulpic. *partem* omittit. Deinde *partem duodevigesimam* — *dimidiam* dat. Wratisl. *duodevicesima*, Guelf. *duodevicensima*. Perraltus *duodecima* scribi voluit, quod exemplum doctrinae Vitruvianae non extet in monumentis antiquis, et quoniam ipse Vitruvius paulo antea *octava decima* non *duodevigesima* dixerit. Contra eum disputavit Galiani.

et secundum abacum — Sulpiciana ante haec verba inserit haec: *cum crassitudo dividenda est in partes novem et dimidiam*. Wrat. eadem habet, sed ab initio *tunc*, et Capitulum exinde XI exorditur. Sed ea sunt ex sequentibus retracta ab errante librario, qui suo loco ea omisit.

demittendae — catheti — Sulpic. Guelf. Wrat. *dimittendae*. Deinde *cathetoe* Guelf. *catheto* Sulpic. *chateti* Wrat.

abaci crassitudo — Ita Sulpic. Guelf. Wrat. Vulgatur *crassitudini*. Deinde ex iisdem libris vulgatum *et ex reliquis octo volutae* correxi. Cum tribus libris faciunt etiam Vatic. 1. et Fran. nisi quod hic *reliquis* habet scriptum. Totum hunc locum male immutavit Iocundus.

6.

in interiorem partem — Sulpic. *exteriorem* nominat sola male; deinde *alia* omittit cum Wratisl. Postea *unius dimidiatae* maluit cum Goldmanno Perraltus scribi, contra quos disputat Galiani.

quatuor partes — Sulpiciana sola additum habet *alibi*.

signetur, ducaturque — Sulpic. *signatur quia*. Fran. Guelf. Wrat. *signeturque eo centro*.

ea erit oculi magnitudo — Scripturam Sulpic. Wratisl. et

Digitized by Google

Edd. omnium *magnitudine* correxit Galiani. Deinde *cathecton* Fran. Guelf. Wrat. *catheton* Sulpic. Postea *diametro* eadem dat.

tetrantorum actionibus — Turnebus Adversar. XI, 2 e veteribus libris posuit scripturam *tetrantum anconibus*.

donicum — Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *denique*. Deinde *abacon* Fran. *conveniat* postea Vatic. 2. Genelli Fasciculi II p. 31 *super oculo* scribendum censuit, unde existere ait veram volutae describendae rationem, quam solus Goldmannus assecutus fuerit.

7.

astragalum summi scapi — Est quem Graeci σκόνδυλον dicunt, ut docebitur infra ad libri IV. cap. 1.

cymatio adempto — Wrat. *cunatio adeptacio a canali*. Philandri coniecturam *addito* recepit Laet et probat in Addendis Rode. Franeckeranus liber *adepto* dat. Statim *tunatii* pro *cymatii* dat Wratisl.

baltei ab abaco — Praepositionem *ab* omittit Sulpic. Wrat. Deinde *circum* Wrat. pro *circini*.

tetrante — diducatur — Wrat. *centrantem*. Deinde *deducatur* Sulp. Wrat. Centrum unum et alterum circini pedem acutum significat. Tetrantem capituli cum tota ratione explicare conatur Genelli Fasc. II p. 35.

uti altitudinis habeant latitudinis — Sulpic. Franeck. Guelf. Wratisl. omittunt *uti*. Deinde verba *habeant latitudinis* Sulpic. cum Wratisl.

quae columnae futurae sunt — Dura oratio, quam molliebat Perraltus scribendo *quum columnae*.

ad pedes XV — Sulpic. Vatic. Franeck. Guelf. Wrat. *XXV* habent. Deesse ante haec verba numerum *ab minimo XII pedum* monui ad Capitis III sect. 12. Ciseranus scripturam librorum quorundam *ab imo ad pedes XV* probavit et reddidit, memorata tamen scriptura *ab minimo ad pedes XXV*. Deinde *reliqua* Sulp. Guelf. Wrat. Philander *reliquae* malebat, quod dedi pro vulgato *reliquas*, probante etiam Perralto.

Digitized by Google

contractum, eo ne minus — Guelf. Wrat. omittunt *eo.* Deinde *ve minus* Wrat. *Meister* in Comment. Novis Goett. Vol. VI p. 151 corrigebat *contracturam*, quo vocabulo alibi usus est Vitruvius.

altitudine ratae — Sulpic. *altitudinem suae.* Etiam Fianeck. Vatic. Wrat. et Guelf. *suae* habent, sed postremus liber supra scriptum. A prima enim manu fuit *re* scriptum.

8.

[*Symmetria epistyliorum*] — Haec verba Meister recte censuit e margine in textum irrepsisse. Reliquam loci crisin et interpretationem posui supra in Disputatione de scamillis adiuncta interpretationi capitis 4 sect. 5 unde lectores repetent.

epistyliorum ratio — Hinc Wrat. exorditur Capitulum XII. sed habet *Epistylorum* scriptum. Fran. a prima manu *epistylia.*

ut — minimo — Guelf. Wrat. *uti*, et deinceps cum Sulpic. *minima.* Postea Wratisl. male habet scriptum *dimidia crassitudinis unae.*

dimetiatur — Guelf. Sulp. *demetiatur.* Pro *tredecim* Wrat. dat *VII.*

Item rata parte — Vulgatum *Item secundum ratam partem* correxi ex Sulp. Fran. Guelf. Wrat. qui libri *secundum* omittunt, solus Fran. *rata parte* dedit. Ceterum sententiam imperfectam, librariorum ut puto culpa, supplebis ita: *item si quae altiores fuerit, rata parte* et cet. Sic supra Cap. 3 sect. 12 est: *Item si quae altiores erunt, eadem ratione pro rata constituantur contracturae.*

9.

Quo altius enim scandit oculi species — Ita Guelf. Wrat. Franeck. *Quo altius scandit oculi speties* Sulp. Vulgatum *Quo enim altius oculi scandit acies* ex Franeck. corrigi iussit Wesseling. Sic supra Cap. III sect. 13 de eadem re est: *Hae autem propter altitudinis intervallum scandentis oculi speciem adii-*

Digitized by Google

ciuntur crassitudinibus temperaturae. Infra 5, 9 *perlimat speciem* similiter est.

dilapsa — Wratisl. *delapso itaque altitudinis et viribus* omisso *spatio.* Deinceps *extructa* Sulp. Vatic. *exstructa* Guelf. *exstructae* Fran. *exstructam* Wrat. Mihi *extrusa* magis sententiae convenire quam *extrita* videbatur. Ciseranus in libris *extricta*, *extrita* et *extructa* esse testatur. Postea Wrat. *sensibus renuntiat.*

adiiciendum est — . Guelf. Wrat. *adiciendum.* Fran. deinceps *rationi.* Postea *sublementum* Guelf. Postea malim *symmetriis membrorum.*

cum fuerint — Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. omittunt, quod anteposuit Iocundus *ut*, sed deinceps Sulp. cum Guelf. dat: *ut aut altioribus locis.* unde efficiendum erat, quod dedi pro vulgato: *fuerint in altioribus locis.* Additum in Sulp. et Guelf. *ut* varietatem scripturae continet.

aut etiam ipsa colossicoteram habeant — Iocundus dedit *colossicotera certam habeant*, nullo post *colossicotera* posito distinctionis signo, quod exemplum imitata est Rodiana. Incisum posuit Philander, eumque imitati Laet et Galiani. Omnes tamen ducem errantem secuti a scriptura vera librorum aberrarunt. Sulp. habet *vel et ipsi colosi cetera habeant.* Fran. Guelf. Wrat. *aut etiam ipsa colosi cetera habeant.* unde veram Vitruvio lectionem restitui. Deinceps *magnitudinem rationum* Wrat. *magnitudinem* etiam Fran. a secunda manu habet. Philander annotavit Hermolaum in Vitruvio scribi maluisse: *aut etiam hypocolossicotera.*

in imo quae — Guelf. *in* omittit, idem cum Wratisl. *quod* habet. Deinde dura est Vitruvii oratio in verbis *summum quantum imus scapus*, pro eo quod expectabamus: *summa* (latitudo) vel *in summo*, *quanta imi scapi crassitudo.*

10.

Cymatium epistylii — Guelf. Wratisl. *epistylium.* Deinde *suae latitudinis* Sulp. Sequens *est* omittit Wrat.

Digitized by Google

earum trium prima — Sulp. omisit *prima*, Guelf. Wratisl. *iam* eius loco habent.

quarta parte minorem — Sulpic. *parte* omisit. Vulgatum deinde *minus* Rode in Addendis mutatum voluit in *minor*, scilicet ut conveniret sequenti *altior*, quod ille voluit substitui vulgato *altiorem*. Et Galiani quidem *altior* dedit, nescio unde, nec admonuit lectorem. In Laeti Editione verba *sin autem sigilla — altiorem quam epistylium* errore operarum exciderunt. Equidem *minorem* dedi, quod responderet sequenti *altiorem*, ut intelligatur *faciendum*.

uti — habeant scalpturae — Wrat. *utem auct.* — *sculpturae*. Sulp. *habeat*. Postea *partes septimae* Sulp.

proiectura cymatii — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *proiecturae*. Sulp. Vatic. Wrat. *cymatium*. Deinde *quam crassitudo* omisso *eius* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

11.

media fascia — Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. *fastigia* dant. Pro *Intersectio* est in Guelf. a secunda manu *Item sectio* correctum.

μετόκη — Vulgabatur *μετοχή*. Sulp. *methoca*. Wrat. *methoce*. Cotton. *metoce*. Codices Laeto offerebant *metope* et *metatome*. Sed Baldus vitio vulgatae scripturae animadverso recte *μετόκη* scribi iussit, comparans libri 4 cap. 3 ubi est: *utraque enim et inter denticulos et inter triglyphos quae sunt intervalla, metopae nominantur. — ita quod est inter duas opas* (id est cava tignorum) *est intertignium, id metopa est apud eos nominatum.*

cavus — intersectionis — Codex Turnebi Advers. XI, 2 offerebat *camus*. Deinde Fran. *intersectiones*. Postea *et tribus duas* Guelf.

duas partes; huius — Vulgatum *duas latitudinis partes habeat, huius* correxi e Sulp. Guelf. Wrat. Carere possumus Iocundi supplemento.

altitudinis eius — Fran. *altitudine*.

Digitized by Google

simam — Wrat. *summam.* Deinde *cum denticulo fascienda est* dat, ubi verbum *est* omisit Sulp.

altitudo a zophoro — Fran. *altitudo* omisit. Wrat. *zophorus* dat. Deinde pro *ecphorae* Wrat. *ethophorae venustiorem habeant* dat. Ciseranus in uno libro *ecphorae*, in multis *exphorae* et *esphorae* sc:iptum reperit.

altitudinis — Vatic. 1. *altitudine.* Vatic. 2. *altitudines.* Deinde *habent* Sulpic.

12.

Tympani — Hinc Wrat. Capitulum XIII exorditur, et sequens *et* omittit. De tympano dicetur accuratius infra ad libri 4 cap. 7 de ratione Tuscanica.

uti frons — Ita Fran. Guelf. Wrat. Vulgatur *ut.* Deinde *demetiatur* Wrat.

epistylia — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *epistylii.* Deinde *epitrachelia* Sulp. Postea *respondeat* dedi cum Philandro, Laeto et Galiano; vetus *respondeant* repetiit Rodiana ex Iocundi Editione expressa. Ceterum tympani altitudinem pressiorem sibi visam Philander emendare conatus est. Sed eandem mensuram esse in arcu ab Augusto facto, monet et picturam apponit Fabretti de Aquaed. p. 45 qui duos alios arcus, alterum Romanum alterum Ariminensem, descripsit p. 41 et 43 qui tympanum multo altius sed angustius etiam habent, cum hoc vitio, ut Romanus corona incumbat epistylio, nullo zophoro intermedio, Ariminensis autem denticulos habeat sub mutulis non solum in corona sed etiam in fastigio, ubi coronam puram esse vult Vitruvius 4 c. 2. Ariminensis arcus tympani altitudinem habet ex quarta parte longitudinis coronae.

[*tympanum sunt*] — Verba uncis seclusa interseruit Iocundus, omittunt Sulp. Guelf. Wrat.

simae quas Graeci — Sulp. *symae.* Hesychius: *Σίμαι τῆς κιθάρας τὰ ἄκρα, καὶ ἐν ταῖς ὀροφαῖς θέσεις τινές.* Noster infra s. 14 *in simis, quae supra coronam in lateribus sunt aedium.*

Digitized by Google

ἐπωτίδας — Sulp. *epithidas*, unde Iocundus *ἐπιτιθίδας* effecit, quae hucusque regnarunt in Editionibus Vitruvii, quamvis Turnebus Advers. XI, 2 *ἐπιτιτθίδας* scribi maluerit. Neuter significationem aperire potuit. Guelf. Wrat. *epitidas*. Fran. et Cotton. *epytidas*, unde veram scripturam eruit Is. Vossius probante Bondam p. 49 et comparante navium *ἐπωτίδας* apud Thucydidem 7, 34 et 62 cum Scholiis. *ἐπωτίδων παχύτητας* in navium Corinthiarum fabrica dum interpretantur Scholia, *ἐπωτίδας* explicant per *τὰ ἐπατέρωθεν πρώρας ἐξέχοντα ξύλα*. Plura discimus ex ipso Thucydide, qui cap. 36 ait: *καὶ τὰς ἐπωτίδας ἐπέθεσαν ταῖς πρώραις παχείας καὶ ἀντηρίδας ἀπ' αὐτῶν ὑπέτειναν πρὸς τοὺς τοίχους, ὡς ἐπὶ ἓξ πήχεις ἐντός τε καὶ ἔξωθεν.* Impositae igitur aut appositae potius erant intus et extra circa proram epotides. Suidas posuit Anonymi locum hunc: *ἐκ φορτίδων πολεμιστηρίας τὰς νέας κατεσκεύασε, ταῖς ἐπωτίσι καὶ στερίφαις ἀποφήνας εὐρώστους.* In Theophrasti histor. pl. 5, 8 Gaza auriculas vertit. In posteriore navis parte nominat Euripides Iphig. Tauricae versu 1350 *ἐπωτίδων ἀγκύρας ἐξανῆκτον;* atque ita Patricius Basilius in opere de construendis navibus p. 140 gubernacula incumbere *ἐπωτίσι* tradit. In Archimeli Epigrammate de nave ab Hierone constructa apud Athenaeum 5 p. 199 est: *μανύει στιβαρᾶς κατ' ἐπωμίδος ἀρτιχάραντον γράμμα, τίς ἐκ χέρσου τάνδ' ἐπύλισσε τρόκιν.* ubi Casaubonus *ἐπωτίδος* scriptum malebat, et nuperus Editor comparabat ex versione graeca Ezechielis cap. 41, 2 *πυλῶνος ἐπωμίδες*, quas *portae latera* interpretatur. Rostra vel *ἔμβολα* in his partibus *κατὰ τὰς ἐπωτίδας* habebat infixa navis descripta in Athenaei 5 p. 204 ubi auriculas vertunt.

Acroteria — *Ἀκρωτήρια* graece sunt summae vel extremae partes. Pro aplustri navis posuit Herodotus 8, 121. In aedificiis acroteria Hesychius interpretatur *τὰ ἐπάνω τῶν ναῶν ᾠώδια ἀνατιθέμενα. Δωριεῖς.* Doriensibus igitur adscribere videtur signa in fastigiis aedium collocata. Sed haec fuit sequior vocabuli notio. Prior fuit fastigii ipsius, id est fastigati tecti templorum; de quo est egregius Ciceronis locus de Oratore 3, 46 *Capitolii fasti-*

Digitized by Google

gium illud et ceterarum aedium non venustas sed necessitas ipsa fabricata est: nam cum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est: ut, etiamsi in coelo statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum esse videretur. Hinc illud eiusdem Philippicae 2, 43 de Iulio Caesare: *Quem is maiorem honorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem?* Suetonius Caesaris 81 fastigium domus idem nominat. Plutarchus in Caesare cap. 63 de hoc fastigio ita: ἦν γὰρ τῇ Καίσαρος οἰκίᾳ προσκείμενον οἷον ἐπὶ πόσμῳ καὶ σεμνότητι, τῆς βουλῆς ψηφισαμένης, ἀπρωτήριον. Video viros doctos passim laudare Salmasium ad Scriptores hist. aug. p. 156 sed is Vitruvii acroteria cum signis in fastigio collocatis permutavit. Acroteria Vitruvii Baldus cum Barbaro et Philandro interpretatur arulas vel stylobatas in summis fastigiis collocata, quae sigilla et statuas sustinerent. Rectius Perraltus in annotatione p. 102. *Dans les Edifices les Acrotères sont particulièrement des Piedestaux qui étoient mis au milieu et aux cotés des frontons pour soutenir des statues, ainsi qu'il se voit aux figures des Planches IX. X. XI. XII. XIII et XIV.*

Plinius fastigia templorum promiscue de signis et de tectis fastigatis usurpavit. Sic *fictilia deorum fastigia* 36 sect. 2 sunt signa fictilia: item 35 s. 43. *Dibutadis inventum est rubricam* (cretae) *addere aut ex rubra creta fingere. Primusque personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quae inter initia prostypa vocavit; postea idem ectypa fecit. Hinc et fastigia templorum orta.* sect. 45 *fictiles in fastigio templi Iovis Capitolini quadrigae.* sect. 46 *fastigia quidem templorum etiam in urbe crebra et municipiis, mira caelatura et arte aevique firmitate sanctiora auro.* Plura eius loca addere non est opus. Hinc signa quaecunque in summo corpore vel fabrica aliqua collocata essent ἀπρωτήρια dicta fuerunt. Callixenus Athenaei 5 p. 199 πυλικεῖα ἀργυρᾶ δωδεκαπήχη — εἶχεν ἄνω τε ἀπρωτήρια καὶ ἐν ταῖς γάστραις πύπλῳ καὶ ἐπὶ τῶν ποδῶν ζῶα τριημιπήχη καὶ πηχυαῖα

Digitized by Google

πλήθει πολλά. quae verba nuperrima etiam Editio male dispuncta posuit.

Romani signa fictilia in fastigiis aedium posita *antefixa* vocarunt. Festus: *Antefixa quae ex opere figlino tectis adfiguntur sub stillicidio.* ad quem locum Scaliger apposuit duo Livii loca; primum quidem ex 34 cap. 4. ubi Cato: *Iam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia deorum romanorum ridentes.* Alterum ex libro 26 cap. 23. *In aede Concordiae Victoria, quae in culmine erat, fulmine icta decussaque ad Victorias, quae inante fixae erant, haesit, neque inde procidit.*

13.

zophori — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *zophora.* Deinde *corona* Sulpic. Vatic. Guelf. Wrat. Postea *et tympana* Sulpic. Guelf. Wrat.

frontis suae — Sulp. *suae* omisit, ut Wrat. sequens *cum.*

procedit — Sulpic. Guelf. *procedet*, sed in Guelf. vulgata suprascripta est. Deinde *inclinata fuerit* Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. Ceterum Rodianam versionem huius loci tanquam falsam, rerum naturae et ipsius Vitruvii doctrinae contrariam taxat Genelli Fasciculi II p. 40 qui monet turrem summam non resupinatam videri, sed potius inclinatam in anteriorem partem. Itaque plane contrariam rationem in vertendo hoc loco sequitur, quae tamen nullo modo cum verborum proprietate conciliari potest, nisi legas: *acroteria resupinanda — inclinatam facit eius speciem — in fronte resupinata fuerint.* Verum error est non versionis Rodianae, sed ipsius Vitruvii, de quo iam olim admonuit Perraltus, qui locum eadem plane ratione qua Rode convertit, item Galiani ceterique Interpretes.

14.

striges — Sulpic. Guelf. Fran. Vatic. Wrat. *striae.* Iterum paulo post *striae* pro *strigis* vulgato dant Sulpic. Fran. Guelf.

Digitized by Google

Wrat. Quid Iocundum moverit, ut *strias* damnaret et *striges* inferret, equidem ignoro. Festus, *strigae*, inquit, *appellabantur ordines rerum inter se continuate collocatarum a stringendo dictae.* Columella 2, 18, 2 *in strigam coartare foenum.* ubi Edd. primae cum Codd. optimis *strigam*, recentiores *striam* et *struem* dant. Varro R. R. 1, 29, 3 *qua aratrum vomere lacunam striam facit, sulcus vocatur.* ubi Nonius *istriam* dat, ut infra libri 4 c. 1 *istrias* dant Fran. et Vaticani libri. De strige, striga et stria disputat Rutgersius V. Lect. p. 50 et 229. Philander striatarum columnarum ipsum caput strigem, partem vero eminulam seu protuberantem striam interpretatur. Sed de vocabulo strigis accuratius dicetur infra ad 4 cap. 4. Interim h. l. veterem scripturam restitui.

circumacta anconibus — Intempestive intersertum a Iocundo *ita* omisi cum Sulp. Fran. Guelf. Wrat.

striarum — Guelf. cum Fran. *striae* dat. Sequens vulgo *angulos* ante *tangat* a Iocundo inepte insertum sustuli cum Sulpic. Franeck. Guelf. Wratisl. *dextra ac sinistra* intellige neutro genere dicta.

acumenque — Vulgatum *ut acumen* ex Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. correxi, sed in Guelf. Wrat. est *acumen quae.* Postea *tangenda* dat Wrat. Semicirculares strias intelligi monet Galiani, quia semicirculi angulus fit rectus ut in norma secundum Euclidem libri 3 Propos. 31.

15.

sculpenda — Fran. Vatic. Guelf. *scalpenda.* Deinde statim *disposita* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Capita leonina praefigebant canalibus aquam pluvialem deducentibus. Horapollo Hieroglyphicorum I, 21 *ὅθεν καὶ τὰς χολίρας καὶ τοὺς εἰσαγωγεῖς τῶν ἱερῶν πρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάται.* Nam *χολίρα* interprete Hesychio est *σωλήν, δι' οὗ τὸ ὕδωρ φέρεται ἀπ κεράμων ἐξαποντιζόμενον,* id est, canalis, qui eiaculatur aquam ex tegulis collectam. In Horapolline

Digitized by Google

vulgatam lectionem *χολίδρας* recte iam olim Keuchenius ad Frontinum de Aquaed. correxit. Consentit cum Horapolline Plutarchus Sympos. Quaest. 4 Q. 5 de Aegyptiis: *πρῆναι δὲ κατὰ χασμάτων λεοντείων ἑξιᾶσι προννοάς:* et causam addit. Idem de Iside cap. 38 de iisdem: *καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσι* eadem addita causa.

singulas primum — Ineptissime Iocundus *ea* interseruit, quod non est in Sulp. Fran. Guelf. Wrat. sed idem statim intempestive *vero* inseruit post *cetera*, quod in iisdem libris non est. Galiani non *ea* reddidit, sed *alcune* posuit; rectius Rode: *daſs erstlich je Einer über jeder Säule zu stehen komme.*

tegulis — De tegularum, imbricum vel ambricum, colliciarium et deliciarium tegularum differentia dicetur infra ad libri 6 cap. 3 de cavis aedium.

perterebrata — Guelf. a prima manu *perterebratae* scriptum habet. Deinceps *ita sint* Sulp. Postea *deiciatur* Guelf. Wrat. Denique *perfundant* Vatic. et a prima manu Franeck. Ita scriptum verbum extare in Edd. quibusdam, argumento est annotatio Philandri, qui aut *perfundat* aut *perfundantur* scribendum censuit.

aptissime — Vatic. Guelf. Wrat. *apertissime.* Deinde *scripsi* Guelf. Postea *Dorica autem Corinthiarum* Wrat. *Chorinthiarum* Fran. Guelf.

AD LIBRI IV. PRAEFATIONEM.

sed incepta — Wratisl. *inpercepta*, in quo *imperfecta* latere videtur. Deinde *errabundos* Sulpic. Guelf. *relinquisse* Guelf.

praescriptas — Vide annotata ad Libri I Praefat. sect. 3.

Itaque, Caesar — Wratisl. omittit nomen Caesaris.

tertio autem — Wratisl. *tertium.* Idem post *quod* pro *quot* dat hic ut alibi.

Digitized by Google

quae sint in singulis — Sulpiciana *sunt* dat, verbum Wrat. omittit.

2.

Ex tribus generibus quae — Nova erat periodus inchoanda et restituenda vetus haec lectio Sulpicianae, Guelf. Wratisl. pro vulgata: *ex tribusque generibus quae subtilissimas haberent proportionibus modulorum qualitates Ionici generis mores docui.* Primum enim *que* adiectum *tribus* omittit Sulpic. Guelf. Wrat. hic postremus etiam *ex* negligit. Ad verba *quae haberent* intellige distributiones. Nam tertio libro unius tantum generis Ionici rationes explicuit.

qualitates — Sulpiciana, Guelf. Wrat. Franeck. Vatic. et Laeti liber dant *quantitates.*

moribus — Ita Sulpiciana, Guelf. Wratisl. Vatic. pro *mores* dant. *Ionicum genus* hic dicitur gens Ionica; aliter si interpreteris, inepte tautologum facis Vitruvium.

institutis et moribus — Sulpic. Guelf. Wratisl. Fran. *constitutis* habent; sequens *moribus* pro vulgato *omnibus* debetur Gronovio apud Laetum.

eorumque — Franeck. liber *que* omisit.

AD CAPUT I.

et graciliores — Sulpiciana *gracilioresque* dat.

tertia pars est — Plinius 36 cap. 33 *quoniam capitulis Corinthiarum eadem est altitudo quae colligitur crassitudine ima, ideoque graciliores videntur: Ionici enim capituli altitudo tertia pars est crassitudinis.*

Corinthii — Sulpic. Guelf. Wratisl. Vatic. *Corinthiae.*

Corinthiarum adiiciuntur — Vulgatam *columnarum capitulis Corinthiorum* ita correxi ex Sulp. Fran. Guelf. Wrat. ut genus tantum in *Corinthiorum* mutarem. *adiciuntur* Guelf. Wrat.

Digitized by Google

2.

non habuerat — Ex Sulpic. Guelf. Wrat. Franeck. restitui in locum vulgati *habuerit.*

e triglyphorum — et in epistyliis — Sulpic. Guelf. *e* omittunt, *in* Sulpic. Wrat. *mutili* ex errore operariorum nati sunt et restituendi *mutuli.*

zophori — Sulpiciana, Guelf. Wrat. Franeck. dant *zophoroe*, ut infra videbimus *monopteroe* et *peripteroe* ex graeco ζωφόροι, μονόπτεροι, περίπτεροι formata.

3.

Hellenis et Opticos — Sulpiciana dat *Hellenidos et Optichos.* Guelf. Wratisl. Vossianus *Hellenidos et Expetidos.* Toletanus apud Schottum in Observ. Human. *Helenidos et Spectidos*, alter vero *Exoptidos*, unde Schottus, praeeunte Apollodoro, efficiebat: *Hellenos et Orseidos.* Franeckeranus habet *Helenidos et exptidis.* Wratisl. *Helendos et expelidos.* Vaticani *Hellenidos et Exceptidos.*

Iunonis templo — Galiani emendatio est pro vulgato librorum omnium *templum.*

fortuito — fanum — Liber Fran. hic, ut alibi, *fortuitu* dat; deinde *phanum* Sulpiciana.

isdem generibus — Voluit Editor dare *iisdem.* Guelf. *hisdem* suprascripta litera *i*, Wrat. *isdem* dat.

etiamnum non — nota — Sulpiciana cum Franeckerano dat *etiam nondum.* Sed Franeck. solus *nota* habet, quod ut Galiani olim probavit, Philandro tribuens eam scripturam, ita praefert etiam Bondam. Reliqui libri editi et scripti *nata* dant.

4.

Postea autem quam — Aut Vitruvius ordine et structura verborum excidit, aut *quam* delendum est.

Delphici — Wratisl. *Delphicis.*

Digitized by Google

ducesque singulis — Recte praepositionem *in* vulgo interpositam omittunt Guelf. Wrat.

imperii potestatem — Restituenda erat lectio Sulpicianae, Guelf. Wratisl. Vatic. Franeck. et Vossiani, teste etiam Oudendorpio ad Suetonium p. 640 pro vulgato *partem.*

Ioni — *Creusae* — Sulpic. *Ionis* — *Ethruso.* Wrat. *Ionas.* Idem cum Guelf. *Creuso.*

isque eas colonias — Wratisl. *yaque eas col.* in quo *itaque* latere videtur.

Miletum — Sulpiciana *Mileton.* Deinde *Mianta* Guelf. *Mionta* Wratisl. *Myanta* Vatic. Franeck.

Milesiis Iones — Guelf. *Milesius.* Deinde *Theon* Sulpic. Wratisl.

Phocaeam — Sulpic. Franeck. Wratisl. *Phoceam.* Deinde *Clazomenium* Sulp. *Clazomenum* Vatic. Guelf. *Glazomenum* Fran. *Glasomenum* Wratisl.

Lebedum — Franeck. Vatic. *Lebedon*, Wratisl. *glebedem*, Guelf. *Glebede*, suprascripto *don* a manu secunda.

Meliten — Sulpic. *Meleten*, hic et paulo postea: *melethenis* Wratisl. *Meletenis* Guelf. *Melitenis* Fran. *Melethinis* Vatic.

indicto — Sulpic. *inclito* dat. Deinde *Attili* Fran. *Attalibus* Sulpiciana. De Smyrna ad conventum Panionium admissa plane diversa tradunt Strabo aliique; sed Vitruvius alios auctores secutus esse videtur. Smyrnae historiam tradam aliquando accuratius in Antiquitatibus Colophoniacis, quas Nicandro meo addere cogitabam.

5.

Apollini Panionio — Sulp. *Apollini Pandioni.* Guelf. Wrat. Fran. *Apollini Pandionio*, Vatic. *Ap. Pantionio.* Quia Apollinem Panionium ignorabat, Neptunum vero Heliconium, ex Helice Achaica translatum in Ioniam et in Panionio cultum testatur Herodotus I, 133. 138 cum viris doctis quibusdam *Neptunum* Apollini substituit Rode. Sed Apollinem memorat Hesy-

Digitized by Google

chius: *Πανιώνιον ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἐν Ἰωνίᾳ.* et Inscriptionem Pocockianam p. 52 protulit Wesseling. ad Herodotum I, 147. ubi *Ἀπόλλων Πανιώνιος* nominatur.

Dorieon — Sulpic. Guelf. Wrat. *Doricon*, Vatic. Franeck. *Dorichon.*

viderunt — Sulp. *viderint:* equidem *viderant* malim scriptum.

6.

symmetrias earum — Wrat. dat *symmetriam*, deinde *efficere potuissent*, *uti ad onus.*

dimensi sunt — Wratisl. *et dimensi sunt.* Sequentia pluribus modis Iocundus corrupit. Sulpiciana dat *et id in altitudine retulerunt in homine.* Guelf. Wratisl. Franeck. *et id retulerunt in altitudinem in homine.* Deinde *item in columnam* Sulpic. Wrat. Franeck. Vatic. 2. Unde reiecta Iocundi interpolatione scribendum erat id quod dedi. Est vero *retulerunt in altit.* compararunt cum altitudine hominis.

tantam sexies — Sulpiciana habet *tantam sex.* Guelf. Wrat. *tantas sex.* unde effeci: *tantam sexies. tantam* enim refertur ad *qua*, id est quanta, *crassitudine.* Vulgabatur *tantam eam sexies.*

7.

aedem quaerentes n. g., speciem iisdem — Haec est pessima omnium distinctio. In Philandrea reperio: *aedem, quaerentes n. g. speciem, iisdem.* Galiani cum aliis habet: *aedem quaerentes, n. g. speciem, iisdem vestigiis, ad.* quae verborum distinctio proxime a nostra abest, sed aliter verba vertit Galiani: *presero sulle stesse tracce le delicate proporzioni della donna, per formarne un aspetto diverso di un ordine nuovo.* Rodiana dedit *constituere aedem. Quaerentes novi generis speciem, iisdem* et cet.

ut haberet — Vitium ex Edd. vetustis translatum corrige ex Guelf. Wratisl. Franeck. pro vulgato *haberent.* Plinius 36. c. 23. *In Ephesiae Dianae aede primum columnis spirae subditae et*

Digitized by Google

capitula addita (hoc falsum) *placuitque altitudinis octava pars in crassitudine, et ut spirae haberent crassitudinis dimidiam, septimaeque partes detraherentur summarum crassitudini.*

supposuerunt — calceo — Sulp. *apposuerunt.* Wrat. *calcea.* Deinceps *voluptas* Wrat. Postea *circinos* Sulp.

encarpis — Cotton. *incarpis* suprascripto *en.* Philander interpretatus est *coronam pancarpiam*, de qua Festus: *Pancarpiae dicuntur coronae ex vario genere florum factae.* quem secutus Rode vertit *Fruchtschnur.* Tali pancarpia corona capitula Ionica ornavit Michael Angelus. Perraltus vertit *gousses*, quas interpretatur: *les petites gousses qui sont dans les faces des chapiteaux Ioniques, trois dans le coin de chaque volute et couchées sur les Oves qui sont taillés dans le quart de rond ou Echine.* Galiani *serti* vertens interpretatur: *quello suolazzo di viticci, foglie et simili cose, delle quali gli antichi riempevano ed ornavano il cavo osia canale della voluta.*

strias — Fran. cum Vatic. *istrias.* Deinceps *dimiserunt* Vatic. Fran. Wrat.

nudam specie — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *speciem.* Deinceps *subtilitatem* Wrat. Vocabulum omisit Fran.

mutuati — Ita Guelf. *mutuatum* Wrat. Sulp. *imitati*, quod retinuerunt reliquae Edd. usque ad Rodianam.

8.

elegantia — Omisit Fran. Deinde *subtilitate quae iudicionem* Wrat. Sequens *et* post *progressi* omisit Sulp.

modulis — Pro embatis proprie dictos interpretatur Perraltus *petits modules.* Galiani appositum *gracilioribus* non satis idoneum *modulis* censens, proportiones interpretari maluit.

Ionicae novem — Ita Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *octo semis* primus dedit Iocundus eumque secuti Editores reliqui. Cum libris scriptis facit Plinius 36 c. 23 *quae nonam partem altitudinis in crassitudine ima habent, Ionicae vocantur, quae septimam, Tuscanica.* Varietatem mensurae in Ionicis ex aedificiis

Digitized by Google

reliquis enarravit *Stieglitz*, *Archaeologie der Baukunst* T. I. p. 155. De Tuscanica infra IV, 7.

Id autem genus — nominatum — Totum hunc locum omisit Wratisl. In Sulp. Fran. Guelf. deest vocabulum *genus* et Iocundus dedit *Id autem quod Iones fecerunt, primo.*

Corinthium — Sulp. *Corinthi.* Sequens *propter* Wrat. mutat in *quod.*

9.

implicita — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *implicata.* Franeck. *inplicata.*

ea virgo — Ita Vatic. Fran. Guelf. Vulgo *virgo* deest. Sulp. Wrat. omisso vocabulo *viva* dant *virgo.*

ioculis — Ex coniectura Salmasii dedi pro *poculis*, quanquam duram et inusitatam vocabuli formam fatear. Vide Salmasii Exercit. p. 791. Galiani *pocula* vertit *delle vivande*, quasi mortuis apponere in sepulcro cibos moris fuerit Graeci. Reliqui interpretes simpliciter vasa pro poculis posuerunt. Postea *chalato* Wrat.

in summo — Guelf. a prima manu *summa* habet scriptum. Deinde Guelf. *diu* suprascripta littera *o.* Postea *calatus* Sulp.

fortuito — Franeck. hic et paulo post *fortuitu* dat, teste Wesselingio Obs. p. 196. Deinde *achanti* Sulp. Wrat. Postea *follia* Wrat.

circa — Vatic. *circum.* Sequens *secundum* manus secunda in Fran. addidit.

ab angulis — Wrat. *ab* omittit. *extremas volutarum partes* Galiani interpretatur: *in quei canti, che sono ora in luogo delle volute.* Rode contra: *sich in Schneckenform zusammen zu wikkeln.* Ita etiam Perrault: *faire le contournement des volutes.* quem equidem sequor.

10.

elegantiam et — Wrat. *eligantiam et propter.* Deinde *κατάτεχνος* est scriptura constans librorum, nisi quod *cathatecnos* Sulp.

Digitized by Google

chatatecnos Wrat. In Plinio 34 c. 8 et Pausania Atticorum c. 26 *καυλόρυχνος* est: de qua diversitate disputavit Gallus *Clavier* in Ephemeride Millini, Magasin encyclopéd. An. 7 no. 21 p. 27 sqq.

ex eo quod in operum — Sulp. *ex eo quod in operis.* Vatic. Fran. Guelf. *ex eo in operis.* Wrat. *ex eo in operibus.* Vulgatam scripturam et distinctionem: *symmetriasque constituit, ex eoque in operum perfectionibus* et cet. mutavi partim ex librorum auctoritate scriptorum partim flagitante sententia. Vulgatum vertit Perraltus *établissant et réglant sur ce modele les proportions et la manière de l'ordre Corinthien.* Monet tamen in adiecta annotatione ex eo exemplari calathi, monumento sepulcrali impositi, nihil Callimachum profecisse ad symmetrias capituli Corinthii inveniendas. Galiani vertit: *nè stabilì le proporzioni e determinò le vere misure per un perfetto ordine Corintio.* Omisit igitur verba *ex eoque.* Contra Rode: *und von der Zeit an Ebenmafs und Verhältnifs zur Verfertigung von Gebäuden Corinthischer Gattung festsetzte und bestimmte.* Verbis vim fieri, quamcunque sequaris harum interpretationum, facile lector intelliget attentus. Sed si ad antiquam lectionem revertaris eamque commoda adiuves distinctione, facilis et vera existit sententia. Inventa columna Corinthia eiusque ornatu, symmetrias Callimachus invenit et constituit ex eo, quod rationes id est ratas partes generis Corinthii columnarum inter se comparatas iusta ratione in capitulum et reliquas partes distribuit.

11.

facienda — Guelf. *faciunda* suprascripta *e* litera. Plinius 36 c. 23. *Corinthiis eadem ratio quae Ionicis, sed differentia, quoniam capitulis Corinthiarum eadem est altitudo, quae colligitur crassitudine ima: ideoque graciliores videntur. Ionici enim capituli altitudo tertia pars est crassitudinis.*

tantae duae sint diagonici — Vulgatum *bis tanta sit diagonios* debetur Iocundo; nostrum dederunt Sulp. Franeck. Vatic.

Digitized by Google

Guelf. Wratisl. nisi quod *tanta duo sint diagonia* habent, *sunt* Wratisl.

iustas habebunt — Mihi sententia *iusta* spatia postulare videtur.

frontes simentur — Wrat. *frontes* omisit, deinceps *fimentur* dat. Vatic. 1. Guelf. Fran. *simentur*. Vulgo est *sinuentur*. Eadem est scripturae varietas capitis sequentis sect. 3. Postea *retrorsus* Wrat. Denique pro *nona* in Sulp. Fran. Guelf. Wratisl. est *non*.

Ad imum — habeant — Wrat. *Ad unum — habet*. Guelf. *habeat*.

apothesin — Wrat. cum Sulp. *apothesim*. Deinceps *et abaci astragalum* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Sed sequens *Abaci* omittunt Sulp. Guelf. Wrat. Is. Vossius etiam h. l. *apophysin* scribendum censuit, ut editum est *hypotrachelio cum apophygi* cap. 7. Sed ibi libri variant inter *apophysi*, *apophisi*, *apopisi*. Si verum est *apophysis*, dicitur ut ossis apophysis, ubi os desinit in partem prominentem tenuiorem. Contra *apothesis* potest comparari cum rhetorum ἀποθέσει in pronunciatione, cum vox in fine coli vel periodi remissa quiescit; igitur ἀναπαῦλαι καὶ ἀποθέσεις iungantur a Demetrio cap. 205. Ex capite 19 ἑδραίᾳ γάρ τινι καὶ ἀσφαλεῖ καταλήξει ἔοικεν αὐτῆς (τῆς περιόδου) ἡ ἀπόθεσις. et cap. 245 τῶν οὖν κώλων αἱ τοιαῦται ἀποθέσεις ἔχονται μάλιστα οὗ εἴρηκα ῥυθμοῦ. apparet esse fere idem quod ἀπόληξιν seu finem vel basin coli vel periodi, in qua vox desinens remittitur. Scriptura *apophygi* nihil habet, quocum comparari possit aut quo defendi. *Astragalum* dicit, quem supra 3, 4, 7 *summi scapi astragalum* dixit. Graece σκόνδυλον vocavit Callixenus Athenaei 5 p. 293 de columnis Aegyptiis: οἱ γὰρ αὐτόθι γεγονότες κίονες ἀνήγοντο στρογγύλοι διαλλάττοντες τοῖς σκονδύλοις, τοῦ μὲν μέλανος τοῦ δὲ λευκοῦ καράλληλα τιθεμένων· εἰσὶ δὲ αὐτῶν καὶ αἱ πεφαλαὶ τῷ σχήματι περιφερεῖς· ὧν ἡ μὲν ὅλη περιγραφὴ παρακλησία ῥόδοις ἐπὶ μικρὸν ἀνακεκλαμένοις ἐστίν· περὶ δὲ τὸν προσαγορευόμενον πάλαθον οὐχ ἕλικες, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἑλληνικῶν, καὶ φύλλα

Digitized by Google

τραχία περίεισιν, λωτῶν δὲ ποταμίων πάλυνες καὶ φοινίκων ἀντιβλάστων παρκὸς, ἔστι δὲ ὅτε καὶ πλειόνων ἄλλων ἀνθέων γέγλυπται γένη· τὸ δ' ὑπὸ τὴν ῥίζαν, ὃ δὴ τῷ συνάπτοντι πρὸς τὴν περαλὴν ἐπίκειται σπονδύλῳ, πιβωρίων ἄνθεσι καὶ φύλλοις ὡσανεὶ κατακεκλεγμένοις ὁμοίαν εἶχε τὴν διάθεσιν. Homerus dixit ἀστραγάλους vertebras spinae dorsi, quas posteriores Graeci σπονδύλους vocarunt, astragali nomine pedum talis servato. Hinc est quod Vitruvius *astragalum scapi summi* dixit, quoniam astragalus proprie est basis columnae. Hypotrachelio respondet in columna Corinthia *apophysis* vel *apothesis*. Denique *calathum* dixit Callixenus capituli Corinthii eam partem, quae calatho similiter ornatur floribus et fructibus insculptis. Volutas aut helices Attici artifices dixerunt πάλυκας, eodem vocabulo, quo genus purpurarum vel muricum designarunt. Hesychius: πάλυκας — μέρος περαλῆς κίονος. Hinc in Inscriptione Chandleri p. 38 lin. 90 τὰς πάλυκας τὰς ἐπὶ τοῖς ἐπιστυλίοις ἐξεργάσασθαι. De vocabulo πάλυξ dixi ad Oppiani Halieutica p. 387.

12.

ex quibus — imo — Guelf. *e quibus*. Sulp. *uno*. Deinde *foliatum mediatam* Wrat. Postea *coliculi* Guelf. Wrat. Denique *habeat* Wrat.

uti excipiant — Vocabulum *abacum* a Iocundo intersertum abest Sulp. Guelf. Wrat. Etiam sequentia mire variant libri scripti cum Sulp. Primum enim Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. dant *Quae ex caulicolis natae.* Guelf. Wrat. *coliculis.* Fran. *caulicis.* Deinde *percurrunt* Sulp. Primus Iocundus ausus est scribere *uti abacum excipiant, quae ex cauliculorum foliis natae.* Quo facto sequentium Interpretum varios errores elicuit, conantium structuram verborum laborantem variis modis fulcire. Philander in Argentoratensi anni 1550 dedit: *uti abacum excipiant quae: ex cauliculorum foliis natae procurrant.* quem Galiani imitari non est ausus. At Laetiana dedit: *abacum excipiant: quae ex cauliculorum foliis natae procurrant.* Philander tamen etiam pronomen *quae* deleri

Digitized by Google

voluit. Rodiana novam periodum a *Quae* exorditur. Verbum *excipiant* Perraltus interpretatur *soutenir*, simulque reprehendit Vitruvium, quod abacum a foliis sustineri dixerit, cum volutas potius sustineant et fulciant folia revoluta. Perraltum secutus est Galiani; contra Rode vertit: *den Stengeln, mit so weit hervorsprieſsenden Blättern, daſs sie bis an den Deckel hinaufreichen.* Eandem Rodii versionem verborum anteriorum Vitruvii taxavit Genelli Fasciculi II p. 45. 46. qui verba *Dempta abaci crassitudine* et cet. ita verti voluit: *Nach Abzug der Dicke der Platte theile man die übrige Höhe in drey Theile, und gebe einen davon dem untern Blatte; das zweyte Blatt nehme die halbe Höhe ein, und die Stiele sollen dieselbe Höhe bekommen.*

helices intra suum medium floribus, qui sunt in abaco, subiecti — Sulpiciana et Iocundi cum Fran. Guelf. Wrat. dederunt: *helices intra suum medium, qui sunt in abaco, floribus subiecti.* quae scriptura poterat tolerari, nisi *floribus* nimis longe a suo loco remotum vocabulum visum fuisset. Quare id in anteriorem reduxi locum. Contra Philander ausus est scribere: *minoresque helices floribus, qui intra medium frontium abaci sunt, subiecti.* quem secutus est Perraltus, Galiani, Laet, (qui tamen *inter medium* edidit) et Rode. Causam corrigendae vulgatae hanc sibi fuisse ait Philander, ut volutae maioresve helices sub angulis sint, minores vero vel helices sint subiecti floribus, qui in frontium abaci medio sunt collocati. At haec eadem sententia inest vulgatae, dummodo *intra suum medium* ad folia referas proiecta, quae in angulis volutas excipiunt. Sed error Philandri natus est ex temeraria Iocundi correctione, qui *abacum* interserait, atque ita situm et directionem foliorum turbavit. *Helices* Iocundus interpretatur minores volutas, dictas a capreolis vitium seu claviculis, quae Graece ἕλικες dicuntur.

quatuor partibus — Wrat. *quatuor partes*, qui deinceps a verbis *Sunt autem* exorditur Capitulum IV.

quae iisdem — Sulp. *hisdem.* Wrat. *eisdem*, deinde *nec proprietas.*

Digitized by Google

pulvinatis — Wrat. *pulvinaticis et Doraticis.* Guelf. *Doraeis.* Vitruvius *pulvinatas* columnas dicit Ionicas.

AD CAPUT II.

iisdem rationibus — Wrat. *eisdem.* Deinde *progenita* Barbarus. Sequens *in* ante *nominationibus* omisit Sulp.

ita in re varias habet utilitates — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *ita in res varias* dant. Videtur *nominationibus* opponere Vitruvius *rem; sed ut materiatio nominibus discrepat*, id est varias habet nominationes, *ita re varias habet utilitates*, id est in aedificiis materiatio ad varios adhibetur usus. Ita fere dicendum fuisse videtur. Quomodo enim *materiatio* dici potest *in nominationibus varias habere utilitates*? Ceterum *materiatio* Thucydidi graece ξύλωσις, reliquis scriptoribus ῥάψιμα ξύλα dicuntur, teste Polluce 7, 124.

parastaticas — Restitui scripturam Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. in locum vulgati *parastatas.*

et axes: sub tectis, — Vulgarem distinctionem *axes, sub tectis;* vel *axes, sub tectis,* mutavi cum Galiano.

columen in summo fastigio culminis, unde et columnae dicuntur — Haec omnia omisit Guelf. et Franeck. Contra Sulp. et Wrat. sic scripta habent: *columnae summa fastigia culminis, unde et columnae dicuntur.* nisi quod in Wrat. *colūm* scriptum extat. Quae scriptura supra posita est, eam Iocundus eumque secuti Editores dederunt: *culmen in summo fastigio columinis* et cet. solus Rode temere edidit. Genelli Fasciculi II p. 53 scriptum maluit: *in summo fastigio columinum, unde* et cet. quia in ampliore spatio duo columina adhiberi soleant. Is totius fastigii structuram picturis illustravit. Ciseranus corrigi voluit: *unde et columnae ducuntur*, interpretatus columnas *sustentaculi directi.* Ex *columen* contractum est *culmen*, quod de summis tectorum partibus dici solet. *A columine* obiter derivat columnam. Ita Varro R. R. 3, 7, 1. *genus columbae habetur in turribus ac colu-*

Digitized by Google

minibus villae, a quo appellatae columbae, quae propter timorem naturalem summa loca in tectis captant. Festus: *columnae dictae quod culmina sustineant.* Sic *culmina villarum alta* dixit Iuvenalis 14, 89 *delubri culmen* 13, 69 *tugurii pauperis culmen congestum cespite* Virgilius Eclog. I, 69 *delubri culmen* Aeneid. 2, 410 *villarum culmina* Eclog. I, 83 *hominum et deorum culmina* Aeneid. 4, 671 Cato 15, 1 *columen maceriae* vel, ut est in Edd. primis, *culmen* vocat. Sed in primis huc pertinet locus Ciceronis de Divinatione I, c. 12 ubi recitantur versus eius de magistratu suo: *ni post excelsum ad columen formata decore sancta Iovis species claros spectaret ad ortus. — Haec tardata diu species multumque morata Consule te tandem celsa est in sede locata, atque una fixi ac signati temporis hora Iupiter excelsa clarabat sceptra columna.* ubi *columna* vocatur, quae antea erat *species. Signum* dixit in Catilinaria 3, 8 *signum et simulacrum*, et *collocare in excelso*, quod in poemate est *ad columen excelsum*, quod pessime interpretatus est Hottinger. Denique in libro 2 de Divin. cap. 21. ubi *signum* Iovis nominaverat, statim subdit: *redemtor qui columnam illam conduxerat faciendam.* Dicta fuit igitur columna pro signo in columine seu culmine dedicato.

transtra — Inepte Wrat. *castra* habet. Infra 5, 1 *transtra cum capreolis* iterum nominat. *Transtra* sunt Festo *et tabulae navium et tigna, quae ex pariete in parietem porriguntur.* Ex graeco θράνος, θράνιστρον ductum et contractum est *transtrum:* proprie remigum sedile in navibus significat.

capreoli — Graece συγκύπται dicuntur. Caesar de B. G. 2, 10 *duae primum trabes in solo collocantur, inque eis columellae defiguntur: has inter se capreolis molli fastigio coniungunt.*

si commoda — Debet esse pro *modica* vel potius *iusta*, uti iam olim monuit Scaliger de re numaria p. 24 comparans *commoda millia* Lucilii, quibus nihil deest, Plautique *commodas minas viginti argenti*, denique *talentum commodum magnum.* Plura vide apud Scaligerum. Galiani vertit: *se lo spazio è minore.* Rode: *ist das Dach aber nur mäſsig.*

Digitized by Google

columen — Sulpic. *columelli.* Wrat. *columine.*

cantherii — Sunt quos Homerus Il. 23, 712 in tecto ἀμείβοντας, recentiores Graeci συστάτας, τοὺς τὸ σχῆμα τοῦ Λ στοιχείου ἀκοτελοῦντας vocarunt. Etymol. M. ἀντιστάτας vocat. Hinc συστάδες ἄμπελοι apud Aristotelem in Politicis sunt quae *vites canteriatae* scriptoribus rei rusticae latinis.

subgrundationem — Fran. Guelf. Wrat. *suggrundationem.*

2.

fabrili — Fran. *fabuli*, ut deinceps *fabulibus operibus.* Wrat. deinde *in lapidibus* habet scriptum, postea *sculpturis.* Denique *prosequendas* Vatic. 2.

inter tigna struxerunt — Vulgatum *intertignia* ex Sulpic. Guelf. Wrat. correxi. Spatium inter tigna vacuum structura impleverunt.

et perpendiculum — Wrat. interserit praepositionem *ad.* Sequens *praesecuerunt* in locum vulgati *persecuerunt* substitui ex Vaticanis Codd. quod item nescio quo auctore dedit Laetiana. Triglyphos Euripides in Oreste versu 1374 Δωρικὰς τριγλύφους nominat. Moschion Athenaei 5 p. 208 ἄτλαντες — τοὺς ὄγκους ὑπειλήφεισαν τοὺς ἀνωτάτω καὶ τὸ τρίγλυφον. genere neutro dixit: masculino Aristoteles Ethicorum X, 3 ἡ γὰρ τῶν λίθων σύνθεσις ἑτέρα τῆς τοῦ κίονος ῥαβδώσεως, καὶ αὕται τῆς τοῦ ναοῦ ποιήσεως· καὶ ἡ μὲν τοῦ ναοῦ τελεία — ἡ δὲ τῆς πρηκῖδος καὶ τοῦ τριγλύφου ἀτελής· μέρος γὰρ ἑκατέρα. Apollonius regiam Aeetae describens 3, 217 θριγκὸς δ' ἐφύπερθε δόμοιο λαΐνεος χαλκέῃσιν ἐπὶ γλυφίδεσσιν ἀρήρει. ubi vertunt: *lorica super domum lapidea aereis triglyphis erat adaptata.* Vide etiam dicenda ad sect. 4.

iis visa esset — Wratisl. *hiis visu esset.* Sulpic. Guelf. *his* habent.

caerulea depinxerunt — Wrat. *caerula*, deinde *ut praeciones.* An huc pertinet glossa Hesychii: θρανίον — καὶ τὸ ὑπὸ τοῖς φατνώμασι σανίδωμα — καὶ τὸ ὑπὸ τὴν δοκόν τι? Idem θρανογράφους interpretatur τοὺς εὐκρεπεῖς (forte dedit εὐτελεῖς, viles)

Digitized by Google

γραφεῖς. Pollux 10 s. 49 θράνους ἐπάλους καὶ τὰ ξύλα τὰ παραπλέοντα τοὺς πλινθίνους τοίχους. A θράνος fit θράνιστρον, hinc *transtrum*. Ceterum Giseranus etiam *terna caerulea* scriptum in libris reperit.

divisiones tignorum — Philander *praecisiones* vel praecisas tignorum proiecturas interpretatur, Galiani *le segature* vertit, quem sequitur Rode. Quod tamen per sermonis latini consuetudinem fieri posse nego.

intertignium et opam habere — Sulpic. *intertignium et oparum*. Sic etiam Franeck. *et intertigniuni et apharum* Guelf. *intertignium et apharum* Wrat. Iocundus primus dedit *intertiguium et opam*. Ciseranus in libris *opham* et *opam* scriptum reperit, similiter *metopham* et *metopam*. Novissime Rode coniecturam: *intertignium locum* ausus est ponere in texto orationis, quam hoc facto plane soloecam effecit. Vulgata ipsa satis difficilis est, et dictionem habet insolentem; quam ita interpretor: Ita factum, ut tigna in opere fabrili, quae fuerant antea per parietem diatributa et divisa, in antica vero parte praecisa et triglyphorum tabulis tecta, in lapideis doricis structuris oparum et metoparum vel intertigniorum inventioni, collocationi et nominationi occasionem et locum darent. Mihi vero Vitruvius scripsisse videbatur: *ita divisiones tignorum tectae triglyphorum dispositionem et intertignium vel metopam habere in Doricis operibus coeperunt*. Quam interpretari scripturam non opus erit: contra ex Iocundi scriptura vix aliquam fidiculis sententiam extorquebis.

3.

simaverunt — Ita Fran. Codex Laeti, Guelf. Wrat. At Sulp. et vulgatae ante Rodianam *sinuaverunt*.

Ex eo uti e tignorum — Hinc Wrat. Capitulum V exordiitur. Praepositionem *e* omittit Sulp. Guelf. Wrat. Deinde *canteriorum* habet Sulp. Postea *sub coronulis* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

mutulorum — Servius ad Aeneid. I, 740. *Proceros ideo secundum Varronem principes civitatis dicuntur, quia eminent in*

Digitized by Google

ea, sicut in aedificiis mutuli quidam, hoc est capita trabium, quae proceres nominantur. In Varrone de R. R. 3, 5, 13 *mutuli* sunt *omnibus columnis impositi sedilia avium.* ubi simpliciter *palos* adfixos significant, ut *mutuli per parietem defixi* Columellae 8, 9, 3.

operibus lapideis — Wrat. *omnibus lapideis*, deinde *mutili.* Postea *inclinatis* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *sculpturis* Wrat. Denique *canteriorum* Sulp. *tantoriorum* Wrat.

Ergo et — Sulp. *et* omisit. Deinde *mutilorum* Wrat. Postea *ex ea mutatione* Sulp.

4.

ita potest esse — Wrat. *ita non potest esse*, deinde *locis omni.* Postea Sulp. et Edd. omnes ante Rodianam *non patiuntur res.* Cum Rodio facit Guelf. Wrat. et Vaticani.

luminum spatia — Sulpic. *lumina sp.* Wratisl. *lumine sp.* Deinde *indicabuntur* Sulp. Postea *hisdem* Sulp. Guelf. *hiisdem* Wratisl.

denticuli — Sulpic. Guelf. Wrat. *denticulis.* Deinde *occupavit* Sulpic.

metopae — Sulph. *methophe*, Fran. *etophe*, Guelf. *metophae*, Wrat. *metrophae.* Deinde *ophas* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Postea *Graece* Sulpic. De metopis pauca addam. Supra III, 3 *μετοχὴ* erat editum, ubi Sulp. *methocae* dat. Infra cap. 3 eadem est scripturae varietas. Hesychius: *μεθόκιον, μέρος τι τῆς καλουμένης ὑπὸ τῶν ἀρχιτεκτόνων τριγλύφου.* Ptolemaeus mathematicus Syriani apud Simplicium ad Aristotelem de Coelo p. 173. a. *ὡς τὰ ἐν ταῖς ὀκαῖς τῶν τοίχων κανταχοῦ ἁπτόμενα τοῦ τοίχου ζῶα, οὐ βαρύνονται ὑπ' αὐτοῦ, ὅτι κανταχοῦ ὁ τοῖχος ἑαυτὸν ἐκανέχει.* Aristophanes in Aeolosicone Pollucis Onomastici X, [illegible] *καὶ δι' ὀκῆς κἀκὶ στέγους.* Xenarchus Athenaei 13 p. 569 de adultero deprehenso: *μηδὲ δι' ὀκῆς κάτωθεν ἐνδῦναι στέγης.* Ad hanc posteriorem significationem *ὀκῆς* pertinere videtur locus Pollucis 2, 54 *ὀκαίαν δὲ οἱ Ἀττικοὶ τὴν περαμίδα ἐκάλουν, ἣ τὴν ὀκὴν εἶχε.* In Aristophanis Vespis versu 205 est *ὑποδυόμενός τις ὑπὸ τῶν περα-*

Digitized by Google

μίδων. Forte ex his locis petere licet auxilium ad explicandum locum Euripideum Iphigeniae Tauricae versu 113, ubi Orestem Dianae signum ex templo surripere cogitantem monet Pylades his: ὅρα δ' εἴσω τριγλύφων ὅποι πενὸν, δίμας καθεῖναι. quae Barnesius inepte vertit: *considera autem, quomodo in intercolumnia, ubi vacuitas est, corpus demittas.* quasi per intercolumnia liceat intra templum irrepere. In Oreste dicitur aliquis fugisse ex regia domo πεδρωτὰ ὑπὲρ τέρεμνα καστάδων δωρικάς τε τριγλύφους. Videtur igitur spatium inter triglyphos vacuum, metopen vocant, intelligi in utroque loco. Cf. omnino Genelli Fasciculi II p. 69.

cubicula — Sic Sulp. Iocundi, Guelf. Wrat. Vulgo *cubilia*, quod Philandro deberi videtur, qui esse ait, qui *cubicula* scribant, sustentacula interpretantes. Deinde pro *cava* Sulp. dedit *cuba*. Ceterum pro *uti nostri* scribi voluit *at nostri* Hirt in Epistola ad Rodium data p. 9 qua mutatione quid proficiatur ad loci interpretationem, equidem non intelligo.

duas opas — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *ophas*. Deinceps *et* Sulp. Wrat. Postea *intertignum* Sulp. Guelf. Wrat. Denique *methopha* Sulp. *metopha* Guelf. Wrat. *aput* suo more etiam Wrat.

nominatum — Sulp. Vatic. Wrat. *nominata*.

5.

Ita uti ante — Sulp. *uti* omisit, pro *ante* dat *autem* cum Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Postea *canteriorum* Sulp.

ferunt imaginem — Sulp. *fecerunt*, Vatic. *fuerunt*. Deinde *denticulis et proiecturis* Sulp. Fran. Guelf. Wrat.

Etiamque — Fran. Guelf. Wrat. *Etiam quod*, deinde *instituerint*.

in fastigiis — Deinceps *mutulos aut* inseri voluit Philander, quos et d .ticuli et tota ratiocinatio Vitruvii flagitare videntur.

6.

traduxerunt — Vatic. Guelf. Wrat. *transduxerunt*. Deinde *ingressus prosecutus* Sulp. A verbis *nunc vero Doricam* Wrat. exorditur Capitulum VI.

Digitized by Google

Ceterum quae ad hoc totum caput disputavit vir doctus, *Hirt*, in Epistola ad Rodium data atque inserta Volumini I Collectionis: *Sammlung nützlicher Aufsätze und Nachrichten die Baukunst betreffend.* Anni V pag. 3 — 21 magis pertinent ad tectorum et fastigiorum antiquorum structuram explicandam, quam ad singulorum verborum interpretationem; quanquam etiam de columine, culmine, transtris, capreolis, et reliquis materiationis nominibus monuit quaedam vir doctus, quae aliter quam vulgo fieri solet, vertenda censet. Sed haec omnia pendent a ratione struendorum fastigiorum gemina, quam docet Vitruvius, quem vehementer ob neglectum ordinem naturalem disciplinae nec immerito reprehendit censor severus. Equidem nec Vitruvii patrocinium in me suscepi, nec ad meas partes pertinere puto, dubitationes vel contentiones de ipsa fabricarum ratione aut origine ortas inter viros doctos componere aut explicare.

AD CAPUT III.

disconvenientes — Ita Vatic. Fran. Guelf. Wrat. pro *inconven.* vulgato. Verbum usurpavit Horatius, derivatum inde participium Lactantius, *disconvenientiam* Tertullianus. Deinde vulgarem interpunctionem *conficiebantur. Itaque — Hermagenes.* correxi.

Tarchesius — Wrat. *Tarthesius.* Deinde *Pitheus*, *num minus* Sulp. *Pitheus* etiam Laetiana dedit. Tarchesius mihi idem videtur de quo est in Praefatione VII. *Hermogenes de aede Dianae Ionica, quae est Magnesiae Pseudodipteros et Liberi Patris Teo monopteros: item Argelius de symmetriis Corinthiis et Ionico Trallibus Aesculapio, quod etiam ipse sua manu dicitur fecisse.* Utra scriptura verior sit, difficile est in reliquorum scriptorum antiquorum silentio iudicium.

Nam is — Wrat. *Nam in hiis — marmoreis — perfectione.* Deinceps vulgo scriptum legebatur: *copiam, in Doricae aedis perfectionem commutavit, et ex eadem copia eam Ionicam L. p. fecit.* Equidem secutus Sulp. Fran. Guelf. Wrat. copulam *et*

Digitized by Google

suo loco restitui a Iocundo translocatam, et pravam distinctionem correxi. Solus Galiani post *copiam* positum vulgo comma sustulit et post *perfectionem* collocavit, locum etiam recte vertit. Contra male Rode: *denn als er bereits den ganzen Vorrath von Marmor zur Errichtung eines Dorischen Tempels zubereitet hatte, so änderte er denselben um, und errichtete daraus den Ionischen Tempel.*

sed tamen — Vulgo prave distincta erat oratio: *fecit. Sed tamen non.* Ratio redditur, cur Hermogenes Ionicam aedem Baccho quam Doricam facere maluerit.

sed quod impedita est — Wrat. *quod* omisit. In sequentibus mutandis sumsi mihi quam facile condonabunt aut potius laudabunt lectores intelligentes licentiam. Vulgabatur enim *impedita est distributio et incommoda — et lacunariorum distributione. Namque necesse est triglyphos constitui* et cet. ubi ineptissimo loco *distributione* collocatum erat, quod vocabulum ad sequentia pertinet, quo id loco restitui. *Lacunariorum* esse h. l. pro *metoparum* positum recte admonuit cum Philandro Galiani.

2.

contra medios tetrantes — Philander interpretatur: divisa scapi crassitudine in partes quatuor, ita triglyphi supra columnas collocentur, ut partes medias duas occupent, relictis utrinque singulis. Idem ad Librum 3 ubi tetrantorum actiones explicat: *Sunt*, inquit, *tetrantes rei divisae in partes quatuor singulae lineae sive potius intervalla ipsa.* Infra X, 11 est: *in capitibus circino dividuntur circinationes eorum tetrantibus in partes quatuor et octantibus in partes octo, ductis lineis.* In libri tertii cap. 5 *in capituli tetrante* Perraltus interpretatur: *l'endroit où le chapiteau est partagé en quatre.* Hoc vero in loco *contra medios tetrantes columnarum* vertit: *sur le milieu des colonnes.* Sic iterum infra, ubi eadem dictio extat. Galiani in hoc capite sequitur Perraltum, contra libri 3 cap. 5 *in capituli tetrante* vertit: *quel punto che segna una quarta parte del capitolo.*

Digitized by Google

Rode cum Galiano stat, ut solet. Stieglitz, Archaeologie I p. 215 vertit: *gegen die beyden mittlern Viertheile der untern Säulenstärke. Quadrans* quartam partem significat; contra *tetrans* locum in quatuor partes aequales divisum. Hesychius hinc τετρᾶντα interpretatur τετράγωνον, i. e. quadratum. Affert Salmasius in Exercit. p. 473 Hygini Agrimensoris locum: *Sic et in castris groma ponitur in tetrantem:* quod interpretatur: *id est ut locus in 4 partes aequales dividatur.* alter est ibidem: *tetrantum lapides inscripti:* tertius: *in mediis tetrantibus lapides defigere.* Quartum posuit p. 486 Frontini: *omnibus autem interversuris tetrantis locum perpendiculum ostendat:* ubi medium centrum interpretatur. In Editione Goesii p. 160 est apud Hyginum: *tetrantum veterum lapides adhuc parent:* et p. 132 *termini lapidei — habentes longum tetrantem.*

metopasque — Sulp. Wrat. *methophas.* Vatic. Fran. Guelf. *metophas.* Eadem est varietas iterum paulo pŏst, ubi Sulp. Wrat. *methophae*, Guelf. *metophae.*

proxime ad — Wrat. *ad* omisit; deinde *non extunc quadratae sed longiores.* Huius rationis exemplum hodie extare negat Stieglitz, Archaeologie I p. 208.

triglyphi latitudine — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *altitudine* hic et paulo post dant, quod primus Philander correxit. Iocundus male *triglyphis* dederat, quod Philander etiam correxit.

sive intercolumniorum — Pessime Iocundus interseruit *in*, quod repetiit Rodiana. Deinceps *efficitur* Sulp. *efficietur* Vatic. Fran. Sequens *est* omisit Fran.

vitare — Ita pro *evitare* Vatic. Fran. Guelf. Wrat. et liber Laeti. Deinceps a verbis *Nos autem* Wratisl. exorditur Capitulum VII.

3.

uti si quis — Fran. *si qui* dat, ut saepe alibi. Deinde *sine vitio* cum Laeto dedit Galiani. Postea *profectiones* Sulp.

XXVII—XLIV — In Sulp. Fran. Guelf. Wrat. et Vossii libro

Digitized by Google

est *XXVIII — XXXII.* unde Vossius suspicabatur olim pro altero numero *XXXXII* scriptum fuisse. Ciseranus scripturam *hexastylos XXXVIII* reddidit, annotans in libris esse *XXXII*, *XXXVIII*, *XXXV*, *XLI* et *XLIIII*. Philander, quem secuti sunt Perrault et Galiani, numeros, quos posui, calculis positis reperit. Ita vero ille: Si supra singularum columnarum tetrantes collocantur singuli triglyphi, et in singulis intercolumniis angularibus triglyphi duo et metopae tres, in mediano metopae quatuor et triglyphi tres, metopae autem crassae sint modulum unum et semissem, ipsi vero triglyphi crassi modulum unum, adiectis singulis in extremis angulis semimetopiis, si recte supputabis, reperies modulos omnino non esse plures viginti septem, si tetrastylos erit; quod si fuerit hexastylos, fient moduli quadraginta duo, adduntur enim utrinque triglyphi tres et metopae tres, id est moduli quindecim. Britannicus interpres, Newton, vulgares numeros tanquam auctoritate Codicum omnium confirmatos defendit ex ratione columnarum diastylo, de qua noster libri 3 cap. 3. sect. 4. Sed is ita incidit in aliam difficultatem, qua se non expedivit. Fiunt enim ex hac ratione metopae lateralium intercolumniorum longiores sexta parte quam modulum unum et dimidium. Neutonum in versione secutus Rode edidit etiam vulgares numeros vitiosos, quamvis de scripturae Codd. varietate admonito lectore. Ipsam Philandri correctionem extare in Codice, cum quo comparatum librum editum habebat, Perraltus testatur.

ex his — Wrat. omisso *ex* habet *hiis*. Deinde *ratiocinationis* Sulp. *rationibus* cum Philandro et Laeto dedit Galiani. Pro *ἐμβάτης* in aliis libris Ciseranus *ἐμφάτης* et *ἐμβάτες* scriptum reperit.

4.

duorum modulorum — Wrat. *duom modulorum*. Sequens mensura latitudinis capituli *duorum et moduli sextae partis* Perralto vitiosa et ita corrigenda visa est: *et moduli semissis*. Putat is *semisse* fuisse per notam scriptum *S.* quam librarius de sexta

Digitized by Google

parte fuerit male interpretatus. Iam antea Barbaro latitudo capituli vulgaris nimis exigua visa erat, quam tamen defendit Galiani ex usu antiquiore, qui Vitruvii tempora antecesserat.

plinthus — Sulp. *plinthos*, Wrat. *plinthys*. Deinde *comatio* Vatic. 1. Fran. Postea *fiet* Wrat. Denique *ethmus* Wrat.

cum anulis — Franeck. a prima manu *anulus*, a secunda *anulos* habet.

tertia hypotrachelion — Wrat. *tertio*. Deinde *epitrachelio* Sulp. ut paulo post iterum. Guelf. Wrat. *hypotrachelio*, postea *columnae*. Iocundus forte in aliquo Codice sic scriptum repererat, unde effecit: *tertia hypotrachelio contrahatur columnae, ita.* quem recte reprehendit Philander.

cum taenia — Sulpic. Guelf. Wrat. *thenia*. Fran. *thaenia*. Ita statim iterum Sulpic. Wrat. Fran. *thenia*, et tertium Sulpic. Fran. *thenia*.

alta cum regula — Wrat. *alta tamen regula*. Deinde *perpendeat* Vatic. 2.

epistylii latitudo — Vatic. 2. *longitudo*. Deinde *una* Sulp. Wrat. pro *ima*. Postea *epitrachelio* Sulp. Monuit quidem Philander Doricorum et Tuscanicorum capitulorum partem imam etiam hypotrachelium dici capite 7 huius libri; sed Codices ibi scripturam non variant.

metopis — Sulp. Wrat. *methophis*, Guelf. *metophis*. Deinceps *unius* (*unus* Fran. bis habet in h. l.) *dimidiati moduli* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Copulam interseruit Iocundus. Ad genitivos casus *unius moduli* intellige altitudine. Solenne erat dicere unum — modulum. Comparavit Philander similia loca Vitruvii libro X cap. 14. 15. 19 Columellae de Arbor. c. 4 s. 3 et Varronis apud Plinium 36 c. 13.

lati — moduli — Haec verba omisit Wratisl. Post *unius* Vatic. 2. *dimidiati* inserit.

intercolumniis — bini — Sulp. *intercolunnis*. Guelf. Wrat. *binis*. Postea *trini* Wrat. Intercolumnium nunc esse, quantum

Digitized by Google

Epistylii est a triglypho, qui supra columnam est, ad alium, qui supra proximam est collocatus, monuit Philander.

5.

Triglyphorum latitudo — Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *altitudo.* Deinde *sex partes* Wrat. Postea *quinque partibus* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Denique *dextera* Sulp.

μηρὸς — Sulpic. Wrat. *heros.* Guelf. Fran. *eros.* Ciseranus memorat librorum scripturam *ηερος.* Nominis rationem Philander ita interpretatur. Metaphorice in triglyphis dicuntur femora veluti striae inter canaliculos ad normae angulum excavatos, sive protuberantes partes.. Femoris enim totius forma anteriore in parte exterioreque gibba, in posteriore interioreque sima est. Baldus: Femora in ordine dorico, inquit, plana illa in triglypho dicuntur, quae inter canaliculorum cavitates eminent, et a nostris passim *pianetti* et *pianuzzi* appellantur. — Cur autem femora dicantur, vix capio, nisi si velimus coxarum vices in triglypho partes illas oblongas et eminentiores gerere. Baldus itaque haud ita longe a vero abfuit. Mihi enim striae illae prominentes a similitudine feminum dictae videntur, quae, uti femina utrinque carnibus protuberantia cavitatem ab inguine usque, ita canaliculos concludunt. In mensuris agrorum Siculus Flaccus agrimensorius p. 6 *coxam* similiter adhibuisse videtur: *possessorum termini, qui omnibus angulis coxisque positi esse debent.* In Inscriptione sepulcrali: *In fronte Pedes XXXVII a tergo coxae S. P. XXVII intra coxam P. XXXVII* Fabretti Inscr. p. 180 coxam interpretari voluit *angulum interiorem*, cum Ursatus Marmor. Erud. Epist. XI p. 277 aggerem quendam fuisse coniecisset. Sed *coxam* rectius N. Rigaltius versuram interpretatur. Praeter locum antea positum idem scriptor *coxas* nominavit p. 13. Alius p. 306 habet: *super coxam monticellum constituimus.* Sed est tertius Siculi Flacci locus p. 4 ubi nunc legitur: *alii tantummodo inflexis versuris alii in longioribus spatiis.* sed Codex Arcerianus habet *in coxis vel in rivis.* unde vocem *coxis* recte restitui iussit Rigaltius,

Digitized by Google

in rivis ortum censuit ex glossa *versuris.* Denique commode comparavit locum Varronis de L. L. VI p. 93 *Strebula Opilius scribit circum coxendices sunt nobis: id Graecum est ab huius loci versura.* Verum si paulo accuratius locum inspexeris, parum ad rem facere agnosces. *Strebulam* enim Varro vel Opilius a graeco στρέφω derivat, quod de vertendo et versura dicitur. Ceterum recte *coxam* Rigaltius eumque secutus Goesius interpretantur; coxa enim in figura corporis humani a rigore discedit et ubi incipit inflexa versuram facit.

ordine eorum — Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *earum.* Deinde *dextera* Sulp. Postea *femina* Sulp. Fran, Guelf. Wrat. et Vossiani, teste Oudendorpio ad Sueton. p. 874 eamque scripturam memoravit etiam Ciseranus cum altera *infima. Femora* Iocundi igitur eliminanda iterum censeo. Cf. etiam Spalding. ad Quinctiliani 6, 3, 100 p. 615.

intervertantur — *Il y aura deux demi-canaux tournés en dehors* vertit Perrault; Galiani: *ed a gli angoli voltino due mezzi canali.* Aliter Rode: *auf die beyden Ecken vertheile man Halbschlitze.*

semimetopia — Sulpic. Fran. Guelf. Wratisl. *semimemphia.* Deinde *suppressa dimidia contracturae latitudine* censuit Perraltus. Sed Galiani vulgatam mensuram, quamvis minime iustam, sed vera maiorem, defendit et Vitruvium numerum rotundum posuisse censet. Ita etiam Philandro visum est.

lacunariorum — Galiani *formelle*, Perrault *platfonds*, Rode *Felder der untern Kranzfläche* vertit hic et initio capitis.

6.

facienda — Sulpic. Fran. Guelf. *faciunda.* Deinde *et proiectura* Wrat. Postea *dimidiae et sextae partis* Sulpic. Etiam Wrat. *dimidiae* habet.

cum cymatiis — ex dimidia — Wrat. *cum* omisit, Sulp. *et dimidia* dedit. Ceterum Galiani in versione adiunxit, quam in Vitruvii oratione deesse censebat, *et sexta parte.* Primum enim

Digitized by Google

Vitruvius libri 3 cap. 5 sect. 11 docet: *omnes omnino ecphorae venustiorem habent speciem, quae quantum altitudinis tantundem habeant proiecturae.* Ex ea igitur ratione, (si modo ad Doricam aedem simplicem accommodari potest) cum coronae proiectura supra sit dimidia et sexta parte, altitudinem eiusdem seu crassitudinem esse debere eadem mensura. Alterum argumentum ex vocula *item* petitum est, quae perfectam partium similitudinem significare soleat. Tertium addit, crassitudinem coronae ex dimidia et sexta parte iam nimis angustam fuisse visam Perralto; multo igitur minus convenire minorem sexta parte.

corona ima — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *columna.* Deinde *una* Sulp. Wrat. Sequens *ad* omisit Sulp. Wrat. *ad medias metopas* interpretatur Galiani ita, ut *mediae* inter triglyphos sint intelligendae; Perraltus enim vertit: *au droit du milieu des metopes.* Ita vero spatia nulla fieri reliqua, quae pura relinqui voluerit Vitruvius.

viarum directiones — Guelf. *derectiones.* Deinde *tres in altitudinem* Fran. Wrat. *Vias* interpretatur Galiani *quei filetti risaltati i quali dividono in varie formelle la soffitta del gocciolatojo.* Perrault: *comme des chemins droits.* Rode: *Richtung der Gassen.*

quod latiores sunt — Sulp. Wrat. *quo.* Fran. *sint.* Deinde *methophae* Sulp. Wrat. *metophae* Guelf. et sic fere ubique. Ciseranus *metophae*, *methopae* et *methochae* ex libris memoravit.

fulmina — Guelf. Wrat. *flumina*, deinde *incidantur*, postea *lima quae scobina.* Ciseranus quoque *scobina* scriptum reperit; scotiam interpretatur: *gululeta seu sima reversa.*

simae — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *et imae.* Deinde *supra scriptum* revocavi ex Sulp. Guelf. Wrat. Laetiano; nam *supra* omisit primus Iocundus.

7.

diastylis — Fran. Guelf. *diastiliis.* Deinde *faciundum* Fran. Guelf. Postea a verbis *frons aedis* Capitulum IX exorditur Wrat.

Digitized by Google

systylon — Barbarus eumque secutus Galiani *pycnostylon* dedit, quos non probavit Neutonus nec Rode, quanquam *systylon* proprie h. l. non dicatur.

XVIIII. S. — *XXVIIII. S.* — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *XVIII*—*XXVIIII* dant, solus Wratisl. habet *XXIX* scriptum. Iocundus dedit *XXIII*—*XXXIV* quos numeros ita damnavit Philander: Hoc differt opus systylon monotriglyphon a diastylo, quod in huius angularibus intercolumniis sunt metopae tres et triglyphi duo, quae efficiunt modulos sex cum dimidio: in mediano vero metopae quatuor, triglyphi tres, id est moduli novem: in illius autem intercolumniis angularibus sunt metopae duae cum triglypho uno, id est moduli quatuor, in mediano vero metopae tres, triglyphi duo, id est moduli sex et semis: (non enim est necesse admonere supra tetrantes columnarum medios singulos esse triglyphos, id est, totidem modulos) superatur igitur systylon opus utrinque singulis modulis duobus et semisse, et in medio totidem (de tetrastylo enim nunc mihi res est) id est, in universum septem modulis et semisse. Atqui ostendimus tetrastyli diastyli modulos esse 27, a quibus si auferes septem, eos modulos et semissem, quibus superat systylon, videbis superesse 19. S. Quod si erit hexastylon, superabitur duodecim modulis et semisse, quibus ablatis restabunt 29. S. Perraltus malebat quidem leniore ut putabat remedio corrigere vulgatae errorem scribendo: *XXII* — *XXXII*, ignorabat enim Iocundi scripturam esse, non Codicum, eam quae vulgatur. Agnovit tamen ipse emendationem Philandream esse rei magis aptam. Monet tamen Philandrum ponere in mediano intercolumnio metopas tres et triglyphos duos, cum Vitruvius *tres triglyphos et tres metopas* collocet in mediano intercolumnio. Corrigendum igitur fuisse a Philandro simul eum Vitruvii locum et *duorum triglyphorum* scribendum. Confirmari eam correctionem exemplo templi Pacis a Palladio picti, in quo duo tantum adsint triglyphi in mediano intercolumnio. Perralti priorem rationem unice probavit Galiani. Sed is temere arripuit ex Philandri annotatione et posuit in ver-

Digitized by Google

borum contexto: *trium triglyphorum et quatuor metoparum*, cum Philander id tantum docere voluisset, si tres triglyphi in mediano intercolumnio adsint, tres metopas non sufficere, sed esse debere quatuor aut duas; se vero propter alias rationes potius *duorum triglyphorum* scribi malle. Nihilo tamen minus Laetus etiam *quatuor metoparum* edidit: quam scripturam interpretatus est etiam Perraltus, quamvis, uti antea dixi, Philandri rationem praeferret.

opera dividantur — Ita Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wratisl. Vulgo est *distribuentur*. Sed *opera* omittunt Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Videtur aliud olim vocabulum adfuisse, ubi nunc *opera* inseruit Iocundus.

metopae duae — Sulp. Wrat. *methopha*. Fran. Guelf. *metopha*. Sequens *duae* omittunt Sulp. Fran. Guelf. ut deinceps totum locum *bini erunt* — *hemitriglyphi* omisit Wrat.

triglyphi singuli — Vulgatum *bini* damnavit Philander, quem secuti Laet et Galiani verum dederunt; antiquam scripturam ex Iocundi editione, quam operis exprimendam dederat, Rode repetiit, quam in annotatione versioni adiecta interpretatur de triglypho uno et dimidiato altero utrinque apposito. Sed vitium vulgatae arguit etiam ipsa dictio. Cur enim dixerit *metopas duas* et statim *triglyphos binos*; cum deberet aut *metopas binas* iungere *triglyphis binis*, aut *triglyphos duos metopis duabus*. Ceterum Perraltum corrigentem *intercolumnia*, ubi nunc est *epistylia*, improbavit Galiani, monens epistylia nunc dici singulas partes epistylii vulgo dicti, quae columnis impositae sunt. Verum Perraltus instabat, si Vitruvius hoc sensu epistylia dixerit, tunc singulis epistyliis non unum triglyphum cum duabus metopis competere, sed utrinque accedere dimidiatum triglyphum proximum.

in angularibus hoc amplius: quantum est spatium hemitriglyphi, id accedit in mediano — Restitui scripturam Sulpic. Iocundi, Franeck. Guelf. Wrat. nisi quod Philandro obtemperans *dimidiatum*, quod ibi est intersertum post *amplius*, damnavi et eieci, veluti glossam a librario olim in margine adscriptam, qua

Digitized by Google

verba *spatium hemitriglyphi* voluit explicare. Philander praeterea scribi voluit: *in angularibus non amplius quam quantum est spatium hemitriglyphi.* Addit interpretationem hanc: Quantum hemitriglyphus amplus est, tantum in angulis (quantum scapi contractura patitur, ea enim prudenti Architecto moderabitur) relinquendum, id est semimodulus utrinque, quae diximus semimetopiorum nomine accipi. Sed vir egregius non docuit, qua ratione sequens periodus coniungi possit cum his verbis. Nam ibi verba *id accedit*, vel ut Iocundus dedit *accedet id* aperte loquuntur de spatio aliquo, quod supererat in angularibus, nunc mediano epistylio contribuendum. Perraltus de verbis nihil monens locum totum sic vertit: *aux espaces depuis le dernier triglyphe jusqu'à l'angle la grandeur d'un demi-triglyphe: et sous le milieu du fronton, l'espace de trois triglyphes et de quatre metopes.* Apparet tamen vel ita eum cum Philandro vocabulum inutile *dimidiatum* damnasse. Illa vero difficilia *id accedit* plane praeteriit. Laetiana ex correctione Philandri dedit: *non amplius quam quantum — hemitriglyphi. Accedit id* et cet. Idem fecit Galiani, nisi quod is *Accedet* edidit, de verbis non magis solicitus. Locum ita vertit: *ne' cantoni resta uno spazio, quanto un mezzo triglifo. Di più l'intercolumnio di mezzo sotto la cima del frontespizio dev' esser largo da contenere tre triglifi e quattro metope.* Sed hoc non est interpretari verba scriptoris, sed suspiciones suas alienae orationi inferre et verborum sententiam adulterare! *Mediano* refertur ad epistylium, quod de intercolumnio interpretantem Perraltum ipse antea reprehenderat. Rode antiquam scripturam copula *et* auctam ita vertit: *über die Eckunterbalken überdiefs noch einen halben Triglyphen und so viel Raum als die Hälfte eines Triglyphen beträgt. Ueber den mittlern Unterbalken aber gerade über dem Giebel drey Triglyphen und drey Metopen.* In annotatione subiecta scribendum esse suspicabatur: *in angularibus hoc amplius dimidiatum* (triglyphum) *et quantum est sp. hem.* eamque emendationem ex ratione epistyliorum angularium firmare conatur, quae habere ait debere supra se spatium

Digitized by Google

hemitriglyphi amplius, quam reliqua, mediano excepto, epistylia. Idem deinde in Editione Philandri emendationem posuit, sed in Addendis denuo probavit coniecturam antea propositam. Equidem quam potui ex Codicum scriptura servata extudi sententiam, non ineptam, ut puto; in quo me adiuvit distinctio verborum mutata. Punctum enim post verba *in mediano* posui. Sententia haec mihi esse videtur: Quantum in angularibus epistyliis est spatium hemitriglyphi, tantum accedit in mediano epistylio. Lauream tamen loci restituti felicioribus ingeniis facile concedam. Ceterum *id accedit* dant Sulp. Guelf. *id accidit* Wrat.

Contra fastigium duorum triglyphorum — Dedi Philandri emendationem pro vulgato *trium.*

spatium distabit, ut — Sulp. Guelf. Wrat. et Vossianus, teste Laeto, *distabit quod* dant: equidem *quod* resecui, quod ex variatione barbari hominis ortum habet pro *ut* usurpantis. Iocundus vero *distabit quod* plane omisit, atque ita locum per se difficilem magis perplexum reddidit. Ceterum admonendus est lector in Sulp. Fran. et Wrat. totum hunc locum a verbis inde *Contra fastigium* omissum demum sect. 8 post vocabulum *perpendiculum* repeti a Sulp. et Wrat. Sed iidem duo libri in his ipsis, quae alieno loco repetierunt, omittunt tamen verba initio sect. 8 *Insuper collocanda*, deinde *uti supra scriptum est.*

8.

ex dimidia moduli — Sulp. *moduli* omisit. Deinde *dividenda* Wrat. postea *una* pro *ima.*

perpendiculum — Wrat. *qua* addit. Sequentia *triglyphorum — in diastylis* omisit cum Sulp.

viarum directiones — Guelf. *derectiones.* Ex annotatione Philandri didici, in Edd. quibusdam extare vitiose scriptum *direptiones.*

9.

striis — Wratisl. *suntis* habet. Striae planae XX efficiunt angulos totidem et columnam reddunt polygonam, spatiis inter

Digitized by Google

angulos planis relictis. Hanc Galli dicunt *colonne à pans*, Galiani *affaccetata* dixit.

sic est forma facienda — Wrat. *forma* omisit. Equidem sequens *ita* ut superfluum seclusi. Sequentia etiam verba *striaturae paribus* post *tam magnis quam magnum est intervallum striae* plane abundant; itaque omisit vertere Galiani cum Perralto; contra Rode ita vertit, quasi *striaturae* abesset: *nach der Breite eines Streifs mache man ein gleichseitiges Viereck.*

linea rotundationis — Galiani vertit: *si tiri una porzione di cerchio, che tocchi gli angoli del quadrato, e si facci il canale uguale a quel segmento di cerchio, che è fra la linea circolare, ed il lato del quadrato.* Perrault ita: *on tracera d'un angle de la cannelure à l'autre une ligne courbe qui sera la forme de la cavité de la cannelure.* Nimis operose nec satis definite Rode: *ziehe man eine Zirkellinie durch alle vier Ecken des Quadrats; und so viel als der Bogen zwischen der krummen und der geraden Linie beträgt, um so viel höle man den Streif aus.*

10.

quae media adaugetur — Perrault: *le renflement qui se fait au milieu de la colonne.* Galiani vertit: *in riguardo all' aggiunzione, che si fa nel ventre della colonna.* Igitur *media columna adaugetur adiectione aliqua.* Atqui vulgata lectio ipsam *adiectionem mediam adaugeri* significat. Igitur *qua media adaugetur* scribendum esse censeo. Supra 3 cap. 3 sect. 13 est: *De adiectione quae adiicitur in mediis columnis, quae apud Graecos ἔντασις appellatur.* In fine capitis Sulp. *est* post *necesse* omisit. Extremum capitis membrum non sanum esse videtur. Inepte enim dicitur *exterior species symmetriarum*, et genus neutrum *Doricorum*, *Corinthiorum* et *Ionicorum* non habet quo referatur. Quare suspicor scribendum: *species aedium et ratio symmetriarum et Doricarum* et cet. Galiani vertit: *le simmetrie degli aspetti esteriori si Corintj come Dorici.* Perrault: *quelle*

Digitized by Google

doit être la proportion des colonnes Corinthiennes, Doriques et Ioniques, qui comprend tout ce qui appartient à l'exterieur des Temples. Galianum sequitur Rode.

AD CAPUT IV.

quam est latitudo — Wrat. *longitudo.* Deinde *habebit* Vossianus Laeti. Postea *collationem* Sulp. Fran. Ceterum vulgarem distinctionem, quae habet: *quam est latitudo cum pariete, qui paries* et cet. correxi admonente Perralto, cui non obtemperarunt Editores recentiores, quamvis sententiam recte reddiderint, Galiani et Rode. Comma enim erat post *latitudo* ponendum, ut verba *cum pariete* pertinere ad illa *ipsaque cella* manifestum fieret.

Etsi aedes erit — Galiani cellam interpretatur, quem non secutus est Rode.

pteromatos — Sulp. *pteremotos.* Wrat. *parteromatos.* Fran. *pterematos.* Vocabulum Perraltus interpretatus est parietes pronai ad antas usque procurrentes; nam is columnas extra pronaum positas vel porticus nullas fuisse in aedibus his statuit. Contra pteroma porticum seu columnas pronaum extus circumdantes cum Galiano interpretatur Rode.

pluteis — De pluteis dicetur infra ad libri V cap. 1.

2.

si maior erit latitudo — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *altitudo.* Deinde *religiones* Fran. Guelf. Wrat.

collocentur — Wratisl. *collocetur et haec altitudine.* Guelf. cum Sulp. *hae* dant pro *eae.* Deinde *crassitudine* Wrat.

fiant novem — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *decem.* Sequens *fiat* omisit Guelf. cum Wrat.

striae [XX aut] XXIV. — Vulgatum *striae viginti quatuor* ita supplendum esse monuit Meister Comment. Nov. Goetting. p. 166. XX numerus Doricis, XXIV Ionicis et Corinthiis congruit. Sequentia manifestum librarii errorem arguunt; ubi tamen

Digitized by Google

Ciseranus librorum numeros XV, XXVI et XXXVI pro vulgato XXVIII memoravit, addens: *ma li piu veri texti et io con le probete antique symmetrie ho trovato scripto* XXVIII aut XXXII *et cosi ho trovato in distinctione le antique et perfecte columne marmoree.* Ceterum in Sulpiciana est *striae XIIII.*

adaugebitur — Wratisl. *et augebitur:* deinde *quod minus* Guelf. Wrat. *videtur* Franeck. Verba *eo quo minus videbitur* iungenda sunt cum verbo *adaugebitur* ita, ut intelligas cum Galiano: *suppletur et adaugetur eo, quo minus videbitur id quod detrahitur de corpore scapi.* Quod si lectionem *quod minus* probes, tum verba *quod detrahitur de corpore scapi* parenthesi includenda et per se intelligenda sunt.

3.

crebriora signa — Guelf. Wratisl. *signat.* Deinceps *crassis lineis* Sulp. Fran. Vossianus Laeti. Postea *circummetiantur* Wrat.

et circa — Sulp. Wrat. copulam omittunt. Deinceps *striglium* Sulp. Guelf. Vossianus Laeti, *strigilium* Wrat. *strigilum* Vatic.

tametsi — Wrat. *etsi.* Deinceps *aequae* Sulpic. Sequentia *non erunt* exciderunt in Sulp. Guelf. Wrat.

et strigium — Sulp. Guelf. Vossianus Laeti *striglium*, Wrat. *strigilium.* Deinde *efficit* Wrat. Postea *angustiis.*

striarum — Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *striatarum*

4.

crassitudinem — parte — Wrat. *crassitudine.* Fran. *partes.* Sequens *antae* omittit Sulp.

exstructi futuri sint — Guelf. Wrat. *sunt.* Apparet de structura e caementis loqui Vitruvium. Si de lateritia structura voluisset dicere, tum *caementis instruantur*, media scilicet cava inter orthostatas parietes, dixisset.

struantur — Quod Iocundus dedit *recte struantur* non est in Sulp. Fran. Wrat.

maxime modicis — Wrat. *maxime autem modicis.* Vitru-

Digitized by Google

vius *modica saxa* videtur dicere non tam mediocria magnitudine et pondere, (quam sententiam reddunt Interpretationes pleraeque omnes) quam ad certam mensuram et normam caesa et polita; ideoque *paria* addit.

faciendum — Sulp. Fran. Guelf. *faciundum.* Deinceps *lapidis* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *medii lapides* Perraltum interpretantem *mediocres* recte Galiani refellit comparato loco libri 2 cap. 3 sect. 4 *medii lateres supra coagmenta collocati.*

eminentes expressiones — Infra 7, 4 *ipsaque tectoria abacorum et speculorum divisionibus circa se prominentes habent expressiones.* Philander h. l. in asperitatem excisas, prominentes, et quod vulgo Galli dicunt, relevatas interpretatur. Perraltus cum Barbaro *bugne* interpretatus malebat scriptum *depressae eminentiae.* Galiani ita explicat: *que' filetti di calcina, i quali vengono naturalmente a formarsi nello stringersi, che fanno pietra con pietra.* Quem secutus Rode vertit: *der aus den Fugen und Lagern hervorgedrungene Mörtel.* Contra quem Genelli p. 16 disputans ita locum explicat: *wenn man alle Fugen vertieft oder auch die Kanten der Werkstücke ein wenig abstumpft.* Plinius in simillimo loco nostri 7, 4 *marginatas tabulas* dixit, unde margines sum interpretatus *expressiones* in Disputatione de Varronis Scriptis p. 237.

graphicoteram — Guelf. Wrat. *graphicoteran.* Scilicet hi graece γραφικωτέραν scriptum voluerunt. Deinceps *in aspectum* Wratisl.

Digitized by Google

COROLLARIUM

AD VITRUVII LIBRI IV CAPUT III ET IV DE FORMA DORICA AEDIUM ET RATIONE DORICA COLUMNARUM,

SISTENS

FRAGMENTUM INSCRIPTIONIS ATTICAE ANTIQUISSIMAE, UBI TEMPLI ANTIQUI MINERVAE IN ARCE POSITI EIUSQUE PARTIUM MENTIO VARIA FIT, ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATUM.

Apposui hoc Fragmentum in usum doctiorum Vitruvii lectorum, si qui forte maiore eruditione abundantes et acriore ingenii acumine praediti plura inde ad doctrinam Vitruvii explicandam aut historiam architecturae illustrandam exquirere et derivare poterunt quam mihi in hac ingenii mei tenuitate et librariae suppellectilis egestate facere licuit.

Inscriptio Attica litteris antiquis in lapide incisa archonte Diocle, id est Olympiadis 92 *anno* $\frac{3}{4}$, *repetita ex Chandleri Inscriptionum Parte II no.* 1 *p.* 37 *seqq. Duae sunt linearum et litterarum columnae in lapide, iuxta se positae, quarum prior versus* 100 *inaequales longitudine, altera paulo minores numero, item inaequales habet. Versus* 101 *respondet versui* 8 *columnae sinistrae et sic deinceps.*

Digitized by Google

Ἐπιστάται τοῦ νεοῦ τοῦ ἐν πόλει ἐν ᾧ τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα Βροσυν..[2]ς Κηφισιεὺς, Χαριάδης Ἀγγύληθεν, Διώδης Κηφισιεὺς ἀρχιτέκτω....[3]οελος Ἀχαρνεὺς γραμματεὺς, Ἔπαρχος Κυδαθηναιεὺς [4] ἀνέγραψαν ἔργα τοῦ νεοῦ ὅσα κατέλαβον ἔχοντα κατὰ τὸ ψα[5][φισ]μα τοῦ δήμου ὃ Ἐπιγένης εἶπεν ἐνεργασμένα καὶ ἡμίεργα ἐπὶ Διο[6][κ]λέος ἄρχοντος, Κεκροπίδος πρυτανευούσης πρώτης, ἐπὶ τῆς πόλης [ἐν] [7] ᾗ Νικοφάνης Μαραθώνιος πρῶτος ἐγραμμάτευσεν. [8] Τοῦ νεοῦ τάδε κατελάβομεν ἡμίεργα. [9] Ἐκλείπονται τῇ πρὸς το Κεκροπιο (an τοῦ Κεκροπίου?) [10] πλίνθους ἀθέτους μῆκος τετρά[11]ποδας, πλάτος δίποδας, πάχος [12] τριημιποδίους. [13] Μασχαλίαν μῆκος τετράποδα, [14] πλάτος τρίποδα, πάχος τριῶν [15] ἡμιποδίων. [16] Ἐπικρανίτιδας μῆκος τετράπο[17]δας, πλάτος τρίποδας, πάχος [18] τριῶν ἡμιποδίων. [19] Γωνι[α]ίαν μῆκος ἑπτάποδα, [20] πλάτος τετράποδα, πάχο[ς] [21] τριῶν ἡμιποδίων. [22] Γόγγυλος λίθος ἄθετος ἀντίμο[23]ρος ταῖς ἐπικρανίτισιν μῆκος [24] δεκάπους ὕψος τριῶν [25] ἡμιποδίων. [26] ἀντίμορο[ς] τοῖς ἐπιστυλίοις [27] μῆκος τετράποδε π[λάτος πέν][28]τε παλαστῶ[ν]. [29] Κιόκρανον ἄθετον. [30] Μέτωπον τὸ ἔσω μεν . . . [31] πλάτος τριῶν ἡμιποδ . . . [32] τριῶν ἡμιποδίων. [33] Ἐπιστύλια ἄθετα μ[ῆκος . . . . [34] ποδα, πλάτος δυοῖν π[οδοῖν] [35] καὶ παλαστῆς πάχος . . . . [36] Ἐπιστύλια ἄνω ὄντα ἡ . . . . . [37] ἐπεργάσασθαι μῆκος

Digitized by Google

ὀκτὼ πό[38]δας, πλάτος δυοῖν ποδοῖν καὶ πα[39]λαστῆς, πάχος δίποδα. [40] τοῦ δὲ λοιποῦ ἔργου ἅπαντος [41] ἐν κύκλῳ ἄρχει ὁ Ἐλευσινιακὸς [42] λίθος πρὸς ᾧ τὰ ζωλα καὶ ἔργος [43] ἐπὶ τῶν ἐπισταθῶν τούτων [44] τῶν κιόνων τῶν ἐπὶ τοῦ τοίχου [45] τοῦ πρὸς τὸ Παν-δρόσειο[ν] [46] κειμένων κιόνων [47] ἄτμητα ἐκ τοῦ ἐν-τὸς Ἀνθε[48]μίου ἑκάστου τοῦ κίονος τρία [49] ἡμιπό-δια. [50] Ἐπιστυλίου ὀκτὼ πόδας [51] ἐπὶ τοῦ τοίχου τοῦ πρὸς νότον. [52] Κυμάτιον ἐς τὸ ἔσω εας [53] ἐπιθῆ-ναι. [54] Τάδε ἀκατάξεστα καὶ [55] ἀραρδότα. [56] τῶν τοί-χων τῶν πρὸς νότου [57] ἀνέμου ἀκαταξέστων [58] πλὴν τοῦ ἐν τῇ προστάσει [59] τῇ πρὸς τῷ Κεκροπίῳ. [60] τοὺς ὀρθοστάτας ἀκατα[61]ξέστους ἐκ τοῦ ἔξωθεν ἐν κύκλῳ [62] πλὴν τῶν ἐν τῇ προστά[63]σει τῇ πρὸς τῷ Κεκροπίῳ. [64] τὰς σπείρας ἁπάσας [65] αιραεδότος (α[ραρ]δοτος Chandler) τὰ ἄνωθεν. [66] τοὺς κίονας ἀραρδότος ἅπαντας [67] πλὴν τῶν ἐπὶ τοῦ τοίχου. τὴν κρηπῖδα ἐν [68] κύκλῳ ἅπασαν ἀκατάξεστον. [69] Τοῦ τοίχου τοῦ ἐκτὸς ἀκατάξεστα: [70] ζογγυλολιος (γόγ-γυλος λίθος?) τετραποδίας [π III omisit haec Chandler] [71] τὸ ἐν τῷ πρὸς τὸν ιν [72] τετραποδίας [δν omisit haec Ch.] [73] τῆς παραστάδος .... [74] τετραποδίας, [75] τοῦ πρὸς τοῦ ἀλδώματος [76] τετραποδίας, [77] ἐν τῇ προστάσει τῇ πρὸς [78] τοῦ θυρώματος [79] τῶν βωμῶν [τὸ θεο το omisit haec Ch.] [80] ἄθετον. [81] τῆς ἐπὶ .... χο [82] καὶ ἱμάντας ἄθετος, [83] ἐπὶ τῇ προστάσει τῇ πρὸς τῷ

Digitized by Google

84 Κεκροπίῳ κλει85τοὺς λίθους ὀροφιαίους τοὺς 86 ἐπὶ τῶν κόρων (an κώρων ?) ἐπεργάσα87σθαι ἄνωθεν μῆκος τριῶν 88 καὶ δέκα ποδῶν, πλάτος πέντε 89 ποδῶν: 90 τὰς κάλχας τὰς ἐπὶ τοῖς ἐπι 91 στυλίοις ἐξεργάσασθαι. 92 εδέλ.... 93 πωνὰ παντελῶς ἐξεργασμέ 94 να χαμαὶ 95 πλίνθοι τετράποδες μῆκος, 96 πλάτος δίποδες, πάχος 97 τριῶν ἡμιποδίων ἀριθμῷ.. 98 Μασχαλιαία μῆκος τετρά 99 πους, πλάτος τρίπους, πάχος 100 τριῶν ἡμιποδίων. 101 Τούτων ἑκάστου οὐκ ἐξέργα 102 σται ὁ ἁρμὸς ὁ ἕτερος οὐδὲ 103 οἱ ὄπισθεν ἁρμοὶ 104 μῆκος ἕκποδες, πλάτος δίπο 105 δες, πάχος ποδιαῖοι. 106 Τούτων ἑκάστου οὐκ ἐξέργα 107 σται ὁ ἁρμὸς ὁ ἕτερος οὐδὲ 108 οἱ ὄπισθεν ἁρμοὶ 109 τετράποδες μῆκος, πλάτος δίπο 110 δες, πάχος ποδιαῖοι. 111 Τούτων ἑκάστου οὐκ ἐξέργα 112 σται ὁ ἁρμὸς ὁ ἕτερος οὐδὲ 113 οἱ ὄπισθεν ἁρμοὶ 114 πεντέπους μῆκος, πλάτος δίπους, 115 πάχος ποδιαῖος. 116 Τούτου ἀργὸς ὁ ἁρμὸς ὁ ἕτε 117 ρος καὶ οἱ ὄπισθεν ἁρμοί. 118 Γεῖσα μῆκος τετράποδα, πλάτος 119 τρίποδα, πάχος πέντε παλασταί. 120 Λεῖα ἐκπεποιημένα ἄνευ κατα 121 τομῆς. 122 ἕτερον μέγεθος τοῦ αὐτῶν 123 κυματίου καὶ ἀστραγάλου ἑκατέρου 124 ἀτμήτου ἦσαν τέτταρες πόδες 125 ἑκάστου. 126 ἑτέροιν 127 ἄτμητοι ἦσαν τοῦ κυματίου τέτταρες 128 πόδες, τοῦ δὲ ἀστραγάλου ὀκτὼ πόδες, 129 ἑτέρου 130 τοῦ κυματίου τρία ἡμιπόδια ἄτμητα 131 ἀστραγάλου τέτταρες πόδες 132 ἑτέρων 133 τῆς μὲν λείας ἐργασίας

Digitized by Google

ἔργαστο [134] τοῦ δὲ κυματίου ἀργοὶ πόδες ἦσαν ἐξ [135] ις ἡμιποδίων· ἀστραγάλου ἀργοὶ [136] πόδες ὀκτὼ, [137] ἑτέρου [138] κυματίου . . . πόδες ἀργοί. [139] ἀστραγάλου ὀκτὼ πόδες. [140] Ἑτέρων [141] ἡμιέργων τῆς λείας ἐργασίας, [142] τῶν ἀπὸ τῆς στοᾶς μῆκος τετράπο [143] δα, πλάτος τρίποδα, πάχος πέντε [144] παλαστα[ί], λεῖα ἐκπεποιημένα [145] ἄνευ κατατομῆς. [146] Γωνιαία ἐπὶ ταῖς προστάσιν ταῖς [147] πρὸς ἕω μῆκος ἕκποδε, πλάτος [148] παλαστοῦ ἡμιποδίου, πάχος [149] πέντε παλαστα[ί]. [150] Τούτων τοῦ ἑτέρου ὃ λείας ἐνεργα [151] σίας ἐνέργαστο, τὸ δὲ κυμάτιον [152] [ποδ]ιαῖον καὶ ὁ ἀστράγαλος, [153] τοῦ δὲ ἑτέρου ἀργὸν, κυματιο τρεῖς [154] πόδες καὶ ἡμιπόδιον, τοῦ δὲ ἀστρα [155] γάλου ἀργοὶ πόδες πέντε [156] ἐπὶ τῶν τοίχων τῶν πρὸς τοῦ Πανδρόσου [157] μῆκος ἑπτὰ ποδῶν καὶ ἡμιποδίου [158] πλάτος τριῶν ποδῶν καὶ ἡμιποδίου [159] ἡμίεργον (γων?) τῆς λείας ἐργασίας [160] μῆκος ἑκποδῶν, πλάτος τριῶν [161] ποδῶν καὶ παλαστῆς, πάχος πέντε [162] παλαστοὶ, καὶ τῶν τοίχων τῶν πρὸς [163] τὸ Πανδρόσειο[ν] [164] τούτου ἀστραγάλου ἀτμήτου πόδες [165] πέντε... [166] Αἰετιαῖοι τῶν ἀπὸ τῆς στοᾶς μῆκος [167] ἑπτὰ πόδες, πλάτος τριῶν ποδῶν [168] καὶ ἡμιποδίου, πάχος ποδιαῖο[ι] [169] οὗτοι ἡμίεργοι, [170] ἑτέρου μῆκος πέντε πόδε πλάτος [171] τριῶν ποδῶν καὶ ἡμιποδίου πάχας [172] ποδιαῖοι ἡμ[ιποδι]ου . . . [173] Γεῖσα ἐπὶ τοῖς αἰετοῖς πλάτος [174] ἡμιποδίων, μῆκος τετ-

Digitized by Google

τά[175]ρων ποδῶν καὶ ἡμιποδίου πάχος [176] ποδιαῖα τὴν λείαν ἐργασίαν [177] ἡμίεργοι ε . . . . . [178] ἕτερον ἡμίεργον τῆς [179] λείας ἐργασίας. [180] Θύραι λίθιναι μῆκος ὀκτὼ ποδῶν [181] καὶ παλαστῆς, πλάτος πέντε [182] ἡμιποδίων [183] τούτων τὰ μὲν ἄλλα ἐξεπεποί[184]ητο ἐς τὰ ζυγὰ ἄδετα ει (η?) τοὺς λίθους [185] τοὺς μέλανας ἐνθῆναι [186] ὃς τῷ ρουτρῳ τῷ πρὸς ἕω [187] ἡμίεργον [188] τῷ τόμῳ τῷ το ου ἔσω λίθοι Πεν[189]τελεικοὶ μῆκος τετράποδες, [190] ὕψος δυοῖν ποδοῖν καὶ παλαστ[ῆς], [191] πάχος ποδιαῖοι, [192] ἕτερος τριτ . . . .

ANNOTATIONES.

Lin. 1. *τοῦ ἐν πόλει.* Refert huc Chandler locum Pausaniae I cap. 26 *τὸ δὲ ἁγιώτατον ἐν κοινῷ πολλοῖς πρότερον νομισθὲν ἕτεσιν ἢ συνῆλθον ἀπὸ τῶν δήμων, ἐστὶν Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἐν τῇ νῦν ἀκροπόλει τότε δὲ ὀνομαζομένῃ πόλει. φήμη δὲ ἐς αὐτὸ ἔχει πεσεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ.* Templum idem putat hoc esse, quod Xenophon Hellenicorum I, 6 refert Olympiadis 93 anno $\frac{2}{3}$ conflagrasse: *ὁ παλαιὸς τῆς Ἀθηνᾶς νεὼς ἐν Ἀθήναις ἐνεπρήσθη.*

Lin. 2. *Ἀγγύληθεν.* Stephanus Byz. et Hesychius *Ἀγγελὴ* et *Ἀγελὴ* habent, sed Codex Mediceus Harpocrationis in v. *Τριπέφαλος* in fine addit, teste Gronovio: *Τοῦτον δὲ φησὶ Φιλόχορος ἐν τρίτῃ Εὐπλείδην ἀναθεῖναι Ἀγκύλησι.*

Lin. 10. *πλίνθους.* Hesychius: *πλίνθος, μέρος τι τῆς κεφαλῆς τοῦ κίονος.* Recte! Sed de capitulo dorico dici discimus a Vitruvio 4, 3, 4. *Crassitudo capituli dividatur in partes tres, e quibus una plinthus cum cymatio fiat, altera echinus cum anulis, tertia hypotrachelion.* Suprema igitur pars capituli *πλίνθος* a forma qua-

Digitized by Google

Lin. 48. *Ἀνθεμίου.* Hesychius: *Ἀνθέμιον — τόπος Ἀθήνησιν ἐν τῇ ἀκροπόλει.* quem locum annotavit Chandler.

Lin. 52. *Κυμάτιον.* In capitulo dorico supra posui ex Vitruvio; sed saepius et frequentius in epistylio cymatium dicitur et memoratur.

Lin. 55. *ἀραρδότα.* Saepius repetitur idem participium, quod in scriptoribus vix reperietur; nec coniectura assequor, unde derivandum putem. De *ἀραρεῖν* enim suspicari non licet. Ponitur de spira l. 65.

Lin. 58. *ἐν τῇ προστάσει.* Redit lin. 62. 63. 77. *in fronte* vertit Chandler. Sed videtur vocabulum idem significare, quod *προστὰς*, Hesychio *πρόστωον.*

Lin. 60. *τοὺς ὀρθοστάτας ἀπαραξέστους.* parietum orthostatas habet etiam Vitruvius.

Lin. 64. *τὰς σπείρας.* Parietum spiras dicere videtur, ut Vitruvius columnarum et stereobatarum spiras nominat. Hesychius *κυγαίας*, Photius et Suidas *κυγαῖα*, tradunt esse *τὰς σπείρας τῶν πιέρων.*

Lin. 67. *τὴν κρηπῖδα.* Parietum *κρηπῖδα* crepidinem dicit Hesychius *κεφὶ τὴν ἀρχιτεκτονίαν τῆς κτίσεως ἐφ' οὗ οἱ στυλοβάται.* Muri *κρηπῖδα* nominavit Xenophon Anabas. 3, 4, 7 et 10.

Lin. 73. *τῆς παραστάδος. Antas* vertit Chandler *ναὸν ἐν παραστάσιν* Vitruvii cogitans. Sed numerus singularis satis arguit aliud esse *παραστάδα;* de qua dictum fuit ad Vitruvium.

Lin. 75. *ἀλδώματος.* Vocabulum vitiose *ἀλδίωμα* scriptum cum coniectura, esse pro *ἄλσος* positum, transiit hinc in Lexicon graecum meum.

Lin. 79. *τῶν βωμῶν τοῦ θεοῦ τοῦ.* Ita licebit verba a Chandlero omissa tanquam dubia, interpretari vel coniicere.

Lin. 82. *ἰμάντας.* Forte pertinet huc locus Hieronymi ad Habacuc I c. 2 p. 1609 Tom. III Ed. Mart. *Quod enim lingua Hebraica dicitur chaphis, lignum significat, quod ad continendos parietes in medio structurae ponitur, et vulgo apud Graecos appellatur ἰμάντωσις.* Hesychius etiam *τὰ πύλῳ τῶν τροχῶν*

Digitized by Google

σιδήρια, canthos ferreos, quibus rotae vinciuntur, interpretatur. In Homerico παρὰ πληῖδος ἱμάντα Hesychius cum Apollonio τὸ πανόνιον τὸ συνέχον τὴν θύραν interpretatur. Hoc in loco dubium est qua de parte muri aut ianuae dicatur.

Lin. 84. πλειτοὺς λίθους. Licebit fortasse comparare Hesychii πλείπους, πόσμος τὶς τοῦ παλουμένου γείσου. et Pollucis 1, s. 85 πλειτοπόδιον, quod idem esse ait, quod φάλπις in fundo navis dicitur, id est τὸ τῇ στείρᾳ προσηλούμενον, ἀφ' οὗ ἡ δευτέρα τρόπις.

Lin. 90. τὰς πάλχας τὰς ἐν ταῖς ἐπιστυλίοις. Hesychius: πάλχη — μέρος πεφαλῆς πίονος. Sed ad epistylia refert inscriptio. Volutam capituli Ionici et Corinthii novimus, sed inscriptio eandem in epistyliis doricis collocare videtur. Volutam interpretatur etiam Cel. *Fiorillo*, *Kleine Schriften* T. I p. 142.

Lin. 92. Chandler posuit: [Ἀδε λ— οι[π]α παντελος εχσεργα-σμε[να] (94) ἀ χαμαι. Sed in marmore inest εδελ ποινα παντελος. Postremum ἐξεργασμένα χαμαι de meo dedi. In marmore est ἐξεργασμε sine ullo vestigio lacunae: sequens versus incipit *HA*, quod positum interpretor pro *NA*.

Lin. 118. Γεῖσα. Scripturam vocabuli veram hinc obtinemus: haec dicuntur λεῖα ἐπτετοιημένα ἄνευ πατατομῆς, quae interpretari equidem non possum. Redeunt eadem verba versu 144.

Lin. 123. ἀστραγάλου ἑπατέρου. Astragalum cum cymatio in superiore columnae et capituli parte memorant architecti, sed astragalum etiam in basi columnae.

Lin. 166. Αἰστιαῖοι. Fastigiorum lapides videtur intelligere. Versu 173 γεῖσα ἐπὶ τοῖς αἰστοῖς memorantur, quae supra ianuam prominent.

Lin. 180. Θύραι λίθιναι. Portas lapideas interpretatur Chandler. Memorabilis est longitudo octo pedum cum palmo, latitudo duorum pedum cum dimidio. Quae sint partes forium, quae lin. 184 ζυγὰ ἄδετα dicuntur, qui sint λίθοι μέλανες, equidem ignoro. Fortasse *iugamenta* portarum Catonis de Re rustica c. 14 et Polybii 7, 16 ζύγωμα τῶν πυλῶν comparare licet.

Digitized by Google

Lin. 186. τῷ ρουτρῳ. In marmore est *TOI H... POTTPOI.* unde alii exsculpent, quod ad rem facit.

Lin. 188. τῷ τόμῳ. Nec horum vocabulorum sensum exquirere licet, quibus sequentia forte lucem foenerari poterant.

AD CAPUT V.

Aedes autem sacrae — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. hoc ordine verba collocant: *Ad regiones autem quas debent spectare aedes sacrae deorum immortalium.* quem equidem praefero.

signum — cella — Sulp. Guelf. Wrat. *signumque.* Deinde Guelf. Wrat. *cellae.*

uti qui — immolantes — Fran. *ut qui.* Deinde *imolantes* Rodiana. Postea *spectant ad partem* Wrat.

aedem — coeli — Sulp. *eandem.* Fran. *eadem* cum Vossiano Laeti. Deinde *coelum* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat.

exorientia — Wrat. *exorientis.* Surgentia cum sole interpretatur Philander, quem sequitur Perraltus cum Galiano.

videatur — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *videantur.* Quae scriptura fortasse erat tenenda. Similis enim est dictio cap. sequentis 6 sect. 1 *reliqua quae altiora erunt ad perpendiculum videntur oportere collocari.*

2.

Sin autem — Wrat. *Si autem.* Deinceps *earum regionum constitutiones* Sulp. Fran. Vossianus Laeti, Guelf. Wrat.

e templis deorum — Wrat. *et templis.* Deinde *eorum* Vatic. Fran. Guelf. Wrat.

aedes sacrae fient — Vatic. Guelf. Wrat. *aedis.* Sulp. Vatic. Franeck. Guelf. Wratisl. *sacra.* Sulpic. Vatic. Franeck. Guelf. Wratisl. *fiet.*

fluminis ripas — Wrat. *ripas fluminis.* Deinde *videtur* Sulp. Denique *aspicere* Sulp. pro *respicere* dedit.

Digitized by Google

AD CAPUT VI.

Sulpiciana inscribit *De ostiorum et antepagmentorum sacrorum rationibus.* Iocundus dedit *De ostiorum et antepagmentorum sacrarum aedium rationibus.* Galiani, quem sequitur Rodiana, omisit verba *et antepagmentorum.* Ceterum Servius ad locum Aeneidos VI, 43 *quo lati ducunt aditus centum, ostia centum:* ita annotavit: *Non sine causa aditus dixit et ostia: nam Vitruvius, qui de Architectonica scripsit, ostium dicit, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum; aditum ab adeundo, per quem ingredimur.* Quae quidem Varronianis similiora sunt quam Vitruvianis, quanquam *aditus* diversos ab *ostiis* habet etiam noster I, 2. IV, 6 et VI, 4. Idem Servius ad I, 453 *nexaeque aere trabes: foribus cardo stridebat aenis:* ita docet: *Multi nixae legunt non nexae, iuxta Varronem qui ait:* Trisulcae fores, pessulis libratae dehiscunt, graves atque innixae in cardinum tardos turbines: — *Fores proprie dicuntur quae foras aperiuntur, sicut apud veteres fuit. Valvae autem sunt, ut dicit Varro, quae revolvuntur, et se velant. Ianua autem est primus domus ingressus, quia Iano consecratum est omne principium. Caeterum intra ianuam ostia vocantur generaliter, sive valvae sint sive fores, quamvis usus ista corruperit.*

antepagmentorum — Wrat. *antepigmentorum.* Deinde Sulp. *quo genere futurae sunt.* Ordinem verborum mutavit Iocundus, *sint* prima dedit Rodiana consentiente Guelf. Wrat. Festus: *Antipagmenta valvarum ornamenta, quae antis adpanguntur id est adfiguntur.* In libris Catonis c. 14, 4. *antepagmenta* sunt sine varietate scripturae, ad quem locum Abr. Gronovius annotavit in Codice Salmasiano Festi scriptum esse: *anta his adpinguntur*, ipse ex libro Barthii corrigit *anticis* (i. e. ianuis) *adpinguntur.* Philander lapides utrumque ostii latus munientes, qui et antae dicantur et παραστάδες, interpretatur. Contra quem Salmasius Exercit. p. 856 monuit ex Festo antepagmenta diversa esse

Digitized by Google

ab antis; has fuisse lapideas, illa lignea operuisse et ornavisse antas; praeterea dicta fuisse non ab antis, sed quod ante pangerentur, ut *antefixa*. Primus Perraltus recte in Vitruvio vertit *Chambranles*, quem in Catone vertendo secutus est alter Gallus. Nec enim latera solum ostii sed etiam limen superius vestiisse antepagmenta docet Inscriptio a Philandro primum edita ad h. l. in Editione posteriore, quae legem continet parieti faciundo ante aedem Serapis Neapoli. Ibi leguntur haec: *In eo pariete medio ostii lumen aperito latum P. VI altum P. VI facito ex eo pariete antas duas ad mare vorsum, proicito longas P. II crassas P. I S. insuper id limen robustum long. P. VIII latum P. I S. altum P. S≡ Imponito insuper id et antas mutulos robustos duos crassos S≡ altos P. I. proicito extra parietem in utramque partem P. IV insuper simas pictas ferro offigito. insuper mutulos trabiculas abiegneas II crassas quoquoversus S. inponito, ferroque figito. inasserato asseribus abiegneis sectilibus crassis quoquoversus ≡ disponito ne plus S≡ operculaque abiegnea inponito ex tigno pedario. Facito antepagmenta abiegnea lata S≡ crassa ⅓ cumatiumque inponito ferroque plano figito, portulaque tegito tegularum ordinibus senis quoquoversus: tegulas primores omnes in antepagmento ferro figito, marginemque inponito eisdem. Fores clatratas II cum postibus esculinis facito statuito occludito picatoque ita uti ei ad aedem Honoris facta sunt.*

symmetriae conspiciuntur — Primus Iocundus interseruit verba *Dorici generis*, quae ignorant Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wratisl.

superius imponitur — Sulpic. Vatic. 1 *est superius*. Deinde *ponatur* Sulp. *ponetur* Vatic. 1. Fran.

hypaethri — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *hypetri* dant, quod primus Iocundus in *hypothyri* mutavit, ipsum hiatum ostii, *χάσμα τῆς θύρας* Pollucis X, 24 interpretatus, quem secuti sunt reliqui Editores. Sed vocabulum novum ex officina Iocundi primum prodiit, nec ullam habet rationem significationis, quae huic

Digitized by Google

loco conveniat. Τπόθυρον rectius diceretur inferior ostii pars, limen inferius, ut ὑπέρθυρον quod supra ostium et antepagmenta est. Sed ὕπαιθρον dicitur quidquid est sub divo nec tectum: omne igitur spatium inter antepagmenta conclusum, vacuum, nec tectum hic dicitur hypaethrum. Ciseranus *hyperthyri* vertit, annotata tamen scriptura Iocundi *hypothyri*. Illud vocabulum unde arripuerit, non dixit.

tres semis — Sulp. *tres et semis*. Philander, cum putaret coronam sua altitudine ita deformem fieri, *semis* hinc sublatum post *duae partes* collocari voluit; quod fecit Rode, auctoritatem Neutoni interpretis praefatus.

duodecim — Vatic. 2. *viginti* dat. Sequens *quinque* omittit Wrat. Ciseranus monuit haec: *Nota che gia trovai scripto una glosa che pare debia dire il texto* septem et media.

ab imo ad sexdecim — Fran. *sedecim*. Deinde pro *tertia* dat *II*. Vitium vulgatae lectionis acutè animadvertit Meister in N. Comment. Goett. p. 167 qui *a minimo* corrigi voluit, etiam numerum *XVI* in *XX* mutari voluit; vel sic tamen numeris aliquid deesse monuit. Scilicet verba *ab imo* possunt quidem illa locum suum tueri, uti latitudo *in imo* quae est significetur, sed tum sequentia *ad sexdecim* non habent quo referantur. Igitur aut cum Meistero scribendum *a minimo*, aut si *ab imo* toleres, tum deinceps *a minimo* adiungenda sunt. Mihi scribendum videtur *si erit lumen in imo a minimo ad sexdecim pedes*. Eadem dictione saepiuscule Vitruvius in altitudine et contractura columnarum definienda usus est.

sexdecim pedum — Vitium apertum non tetigerunt Interpretes, quod corrigo: *si a sexdecim pedibus ad viginti quinque*. Deinceps *quarta parte* Sulp. Wrat.

reliqua quae — Ita cum Wrat. scripsi pro *quo*.

2.

[*crassa fiant — duodecima*] — Haec uncis seclusi, quoniam in libris scriptis Fran. Guelf. Wrat. et in Sulp. desunt;

Digitized by Google

supplevit ea Iocundus ex ratione Ionica sect. 3 ubi est *Crassitudo antepagmentorum altitudine luminis in fronte quarta decima parte.*

contrahanturque — Sulp. Wrat. *que* omittunt. Deinde *crassitudinis suae* Wrat.

Crassitudo supercilii — Ita Sulp. Vatic. Guelf. Fran. *Supercilii crassitudo* Wrat. Iocundus *Supercilii altitudo* dedit.

cymatium Lesbium — Ita Sulpic. Guelf. Wrat. cum Edd. *Lesbio* nescio quo auctore quave sententia dedit Rodiana. Lesbium cymatium nominat Aeschyli fragmentum apud Pollucem 7, 122 ἀλλ' ὁ μέν τις Λέσβιον φατνώματι κῦμ' ἐν τριγώνοις ἐπεραινέτω ῥυθμοῖς. ubi difficile est interpretari, quae dixerit φατνώματα poeta.

collocandum est hyperthyrum — Wratisl. *locandum.* Sulpic. *hipetrum.* De vocabulo ὑπέρθυρον breviter est dicendum. Pollux I, 76 τὸ ὑπὲρ τὰς θύρας ὑπέρθυρον καὶ ὑπερθύριον· τὸ δὲ προῦχον τοῦ ὑπερθύρου ἢ ὑπερθυρίου γεῖσσον, γείσωμα. Sic etiam Hesychius γεῖσσον interpretatur τὸ ἐν ταῖς οἰκίαις ἢ τειχῶν ἐξέχον κυμάτιον. Idem Pollux 7, 122 τὰ ὑπέρθυρα etiam ὑπερτόναια dicta refert. Homerus in magnifica Antinoi regis domo describenda Odysseae 7 versu 90 et 91 nominat postes cum hyperthyrio: σταθμοὶ δ' ἀργύρεοι ἐν χαλκέῳ ἕστασαν οὐδῷ, ἀργύρεον δ' ἐφ' ὑπερθύριον, χρυσέη δὲ κορώνη. ubi Scholia σταθμοὺς interpretantur per vocabulum παραστάδες, contra ὑπερθύριον, τὸν ἐπάνω τῶν θυρῶν τόπον, locum supra ianuam. Vulgo *superliminare* interpretantur vocabulo Pliniano, quod tamen ex libri 29 cap. 4 exterminavit Gronovii diligentia, quem secutus Harduinus ex libris scriptis *supero limine* edidit, non *superliminari.* Vossius noster rectius posuit: *Silbern auch oben der Kranz.* Eustathius superum limen, cui cardo superior ianuae inseratur, interpretatur. In Hesiodei Scuti versu 271 est χρύσειαι δέ μιν (πόλιν) εἶχον ὑπερθυρίοις ἀραρυῖαι ἑπτὰ πύλαι. ubi Scholia graeca explicant ita: πύλαι ἡρμοσμέναι καὶ κεκλεισμέναι ἐν ὑπερθυρίοις ἦγουν τῇ φλιᾷ ἢ ἐν κλεισίν. In cantico apud Athenaeum 8 p. 360 qui hirundinis

Digitized by Google

nomine mendicant, canunt: *εἰ μέν τι δώσεις· εἰ δὲ μή, οὐκ ἐάσομεν, ἢ τὰν θύραν φέρωμεν ἢ τὸ ὑπέρθυρον.* ubi superum limen vertitur. Quam late pateat vocabuli significatio in Vitruvio, est manifestum, ubi diversum a supero limine, positum est supra supercilium antepagmenti, cymatiumque eius.

sima scalptura — Philander *sine scalptura* corrigentem Seb. Serlium monuit, id fieri contra librorum fidem; *simae scalpturae* astragalum esse, qui fieret parum eminentibus expressionibus; id vulgus vocare humiliter relevatum; sive qui resimas caprarum nares sua scalptura id est lineamento imitaretur, non torulum, ut caeteri, sed echinulum. Laetus Claudii Salmasii annotationem hanc nescio unde translatam posuit: *Forte Simas scalptas vel pictas. nam in tabula marmorea* (supra posui verba) *habes* Simas pictas. *Vel delendum scalptura. Sic enim legendum:* et in eo scalpendum est cymatium Doricum, astragalum Lesbium, simas.

Corona plana cum cymatio — Ita Sulpic. Guelf. Wratisl. Vulgo erat ex emendatione Iocundi: *Corona deinde plana fiat cum cymatio.* Pro sequenti *autem* in Wrat. est *et*, et postea *proiecturae sic sit faciendae.*

crepidines — Perraltus: *Les extremités des cymaises debordant à droite et à gauche elles se joignent exactement.* Scilicet is Philandrum sequitur, qui *margines extremitates*, *proiecturas* interpretatur, addens: atque adeo ornamenta omnia circumcurrant et iunctiones ad unguem et *κατὰ τὸ ἀκριβὲς* conterminentur. Contra Galiani vertit: *e gli aggetti a destra ed a sinistra saranni tali, che avanzino i piedi, e le cimase debbono unirsi a unghia.* Annotationem adiecit hanc: *a destra ed a sinistra dell' architrave si facciano piccoli sporti, come si vedono segnati 5 nella fig. 5 Tav. XI e come è solito vedersi specialmente nelle porte e finestre antiche. Questi sporti hanno da essere tali, che avanzino i piedi delli stipiti, excurrant (extra) crepidines. Gia si sa, che gli stipiti laterali non cadevano a piombo, prima per la restrizione superiore del lume della porta, secondo per l' assottigliamento superiore degli stessi stipiti: onde questi allunga-*

Digitized by Google

menti, proiecturae, dell' architrave a destra ed a sinistra debbono esser tanto, che lo sporto uguagli quel tanto di quanto per l'assottigliamento di porta, e di stipite è venuto a ristringersi la parte superiore: e oltre a ciò un tantino di più, quanto copra il piede degli stipiti, uti crepidines excurrant. Rode vertit: *die Auslaufungen sind also zu verfertigen, daſs die Anwachsungen vorstehn und daſs die Kehlleisten vollkommen genau zusammen passen.* In annotatione haec adiecit: dextra ac sinistra cymatium coronae circumcurrere et in ipso angulo ad unguem id est accurate iungi debere. Scilicet viri docti Iocundi interpolationem secuti sunt omnes, quae sententiam loci obscuravit. Sulp. enim cum Vatic. Fran. Vossiano Laeti, Guelf. Wrat. habet quod dedi *ipso cymatio*, Iocundus autem *ipsa cymatia* dedit. Ita demum apparet, quocum proiecturae sint coniungendae. *ipso* antique dictum pro *ipsi*. Wrat. *coniungatur* dat.

in ungue — Celsus VIII, 1 *caeterae quîdem cranii suturae in unguem committuntur, hae vero, quae super aures transversae sunt, totis oriš paulatim extenuantur, atque ita inferiora ossa superioribus leniter insidunt.* Inde quid sit apparet, et simul manifestum est in Vitruvio scribendum *in unguem*. Galenus *σύμκηξιν εἰς ὄνυχα* dixit. Mathematici veteres Graeci p. 66 *ἐκ' ὄνυχος συμβεβλημέναι γωνίαι.*

3.

futurae — Guelf. Wrat. *futura.*

partis unius ima — Sulpic. *p. unius sima.* Fran. *p. unius sima lit in his fiat.* Guelf. *p. unius ima.* Wratisl. *p. unius una.* Iocundus temere edidit: *p. unius semis ima.* Sed iam olim Philander ad h. l. ita: Sic fiet lumen in ima parte latius medio intercolumnio, quod certe vitiosum et deforme est. Ut fortasse sincerior sit Msti Codicis lectio, in quo deest vox *semis.*

contracturae — Hinc Capitulum XII exorditur Wrat. Deinde *uti in Doricis* Sulp.

altitudinis luminis — Ita Sulp. Vulgo est *altitudine.* Postea *dividitur* Fran.

Digitized by Google

harum trium — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *horum.* Wratisl. *tria.* Deinde pro *fiat* est in Wrat. *fuit.*

eaeque corsae — Sulp. Vossianus Laeti, Guelf. Wrat. *ex ea aeque.* Ex Franeck. etiam *aeque* annotatum reperi. Infra sect. 6 Franeck. cum Vossiano habet *gorsae.* Hesychius: *κόρσαι, αἱ τῶν ὀφρύων τρίχες καταφέρουσαι εἰς τοὺς ὀφθαλμούς, ἢ γνάθοι ἢ πορυφαί. Ἀχαιοὶ δὲ κεφαλὰς, ἐπάλξεις, προμαχῶνας. στεφάναι πύργων ἢ πρόταφοι ἢ πλίμακες.* Idem est vocabulum *κόρρη*, quod Scholiastes Theocriti XIV, 34 *σιαγόνα* et *γνάθον* interpretatur, Hesychius *τράχηλον ἢ τὸ ὀπίσω τοῦ τραχήλου ἢ πρόταφον.* Cf. Pollux II, 40. Interpretatio haec posterior spectat ad dictionem *ἐπὶ κόρρης πλῆξαι.* Vocabulum idem *κόρση* est et *πρόσσα* vel *προσσός*, etiam *πρωσσός.* Extremas et summas partes corporum, turrium, murorum et vestium significat, ut ad Iliadis *μ*, 258 docent Scholia Veneta p. 301. *σταυροῖσι κορσωτῇ πτέρυξ* in Lycophronis Alex. versu 291 alii Codices scribunt *προσσωτή.* Scholia interpretantur *πτέρυγα τοῦ τείχους, τὴν παράστασιν τῆς οἰκοδομῆς.*

4.

Hyperthyra — Guelf. Wratisl. *Hypetrae*, Sulpic. *Hipetrae.* Sequebatur vulgo *in Doricis hyperthyridibus.* Equidem postremum vocabulum, quale est in Codd. scriptum, omisi tanquam varietatem sequentis *parotides.* Sulp. *portis pedibus*, Fran. *ptis pedibus*, Guelf. *protis pedibus*, Wrat. *prothis pedibus.*

parotides — Sulp. Guelf. *protides*, Wrat. *prothides*, Fran. *ptides*, Vatic. *prothydes.* unde Iocundus *prothyrides* effecit. Ciseranus *prothydes*, *protides* et *protyspedes* ex libris annotavit. Equidem *parotides* propius a scriptura Codicum conieci; quod vocabulum loco et rei convenit. *Ancones* enim Philander, quem omnes Interpretes sequuntur, interpretatur mensulas, quae capitibus suis in volutarum anfractus implicantur ad S maiusculi et oblongi formam, et praependent ab ima corona secundum antepagmenta ad libramentum imi supercilii. *Consoles* vertit Perrault, *cardelle o sieno mensole* Galiani. *Die Kragsteine die auch Sei-*

Digitized by Google

tenrollen heifsen, Rode. Parotides glandulas nemo ignorat; epotides navium et machinarum infra videbimus libro X.

vocentur, *exsculptae* — Sulp. Guelf. Wrat. *vocantur*. Fran. *exscalptae*. Guelf. Wrat. *et scalpta*.

imi — *folium* — Sulp. *imis*. Verba *praeter folium* Perraltus interpretatur: *sans comprendre le feuillage qu'elles* (les consoles) *ont au bas*.

Eae habeant — Sulp. Wrat. *Hae habeant*. Deinde *ex antepagmentis* Sulp. Guelf. Wrat. Sequens *partibus* omisit Wratisl. *unam* postea omittunt Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Denique *graciliore* Sulp. Fran. Guelf. Wrat.

cardinales sint ex altitudine — Philander *cardinatos* interpretatur, addens: oportet scapos eos, quorum cardinibus id est cuspidibus et edolatis lingulis, uti vocat Columella 8 c. 11 invertuntur fores, esse adversis ex duodecima parte luminis longiores. Quam sententiam ut ex verbis Vitruvii extundamus, accipienda sunt ita: uti scapi cardines utrinque habeant duodecima parte altitudinis luminis totius. Dura est, fatcor, oratio, sed utcunque tolerabilis; quanquam Perraltus instabat, ita Vitruvium scripturum fuisse *scapi cardinales — parte longiores*. Ipse igitur latitudinem scaporum intelligens *duodevigesima parte* corrigit. Sed vel sic addendum erit *late*, et numeri mutatio violenta est. Praeterea non apparet, cur Vitruvius *scapos cardinales* nominaverit, si scapi utriusque latitudinem simpliciter definire voluit. Igitur *cardines* equidem malim scriptum, levissima omnium mutatione. Galiani *ex latitudine luminis* scribere ausus interpretatur locum: *che le imposte cardinali sieno la duodecima parte della larghezza di tutto il vano*. At sic vir doctus incidit in aliam difficultatem. Nam primum addendum erat *lati;* quod tamen etsi concedamus intelligi posse, causa tamen non apparet, cur latitudo scaporum cardinalium ex latitudine luminis definiatur, mox autem scaporum (duorum reliquorum interpretatur Galiani) latitudines dimidia parte impagis definiantur; denique non recordatus est vir doctus luminis latitudinem summam non esse aequalem imae; men-

Digitized by Google

suram igitur scaporum latitudinis certam *ex latitudine luminis totius* sumi non posse. Rodiana versio mihi sensu omni plane cassa esse videtur, quae sic habet: *Daſs die Zapfenſchenkel einen Zwölftheil der Höhe der ganzen Oeſnung, die Füllungen aber zwiſchen beyden Schenkeln drey jener Zwölftheile haben.* Ceterum Sulp. pro *luminis* male dat *liminis*, postea *trinas partes* Wrat. *Tympana* quae vocat Vitruvius, *paginas* dixit Plinius 16 s. 82 de abiete: *eadem valvarum paginis et ad quaecunque libeat intestina opera aptissima.* Ita enim vulgatum antea *repagulis* ex Codd. fide correxit Brotier.

5.

Impagibus — Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *Impaginibus* dant. Deinde *ut* Sulp. Festus: *Impages dicuntur quae a fabris in tabulis figuntur, quo firmius cohaereant, a pangendo.*

collocentur: ex reliquis — Sulp. Guelf. Wrat. *et reliquis.* Baldus in Lexico Vitruviano p. 100 *collocetur* malebat scriptum, quod de media impage sermonem esse putabat, in medio spatii medii collocata. Scilicet Baldus genere foemineo impagem usurpat, quem Vitruvius masculo dixit et quidem numero plurali.

Altitudo impagis — Ita Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *Latitudo* dedit Iocundus.

Scaporum latitudines — Verba *latitudines — dimidia parte* omisit Wrat.

replum — Alia notione est vocabulum infra X, 17. Vossius ad h. l. ita: *Glossaria, rera, ἡμίκοκον. et postea: repia, ἡμίκος pro ἡμίκοκος. Est autem ἡμίκοτον Hesychio ἡμίπλευρον.* Ad illum vero locum idem ita: *Cheloni replum est Philoni p. 71 δι' ὧν τὸ χελώνιον ἄγεται. Lege repium.* At contra Turnebus Advers. XI, 4 utrobique *peplum* reponi voluit. Locus est in Glossario Philoxeni, quem spectavit Vossius. Salmasius in Exercit. p. 881 *replum* interpretatur, quod replicari potest, ut duplum, quod duplicari. Philander coronicem impagis dici arbitratur replum, quae ornamenti causa impagi adpingeretur praeter cyma-

Digitized by Google

tium, quod partem esse impagis animadvertit. Salmasii annotationem hanc apposuit Laet: *replum est quod introrsum replicatur; dicitur enim ut duplum, triplum et similia.* Bertani sententiam ita refert Perraltus: *Bertanus prend replum pour le poteau du milieu qui est commun aux deux battans, et qui en couvre la jointure.* Baldi sententiam ipse secutus vertit *le chassis.*

Scapi qui sunt ante secundum pagmentum — Ita libri editi et scripti omnes, quos equidem noverim. Perraltus vertit: *les montans qui font le second assemblage.* Is scilicet corrigi voluit *scapi qui faciunt secundum pagmentum.* Contra Baldus in Lexico Vitruviano sub voce *Replum* p. 100 corrigi voluit *qui sunt secundum antepagmenta.* Quam coniecturam orationi Vitruvii intulit Rodiana Editio, eandemque vertendo reddidit Galiani: *le imposte accanto allo stipite o sia architrave.* At enim vero Vitruvius sic repetit inutiliter, quae supra dixerat: *Scaporum latitudines impagis dimidia parte.* Quare equidem totum hoc membrum ex librarii interpretatione in margine olim apposita ortum habuisse censeo; ideoque uncis iniectis seclusi.

Sin autem valvatae erunt — Wrat. *Si autem.* Valvatas Barbarus interpretatur *porta ripiegata*, Perraltus *porte à deux battans.* Contra Galiani ex loco qui sequitur *ipsaque forium ornamenta non fiunt bifora sed valvata* constare affirmat sensum vocabuli esse plane diversum, et intelligi portam, quam Itali *bussola* vocent, quamque ipse vertit: *porta a un pezzo.* Idem intelligi ex verbis *in latitudinem adiiciatur amplius foris latitudo.* Galianum sequitur versio Rodiana. Plinius *valvas* Theophrasti θύρας interpretatus est duobus in locis; *lumina fenestrarum valvatà* habet Vitruvius libri VI cap. 6 ut Plinius 2 Ep. 17 *valvas aut fenestras non minores valvis habet undique.* At Salmasius Exercit. p. 651 ex eo, quod Varro valvas dictas esse ait, quod revolvantur ac sese velent, duplicabiles complicatilesque interpretatur, quas Graeci διαπίστους dicant. Isidorus fores et valvas distinguit, et valvas appellari tradit, quae duplices complicatilesque sunt. Vel ex etymo Varronis apparet geminatas fores

Digitized by Google

dici valvas, contra ac putavit Galiani. Duplices fores significat numerus pluralis, quo valvae frequentantur. Hinc *bifores valvae* Ovidio Metamorph. 2, 4. Hoc ipso tamen Ovidii loco usus Perraltus arguit valvas interdum etiam esse eiusmodi quales Galiani dixit. Itaque sect. 6 *antepagmenta valvata* vertit *n' ayant qu' un battant qui s' ouvre en dehors.* Is igitur Galiano praeivit, sed significationem inusitatam ad alterum tantum locum transtulit.

quadriforis — adiiciatur — Sulp. *quadriformis.* Guelf. Wrat. *adiciatur.*

6.

iisdem — Wrat. *isdem.* Deinceps *gorsae* Fran. Voss. Postea *antepigmentis circumdatur* Wrat.

uti antepagmenta — Sic Sulp. Guelf. Wrat. *uti antepagmenti* Fran. Iocundus temere *uti in antepagmentis* edidit, quo facto sequentia etiam interpolare necesse ei fuit. Deinde *habeat* Sulp.

ipsaque non fiunt — Ita Sulp. Guelf. Wrat. Fran. Temere Iocundus *ipsaque forium ornamenta non fiunt* edidit, simul etiam ineptissime. Nam forium ornamenta non sunt bifora, nec valvata, multo minus dici possunt habere aperturas in exteriores partes. At recte antepagmenta ipsa, quae fores includunt, dici possunt bifora et valvata, ut Vitruvius libri 6 cap. 6 *lumina fenestrarum valvata* dixit. Vitium vulgatae lectionis egregie vidit Perraltus; igitur scripturam: *ipsaeque fores non fiunt cerostrotae neque bifores sed valvatae* praeferebat, quam reperit in Editione cum Codice manuscripto comparata, quam possidebat, quamque pluribus in locis laudavit, ita, ut scriptura eius plerumque cum Sulpiciana Editione conveniat. Sunt tamen loci, ubi plane diversus abit ille liber, quorum princeps est hic ipse, in quo adhaesit Perraltus.

celostrata — Antiquam Sulp. Fran. Guelf. Wrat. scripturam restitui, quam Iocundus in *cerostrota* mutavit, vocabulum Plinio usurpatum libri XI cap. 37 ubi de cornibus: *Apud nos in laminas secta translucent atque etiam lumen inclusum latius fundunt, multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta nunc sublita nunc quae cerostrata picturae genere dicuntur.* ubi

Digitized by Google

tamen scripti libri *cestrota* dant, quam scripturam commendante inprimis Salmasio Exercit. p. 163 receperunt Editiones recentiores ab Harduino inde. Voluit Salmasius esse genus picturae encausticae laminarum cornearum cestro vel vericulo factam. Locum interpretationi isti dedit Plinius 35 sect. 41 ubi est: *Encausto pingendi duo fuisse antiquis genera constat, cera, et in ebore cestro id est vericulo, donec classes pingi coepere. Hoc tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo utendi, quae pictura in navibus nec sole nec sale ventisque corrumpitur.* Deinde de pictura vestium Aegyptiaca subiungit Plinius, nihil de pictura laminarum cornearum. Itaque in Plinio ipso causa mutandae lectionis vulgatae nulla uspiam reperiri potest, nisi forte vocabulum *cestrum*, instrumentum, quo in ebore pingebant, cum quo scriptura Codicum *cestrota* similitudinem gerit. Verum in rebus explicandis ignotis Criticum verborum vel syllabarum similitudinem sequi non decet, ne dicam in mutandis scriptorum verbis. Primum res erat testimoniis scriptorum veterum demonstranda, deinde usus vocabuli *cestrotus* exemplis certis confirmandus. Neutrum Salmasius fecit; *κεστρωτὸν ξύλον* ex Hesychio tantum posuit, quod ille lignum praeacutum recte interpretatur a *κέστρᾳ* vocatum. Tamen etiam in Vitruvio vulgatam a Iocundo scripturam in *cestrota* mutare ausus est, de scriptura librorum manuscriptorum nimis hic securus. Addit tamen p. 164: Si *cerostrata* apud Vitruvium retinendum esset, non ramentis et tessellis insertorum cornuum picta, ut placet doctis hominibus, explicari oporteret, sed ceris fusis et stratis inusta, *κηρόστρωτα*, non *κερώστρωτα*. Nam *κηρόστρωτα* recte dici queunt, quae ceris inducta sunt, ut *μαρμαρόστρωτα* et *λιθόστρωτα*; Graeci tamen *ἔγκαυστα* dicunt, non *κηρόστρωτα*, quae sic picta sunt. Hucusque Salmasius, in cuius postrema hac annotatione decet mirari pertinaciam hominis in emendando Vitruvio. Nam *κηρόστρωτα* graece dici non potest ut *λιθόστρωτα*; cera enim liquida non sternitur insterniturve cornibus ut lapides et marmora: itaque ineptissima est illa ratio scribendi et defendendi cerostrota. Idem ad Vopiscum p. 393

Digitized by Google

apposuit locum Hesychii, qui πίστρωσις interpretatur ἡ τὴν βαφικὴν μιμουμένη, artem quae tincturam imitatur. ubi Salmasius sine causa γραφικὴν, picturam, scribi voluit. Sed has turbas peperit Iocundi temeritas in corrigendo, qui non solum *forium ornamenta* induxit, ubi Vitruvius sola *antepagmenta* nominat, et dubiam librorum scriptorum lectionem vocabulo ex Plinio arrepto mutavit ad antepagmenta plane inepto. Vitruvius enim, uti sequentia etiam docent, de forma forium antepagmentis iungendarum docere voluit, non de ornamentis forium. Barbarus narrat in libris duobus scriptum se invenisse *clathrata*, quod tamen ipse reprobavit, contra Philander praeferebat, comparans Panthei Agrippae fores clathratas, et quas etiam Inscriptio Puteolana a Philandro primo edita (in loco supra posito) nominat factas eodem modo, quo fuerunt olim ad aedem Honoris. In eandem scripturam propensum video Rodii animum in animadversione adiecta versioni germanicae; quanquam Galiani, ubi Barbari versionem apponit: *quelle porte non si fanno a gelosie*, subiungat eam versionem sensu carere: *non aver senso questa traduzione.* Cuius iudicii rationem equidem non intelligo. Baldus vitiosam lectionem vulgatam pariter censens *claustrata* scribi maluit, male interpretatus, quae unica constant fore. Sed is usum eum vocabuli exemplis firmare non potuit, recte monente Galiano. Equidem ex librorum scriptorum vitiosa scriptura non video quae probabilior et vestigiis vitiosae similior possit exsculpi lectio, quam *clathrata*, quam ipsam duo libri Barbaro inspecti exhibuerunt, nisi forte is locum Philandri in annotatione ante oculos habuit, ubi Philander antestatur *exemplaria*, in quibus *clathrata* sit scriptum. Verum nunc demum reperio Ciseranum vertisse scripturam *clathratae*, qui simul alteram *cerostratae* et *catharatae* annotavit p. 92.

bifora — Wrat. *bifero.* De ianuis in exteriores partes apertis memorabilis est locus Dionysii Halicarn. Antiquit. 5, 39 ubi narrat Romae hoc olim M. Valerio fratri Poplicolae soli datum honoris causa, ut aedes eius Capitolinae haberent fores apertas in

Digitized by Google

exteriorem partem: *ταύτης τῆς οἰκίας αἱ πλειστάδες θύραι μόναι ἐν τῇ Ῥώμῃ δημοσίων τε καὶ ἰδιωτικῶν οἴκων εἰς τὸ ἔξω μέρος ἀνοίγονται.* Plutarchus de eadem re: *τῶν θυρῶν εἴσω τῆς οἰκίας εἰς τὸ πλεισίον ἀνοιγομένων, ἐκείνης μόνης τῆς οἰκίας ἐποίησαν ἐντὸς ἀπάγεσθαι τὴν αὔλειον.* et mox: *προϊούσαις ταῖς πλειστάσιν εἰς τὸν στενωπόν.* Plinius 26 sect. 24 no. 6 *summusque illarum* (domorum) *honos erat sicut in L. Valerio Poplicola — et fratre eius — adiici decreto, ut domus eorum fores extra aperirentur et ianua in publicum reiiceretur. Hoc erat clarissimum insigne inter triumphales quoque domos.* Scilicet templis Deorum apud Graecos et Romanos propria fuit haec foriúm apertura in exteriorem partem. Hinc cum cives Athenienses quidam primum coepissent domorum fores in publicum aperire, Hippias tyrannus fores eas tributarias fecit, teste Aristotele Oeconomicorum 2, 15. *Ἱππίας ὁ Ἀθηναῖος τὰ ὑπερέχοντα τῶν ὑπερώων εἰς τὰς δημοσίας ὁδοὺς* (*γεισιποδίσματα* dicit) *καὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς καὶ τὰ παραφράγματα καὶ τὰς θύρας τὰς ἀνοιγομένας ἔξω ἐπώλησεν·* (publicanis locavit) *ὠνοῦντο οὖν ὧν ἦν τὰ πτήματα· συνελέγη χρήματα οὕτως συχνά.* ubi *παραφράγματα* vertuntur praemunita vestibula. Codex Camerarii *περιφράγματα* dat. Sunt septa; ut *παραφράσσειν* et *περισχοινίσαι τὰ ἱερὰ* diebus nefastis dicit Pollux libri 8 sect. 141.

aedium sacrarum — Sulpic. *sacr. aedium.* Sequens *in* omittit Fran. ut postea vocabulum *Doricis* deest in Sulpic. Franeck. Guelf. Wrat.

Nunc de Tuscanicis — Hinc Capitulum XIII exorditur Wrat. Pro *dispositionibus* Sulp. dat *institutionibus.*

AD CAPUT VII.

aedis — Sulpic. *aedes* hic et sect. 2. Deinde *adempto* Fran. Vatic.

Longitudo — bipartito — Wratisl. *Latitudo*, deinde cum Guelf. *bipertito.* Vocabulum *dispositioni* idem Wrat. omittit. *dispositione* habet Fran.

Digitized by Google

2.

ternae — Wrat. *trinae*. Deinde *cellae minores* nominantur cum *media* comparatae; ante simpliciter *cellae* audiebant.

sive ibi alae futurae sint — Vulgatum *ubi* ex Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Vossiano Laeti correxi, qui male *aliae* dant. *sunt* est in Guelf. Wrat. quod si probaveris, *ubi* est scribendum. *Alas* viri docti dictas putant pro pteromate seu columnarum ordine simplici laterali. Ita etiam Stieglitz, Archaeol. II p. 24. Sed cum dubia sit scriptura, nec exempla aedium talium peripterorum reliqua hodie sint, nolim ei interpretationi nimis confidant viri docti.

pronao — Est ea pars totius spatii, quae antea fronti proxima audiebat.

extremorum e regione — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. praepositionem omittunt: quae scriptura fortasse comparato loco sequenti defendi potest, ubi est *iisdem regionibus* pro eo, quod vulgo dicimus in eadem linea. Deinde *parietum quae* Wrat. *inter antam* Codex Laeti.

ut inter antas — Sulp. Guelf. Wrat. *et inter antas*. Deinde *isdem regionibus* Wrat. Postea *altera aedes ponatur* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. quam scripturam recepit Rode, ipse tamen postea reiecit, et in folio denuo impresso vulgatam restituit. Denique statim postea *eque* Sulp. Wrat. *aeque* Guelf. Fran. pro *eaeque* dant. Ceterum si compares locum cap. 8 sect. 5. *Nonnulli de Tuscanicis generibus sumentes columnarum dispositiones transferunt in Corinthiorum Ionicorumque operum ordinationes, et quibus in locis in pronao procurrunt antae, in iisdem e regione cellae parietum columnas binas collocantes efficiunt Tuscanicorum et Graecorum operum communem ratiocinationem.* is plane confirmare videtur Rodianam interpretationem huius formae templi. Itaque verba *iisdem regionibus* referuntur ad angulares columnas iisque oppositas antas, et sunt posita pro *iisdem locis, quibus antae et priores* (angulares) *positae sunt,*

Digitized by Google

alterae disponantur. Scilicet post angulares utrinque columnas disponit Vitruvius medias duas inter angulares, e regione parietum, qui sunt inter antas et mediam aedem vel cellam. Sed in vulgata lectione est de his mediis: *ita distribuantur, ut inter antas et columnas priores* (id est angulares) *per medium iisdem regionibus* (i. e. in eadem linea qua angulares) *alterae* (duae) *disponantur*, quasi ex mediarum inter angulares columnarum dispositione pendeat et definiatur collocatio duarum columnarum inter antas et angulares positarum. Quod minime verum esse res docet. Quare ut haec rerum inter se minime a natura connexarum copulatio, quae sententiam loci obscurat et pervertit, tollatur, regrediendum fuit ad scripturam Sulp. Guelf. Wratisl. ubi est *et inter antas et columnas priores — alterae disponantur.* Superest tamen *ita* a Vitruvio positum alieno in loco, quod difficultatis aliquid habere videatur, et quod Iocundum in errorem deduxit. Collocandum erat ab initio statim: *ita* (i. e. post angulares positas) *duae mediae — distribuantur.* Ita non opus erit cum Stieglitzio in Archaeologia II p. 19 locum corrigere inserto vocabulo *reliquae.* Volebat enim vir doctus scribi: *duae mediae e regione parietum, qui inter antas et mediam aedem fuerint, reliquae ita distribuantur* et cet. Quo facto statim apparet vocabulum *alterae* ante *disponantur* abundare. Quam varie interpretati sint hunc locum aut potius vim verbis Vitruvianis fecerint, longa disputatione opus esset, si enarrare vellem. Postremus interpres Genelli in eadem linea utrinque ternas columnas in fronte pronai disponit, cuius ex sententia scribendum Vitruvio erat: *ut contra antas et inter columnas priores* (angulares) *per medium alterae disponantur.* Nescio vero quid in mentem venerit Rodio, qui in Editione sua veterem lectionem *altera aedis ponatur* revocavit, quam recte explosit Genelli; nullus enim in pronao locus aedi vel cellae alteri; nec ante eius mentionem fecit Vitruvius, sed spatium totum pronai columnis distribuit. Deinde aedes haec altera collocabitur non inter antas et columnas medias duas, ut fieri voluit Rode, sed potius ex

Digitized by Google

fide verborum inter antas et columnas angulares, qui locus est ineptissimus aedi in pronao collocandae.

tertia parte latitudinis templi — Sulpic. habet transposita verba *templi latitudinis*. Wrat. *altitudinis*, ut deinde *crassitudinis una* pro *imae*. Guelf. Sulp. *ima* dant. Plinii locum 36 cap. 23 *antiqua ratio erat columnarum altitudinis tertia pars latitudinum delubri* comparavit iam olim Philander.

3.

altae dimidia — Sulp. Guelf. Wrat. *alia* dant. Deinde *ad circinum* intellige factam, elaboratam, id est circularem.

apophysi — Sulp. Vatic. *apophisi*, Fran. Cotton. *apopysi*, Guelf. Wratisl. *apopisi*. Dictum ea de varietate supra ad cap. 1. Vulgo erat *apophygi*.

plintho quae est in abaco — Restitui Vitruvio suum ex Sulp. Fran. Guelf. Wrat. quod temere Philander mutavit *pro abaco* scribens aut *quae est abacus*. Qui rem, inquit, intelliget, facile iudicabit. Mirationem viro docto videtur fecisse *plinthus* in abacum translata, quae in basi columnae locum quasi suum habere videtur. Sed si plinthus in capitulo columnae doricae supra cap. 3 recte et proprie dicitur a Vitruvio, quidni plinthum in abaco Tuscanicae columnae proprie dicere potuit? Ibi scilicet est: *Crassitudo capituli dividatur in partes tres, e quibus una plinthus cum cymatio fiat, altera echinus cum anulis, tertia hypotrachelion.* Contra Rode verba *quae pro abaco est* ita interpretatur cum Stieglitzio, Archaeologie T. I. p. 171 quasi Vitruvius abacum circularem sive *ad circinum* dicere voluerit; quam opinionem reiecit Genelli.

cum apophysi — Ita plane est in Cotton. et libro Laeti, etiam in Franeck. sed a secunda manu. *apophisi* Sulpic. *apopisi* Guelf. Wrat. Ciseranus annotavit in uno libro legi ἐπιφορις, in alio *apophigi*, addens haec: *nam epirephis* (voluit ἐπηρεφὴς) *significat copertus, altus — ma si il texto dicesse* σκιγηγυιο *significaria una tabula longa.* Quae quidem ipse solus intelle-

Digitized by Google

xerit. Philander ante haec verba inseruit temere *cum astragalo*, sed astragali mentionem Galiani non necessariam esse putavit, cum apophysis cum hypotrachelio nominata fuerint, inter quas partes medius esse soleat astragalus. Omisit interpolationem etiam Rode, sed recepit Perrault.

4.

trabes compactiles — Praeeunte Galiano, qui *travi accoppiati* vertit Perraltum secutus, Rode interpretatur *zusammengekämte Balken.* Philander tignis coniunctis compositas interpretatur, quas easdem euerganeas dictas esse vult libri 5 cap. 1. Scilicet ibi est: *Supra columnas ex tribus tignis bipedalibus compactae trabes sunt circa collocatae:* et paulo post: *supra eas ex duobus tignis bipedalibus trabes euerganeae circa sunt collocatae.* Contra Genelli Fasciculi I p. 19. 25 et 26 voluerat esse trabes divisas, partibus invicem iunctis vel commissis. Sed in altero Fasciculo p. 48 errorem agnovit et ad Perralti interpretationem rediit. Idem cum Philandro euerganeam trabem facit eandem cum compactili, et monet fuisse, qui pro *euerganeae* scribi vellent *aeternae.* In libro decimo machinarum quarundam postes compactiles fiunt eadem ratione.

uti sint altitudinis — Sulp. *et altitudinis* omisso *sint*, quod facit etiam Guelf. Wrat. Deinde *his qua magnitudine — postulabantur* Sulp. *hiis quae magnitudine postulabantur* Wrat. *qua magn. — postulabantur* etiam Fran. *quam magn.* dat Guelf.

ut eam habeant — Ita Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *tantam* vulgo est. Deinde *hypotrachelion* Sulp.

compactura — Plinius aliique *compagem* dixerunt. Plinius 11 sect. 48 *capitis ossa plana tenuia sine medullis serratis pectinatim compagibus structa.* Deinde *habeant* Guelf. Wrat.

perflatum recipiunt venti — Hoc ordine verba collocat Sulp. Male eadem *flatum* dat omisso *per.* Deinde *calefaciuntur* Wrat. *cum calefaciunt* Vatic. 2.

Digitized by Google

5.

traiecturae mutulorum — Philander male interpretatur proiecturas tignorum, ut ad sect. extremam docebo. Deinde *proiciantur* Guelf. Vocabulum *altitudinis* in *latitudinis* mutavit Galiani. De nimia altitudine, quam dat vulgaris lectio, iam olim admonuit Perraltus: quam dubitabundus explicare conatus est vertendo: *Ces pieces de bois avec les murs qui sont dessus et les mutules qui font saillie, auront tous ensemble la quatrième partie de la hauteur de la colonne.* Galiani et Hirtii opiniones reiecit Stieglitz, Archaeologie T. I p. 204.

antepagmenta — Philander, quem sequitur Galiani, ornamenta, quibus tignorum frontes operiuntur, interpretatur. Rode posuit *Verkleidung*, Genelli mavult *Bekleidung* et comparat locum ex hoc ipso libro de triglyphis: *tabellas ita formatas, uti nunc fiunt triglyphi, contra tignorum praecisiones in fronte fixerunt, uti praecisiones tignorum tectae triglyphorum dispositione non offenderent visum.*

supraque ea — Sulp. Guelf. Wrat. Fran. *supraque id.* Deinde *tympanum fastigiis* dedit Laetiana, quam ipsam scripturam Galiani ita interpretatur: *il tamburo coi suoi frontespizi.* a quo recte discessit Rode. In libri 3 cap. 5 sect. 12 est de Ionicis columnis: *Tympani autem, quod est in fastigio, altitudo sic est facienda* et cet. Nostri dicunt *Giebelfeld.* Forium tympanum capite antecedenti Rode *Füllung* dixit. Plinius 18 sect. 74 de torculari: *tympana imposita vinaceis superne toto pondere urgere, et super prela construere congeriem.* ubi sunt asseres plani ac lati, uvis exprimendis impositi. Idem paulo post sect. 77 no. 1 gromam ita describit: *regulis paribus in tympanum exiguum sed circinatum adactis.* ubi Harduinus tabulam solidam ac planam interpretatur.

structura seu de materia — Quod insersit Iocundus *ex* ante *structura* omisi cum Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Vidi etiam Editiones, quae sequens *de* omittunt.

Digitized by Google

supraque id fastigium — Pro *id* Sulpic. Fran. *eum*, Guelf. Wrat. *enim* dant.

columen, cantherii, templa — Ex Sulp. Guelf. Wrat. *columen* restitui; recentiores *culmen* dederunt. Deinde *canterii* Sulp. Supra in Capite de ornamentis columnarum est: *Trabes supra columnas et parastaticas et antas ponuntur: in contignationibus tigna et axes sub tectis; si maiora spatia sunt, culmen in summo fastigio columinis (unde et columnae dicuntur) et transtra et capreoli; si commoda, (spatia) columen et cantherii prominentes ad extremam subgrundationem: supra cantherios templa: deinde insuper sub tegulas asseres ita prominentes, uti parietes proiecturis eorum tegantur.* Deinde subdit: *alii in aliis operibus ad perpendiculum triglyphorum cantherios prominentes proiecerunt, eorumque proiecturas simaverunt. Ex eo, uti e tignorum dispositionibus triglyphi, ita e cantheriorum proiecturis mutulorum sub coronis ratio est inventa. Ita fere in operibus lapideis et marmoreis mutuli inclinati scalpturis deformantur, quod imitatio est cantheriorum. Etenim necessario propter stillicidia proclinati collocantur. Ergo et triglyphorum et mutulorum in Doricis operibus ratio ex ea imitatione inventa est. — et quemadmodum mutuli cantheriorum proiecturae ferunt imaginem. — Quod ergo supra cantherios et templa in veritate debet esse collocatum, id in imaginibus si infra constitutum fuerit, mendosam habebit operis rationem: ideo quod nec cantherii nec asseres contra fastigiorum frontes distribuuntur, nec possunt prominere, sed ad stillicidia inclinati collocantur.* Haec pertinent ad mutulorum interpretationem. *Traiecturae mutulorum* dicuntur pro mutuli trabium in latitudine templi traiectarum, ut ait Vitruvius in atrii Tuscanici descriptione. Hanc trabium directionem in versione omisit Rode cum Galiano. Scilicet cum Philandro uterque *traiecturas mutulorum* interpretatur *proiecturas tignorum. Les mutules qui font saillie* vertit Perrault.

ut stillicidium — tertiario respondeat — Vatic. 2 *ternario.*

Digitized by Google

Wrat. *respondeant*. *Tertiarii* vocabulum interpretatur Philander cum transtris ligna quae a tecti culmine ducta in utrumque latus a capreolis et columnari columna sustinentur. Contra Turnebus Advers. XI, 4 eo usque proiecturam stillicidii esse faciendam interpretatur, ut in ea insit tertia pars tecti. Turnebum sequitur Perraltus, tertia tamen ad parietes relata ita: *que la pente du toit soit pareille à celle du fronton qui doit être fort élevé*. Galiani vertit: *in modo que lo scolo di tutto il tetto prenda a tre lati*. Newton ita: *that the gutters of the whole roof may correspond in a triple number*. Rode: *daſs die Traufe des ganzen Daches Drittel entsprechen möge*. Interpretationem hic addit eam, ut tertia parte totius altitudinis tecti stillicidium ultra trabes proiici velit. *Tertiarium* pro tertia parte Cato R. R. cap. 95 item *quartarium* pro quarta parte, interpretante Plinio, ut Columella 12, 5, 1 usurpavit. Tertiarium igitur tecti absoluti, id est totius tertia pars, confertur in stillicidium a Vitruvio. Turnebi interpretatione reiecta Baldus, quod ita enorme fit ingentis tecti stillicidium, ita Vitruvium explicat, ut totius tecti contignatio trabeatione tertiario id est trigonae figurae ipsius fastigii, quod in fronte est, ad amussim respondeat. Contra quem monuit Perraltus eam Vitruvii annotationem plane inutilem fuisse futuram, quia in omnibus operum generibus tecta respondeant fastigiorum frontibus. Praeterea ita verborum significationi infertur vis, et ea detorquentur a sua notione in alienam. Denique Genelli locum ita interpretatur: *daſs des vollendeten Daches Abhang das Drittel des Ganzen (Tempels) erreiche*. ubi cum Perralto stillicidium de inclinatione tecti explicat; in reliqua interpretationis parte id maximum inest vitium, quod *tertiario* non habet, quo referatur.

AD CAPUT VIII. (vulgo VII. sect. 6 sqq.)

Monopterae — Sulp. statim hic adiicit *dicuntur*. Guelf. Wrat. *monopteroe* scriptum dant, ut deinde *peripteroe*, propius a graeco *μονόπτεροι — περίπτεροι*.

Digitized by Google

tribunal et ascensum — Galiani tribunal, id est locum editum, suggestum, in medio templo collocat et ascensum per ipsum templum ducentem ad tribunal; contra alii, quos sequitur Rode et Genelli, tribunal seu suggestum circumdant columnis, et adscensum per istum suggestum extra templum collocant. Rode adeo textum ita refingi voluit: *tribunal id est adscensum.* quo nihil ineptius potuit excogitari. Sed video Perraltum etiam in versione posuisse: *sont comme un Tribunal où l'on monte.* Mihi sententia Galiani unice vera videtur. Vitruvius enim si voluisset ascensum et tribunal extra templum collocatum intelligi, disertius rem explicasset, uti fecit in periptero: *duo gradus et stylobatae ab imo constituantur.* Deinde quid est causae, quod cellae mentionem omissae tam arcte iungat Vitruvius cum tribunali et adscensu, nisi voluit cellae locum a tribunali occupatum significare?

sua diametro tertiae partis — Ita Sulp. Fran. Guelf. Wrat. nisi quod *suo* Guelf. Wratisl. Iocundus *suae diametri tertia parte* dedit.

stylobatas — Sulpic. Fran. Laeti Voss. *stylobatae*, Guelf. *stylobata*, Wrat. *stillabata.* Vitium correxit Philander. Deinde *constituantur* Sulp.

ab extremis stylobatarum partibus est diametros — Wratisl. diverso ordine: *ab extremis partibus est diametros stylobatarum.* quae mihi scriptura cum ordine verborum sola placet. Vulgatum *parietibus* nemo intelligit, nec ullus interpretum vertit praeter Perraltum, qui reddidit: *le diametre pris d'une extremité de la muraille qui fait le piedestal, à l'autre muraille opposée.* Contra Galiani: *quanto e tutto il diametro da fuori a fuori.* Rode: *der Durchmesser von einem bis zum andern Ende des Umfangs des Säulenstuhls.*

crassitudine — decimae — Ita Sulp. pro *crassae — decumae.* Posterius *decimae* dant etiam Guelf. Wrat. Perralti coniecturam *nonae* scribentis expressit vertendo Rode. Is scilicet ordinis Corinthii symmetriis eum numerum magis convenire putabat.

Digitized by Google

zophorus — Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. *zophorum*. Deinde *quarto* dant Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. et Laeti liber.

2.

duo gradus et stylobatae ab imo — Wrat. *duae* dat. Deinde *stylobata* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Laeti Codex exhibent. Verba *ab imo* Vatic. 2 dicitur inserere post *a stylobata*.

cum recessu eius a stylobata — Recte Galiani vertit *discosto dal zoccolo*, male Rode: *darauf führe man die Zellenmauer sammt der Nische in einem Abstande von ungefähr einem Fünftel der Breite von dem Säulenstuhle auf*. Omnium falsissima est interpretatio Hirtiana, quae *recessum* parietis de crassitudine explicat, uti recte admonuit Genelli, qui nostram interpretationem confirmat comparato exemplo gemino tholi ex antiquitate superstitis Romanae alteriusque Tiburtinae.

ad aditus — Temere vulgatam omnium librorum scriptorum et editorum in *ad adscensum* mutavit Rode, quasi minus inepte dicatur locus valvarum in pariete exstruendo relinqui ad adscensum quam ad aditus. Ceterum Galiani in versione *la porta* ponens in forma Tabulae IX portas quatuor expressit.

tantam — diametrum — Vatic. Wrat. *tantum*. Deinde *stylobata* Guelf. Wrat.

circuitionem — Guelf. *circumitionem*. Recessum parietum a stylobata interpretatur Genelli cum aliis; quanquam mihi inepte recessus ille hic a Vitruvio tanquam pars cellae una cum parietibus cellae nominari videtur. Galiana *di diametro netto dalle mura d'intorno* posuit, ut censuram effugeret.

iisdem proportionibus — Galiani vertit *colle solite proporzioni*, eumque sequitur Rode. Sed Vitruvius *easdem* dicit, id est eas, quas in monoptero posuerat. In Periptero Romana altitudo columnarum aequat diametrum cellae cum parietibus, in Tiburtina aequat diametrum cellae sine parietibus; crassitudo in illa est fere undecima pars altitudinis, in hac vero nona. Corinthias columnas a Vitruvio respici putat Genelli.

Digitized by Google

3.

Tecti ratio ita habeatur — Ineptissimam et temerariam librarii interpolationem Codicis Sulpiciani, ubi est *In medio tecti*, non animadverterunt Interpretes, nec adeo recentissimum Guelferbytani libri auctoritas admonefecit. In eo scilicet ut in Wratisl. et Franeck. verba *In medio* recte omissa sunt. Ipsa etiam verborum structura ea repudiat. Si enim *medio tecti* iungas, verba *ratio ita habeatur* non habent, quo referantur: quod si vero *tecti* seiunxeris a *medio*, nullum adest vocabulum, quod cum *medio* iungi possit; nec enim *in medio periptero* dici potest, sed dicendum *in media periptero*, intellecto *aede*.

totius operis — Inepte totius tholi interpretatur Hirt; intelligitur tota aedes.

De *tholo* nunc est dicendum, variisque vocabuli significationibus. *Θόλος* auctore Hesychio proprie est *camara*, catachrestice autem etiam oecus in acutum desinens tectum habens; tale fuisse addit Athenis Prytaneum, et genere foemineo dici *τὴν θόλον*. De Atheniensium tholo Pausanias I, 5 Harpocratio et Suidas cum Timaeo p. 142. Vocabulum genere foemineo de publico aliquo Byzantiorum aedificio extat etiam in Oratione Demosthenis de Corona; igitur Doriensibus fuit cum Atticis commune. In Homerica Odyssea 22, 442 *μεσσηγύς τε θόλου καὶ ἀμύμονος ἕρκεος αὐλῆς* Scholia brevia interpretantur *κυκλοτερὲς οἴκημα*, rotundum aedificium, a verbo *περιθέω* derivantia; addunt usum: ubi vasa reponebant usus quotidiani, veluti crateres, pocula et similia. Hunc eundem locum respicit glossa Hesychii: *καὶ τόκος ἐν ᾧ τὰ συμποσιακὰ σκεύη ἀπόκειται*. Sed idem etiam *οἶκον στρογγυλοειδῆ* interpretatur, aedificium rotundum, *δι' ὀστράκων εἰλημένον*. i. e. ostreorum testis fornicatum, ad instar antri nympharum. De usu verbi *εἴλημα*, *εἰλητὸς* multa disputat Salmasius Exercit. p. 858. Etymologicum M. in hoc vocabulo annotat praeter genus foemineum formam tecti: *ὀροφὴν εἶχε περιφερῆ οἰκοδομητὴν, οὐχὶ ξυλίνην, ὡς τὰ ἄλλα οἰκοδομήματα*. i. e. tectum habuisse rotundum structum, non ligneum, quale est reliquorum

Digitized by Google

aedificiorum. Cum quo verbotenus convenit Lexicon Rhetoricum laudatum a Ruhnkenio ad Timaeum p. 142. De sexu vocabuli monet Sextus adversus Grammaticos I, 7. alios masculinum usurpasse.

Hinc derivatum θολιὰ Hesychius interpretatur petasum in acumen contractum, et umbellam, σπιάδιον. Utitur vocabulo Theocritus Idyllii XV, 39 ubi Scholia utramque interpretationem afferunt. Hesychius σαλίαν habet, quod interpretatur κλέμμα παλάθῳ ὅμοιον ὃ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φοροῦσιν αἱ Λάκαιναι. alios θολίαν vocare. Gestamen igitur vitile, calatho simile, fuit mulierum Lacaenarum, quo caput obumbrabant. Dialectus Laconica θ in σ mutavit, ο in α, ut in pluribus vocabulis. Usum θαλίας commemoravit Pollux VII, 174 et X, 127 et 138. vitile textum rotundum vocans. Serior usus vocabula θολίαν et σπιάδα de aedificiis frequentavit, annotante Etymologici M. auctore in Σπιὰς, ubi est: τὸ ᾠδεῖον τῶν Λακεδαιμονίων κατὰ τὴν ἀρχαίαν φωνήν· οἶκος γάρ ἐστι στρογγύλος. τοὺς δὲ τοιούτους, διὰ τὴν ὀροφὴν ἔχειν μιμήματα τῶν σπιαδείων, σπιάδας οἱ πάλαι προσηγόρευσαν. ἐκεῖ δὲ μετωνόμασται σπιάδης (lege cum Sylburgio σπιάδες) καὶ τὸ πολὺ πλῆθος τῶν Ἑλλήνων θολίας ἐπάλουν αὐτὰς, καὶ τοὺς οἴκους τοὺς περιφερεῖς οἱ μὲν θόλους οἱ δὲ θολίας προσαγορεύουσι: i. e. postquam vulgus Graecum umbellas (σπιάδας) dicere coepit θολίας, factum est, ut etiam aedificia rotunda θόλους et θολίας dicerent. Ita non egemus correctione Hemsterhusii ad Pollucis VII, 174 καὶ γὰρ τοὺς οἴκους. Lexicon Rhetoricum apud Eustathium ad Odysseae locum supra positum vocabulum θόλος interpretatur στέγας, ἐκάλεσεις, καμάρας. Posteriorem *camarae* significationem veluti primam et propriam annotavit Hesychius; cuius sententiam confirmare videtur locus Pollucis X, 138 ubi cistam operculo curvo (θολοειδὲς κῶμα ἔχουσαν) tectam θολίαν vocari tradit.

Peculiarem usum σπιάδος annotavit Pollux VII, 174 ubi ait: σπιὰς, ὑφ' ᾗ πάθηται ὁ Διόνυσος. Iterum X, 137 de σπιάδι: οὕτω γὰρ καὶ τὸ Διονύσου σπιάδιον καλεῖται. Hesychius: σπιὰς — καὶ τὸ θολοειδὲς σπιάδιον, ἐν ᾧ ὁ Διόνυσος πάθηται. Eadem Photii

Digitized by Google

Lexicon habet cum addita Eupolidis comici auctoritate. Eiusmodi videtur umbraculum esse, quod in pompa Bacchi commemorat Callixenus Athenaei 5 p. 198 de Baccho: *περιέπειτο δ' αὐτῷ καὶ σκιὰς ἐκ κισσοῦ καὶ ἀμπέλου καὶ τῆς λοιπῆς ὀπώρας πεποσμημένη.* Hinc suspicor tectum *θολοειδὲς* templis Bacchi proprium fuisse. In oeco Bacchico Ptolemaei describendo Callixenus Athenaei 5 p. 206 *στέγη δὲ τῆς τοῦ θεοῦ διαθέσεως οἰκεία.* quae vertunt: *tectum vero congruens Dei ingenio.* Minime omnium *διάθεσις* ingenium significat et miror Interpretem nuperum ad hunc locum plane obmutuisse, cum ad rem veteribus forsan notissimam et solemnem, nobis vero hodie minus cognitam respexerit scriptor. Equidem, uti dixi, tectum oeci cameratum intelligi suspicor; sed *τὴν τοῦ θεοῦ διάθεσιν* aliis interpretandam relinquo. Forte *τῶν ναῶν* excidit.

Redeo ad *tholum*, quem Vitruvius h. l. de tecto adhibuit, eius *altitudinem* memorans. Contra Praefatio libri VII s. 12 Theodori librum de *tholo qui est Delphis* ponit, ubi est aedis genus. Eiusdem libri c. V. s. 5 *tholorum rotunda tecta* vel, ut aliis placet, *tholi in morem rotunda tecta* habet. Unde usum vocabuli a Vitruvio ipso variatum cognosces. Addo nunc aliorum scriptorum loca. Varro de R. R. 3, 5, 12 *accessus in tholum, qui est ultra rotundus, columnatus, ut est in aede Catuli, si pro parietibus feceris columnas.* De qua Catuli aede aliunde non constat. Suspicari forte licebit intelligi non aedem Iovis Capitolini, a Sylla restitutam, quam Catulus dedicavit nomenque suum inscripsit, teste Plutarcho Poplicolae cap. 15 *ἐπεγράψῃ τῇ καθιερώσει;* sed potius aedem *Fortunae huiusce diei* (*Τύχης τῆς ἡμέρας ἐκείνης* Plutarcho Marii cap. 26) quam in praelio cum Cimbris voverat Catulus, quamque bis memoravit Plinius 34 s. 19 no. 1 et 5 Cicero Legum 2, 11. Porticum a Q. Catulo de manubiis Cimbricis in Palatio in domo eversa M. Flacci factam habet Cicero pro Domo c. 30. Servius ad Aeneid. 9, 408 *alii tholum aedium sacrarum dicunt genus fabricae* (*quale est aedes* supplet Gesneri Thes. L. L.) *Vestae et Pantheon. Alii tectum sine parietibus* (*monopteron* Vitruvii)

Digitized by Google

columnis subnixum. Aedes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere, Vestae, Dianae vel Herculi vel Mercurio. In Virgilio l. c. est: *dona — suspendive tholo.* De laconico Claudianus 49, 62 *afflatosque vago temperat* (fluvius) *igne tholos.* Martialis 2, 59, 2 *ex me Caesareum prospicis ecce tholum.* Idem 1, 71, 10 *qua Cybeles picto stat Corybanthe tholus.* Varro in Bimargo Nonii cap. 6 p. 217 sub vocabulo *sulcus*: *Et pater divum trisulcum fulmen mittat in tholum Marcelli.* ubi alii *macelli* legunt. Suidas de Damiano, Ephesio Sophista sub Severo imperatore, refert eum Bithyniae praefuisse, *καὶ τὴν στοὰν τὴν ἐκ τῆς Ἐφέσου εἰς τὸ ἱερὸν θολικὴν κατεσκεύασε*, ubi vertunt *tholis ornavit.* Sed usum istius aetatis diversum monstrant loca Procopii de Aedificiis Iustiniani *ὄροφος ἐν θόλῳ ὑπερηώρηται* 1, 8. *στοὰν δὲ ποιοῦσιν οἱ πίονες, ὄροφον ἐν θόλῳ ἐλίττουσαν* 1, 10. *κυρτώμασι γεγονόσι θόλων* 2, 5. *στοὰν ἐκανέστησεν ἐν θόλῳ τῷ τείχει* 4, 11. *τῶν τοίχων καθύπερθε θόλους ἐνθέμενοι.* Cameram igitur seu fornicem significat *θόλος.* Ovidius Fastorum 6, 265 de aede Vestae rotunda: *A pluvio vindicat imbre tholus.* ubi tectum rotundum intelligit. Auctor nescio quis in Aristotelis *Θαυμασίοις* c. 104 de Sardiniae insulae antiquitatibus tradit, multa ibi esse monumenta structurarum graeco more factarum, veluti *θόλους περισσοῖς τοῖς ῥυθμοῖς κατεξεσμένους*, ubi vocabulum *ῥυθμοῖς* ad varias sed alienas notiones detorquet cum A. F. Meistero nuperus Interpres. Nam in eodem libello c. 145 *ῥυθμοὶ τῶν γραμμάτων* ut apud Herodotum 5, 58 sunt formae, figurae et ductus litterarum. Verbum *κατεξεσμένους* significat tholos fuisse structos lapidibus in varias figuras concisis. Ad quem locum Becmannus posuit locum Statii Theb. 2, 733 *figamque superbis arma tholis.* ubi Lactantius habet haec: *Tholus est in media templi camera locus, in quo voventium primitiae aut exuviae figebantur.* Arnobius adversus gentes 6 p. 193 templa nominat, *quae sunt tholis aureis et sublimibus elata fastigiis.* Tholi usus et significatio antiquissima fuisse videtur de tecto rotundo imposito et sustentato a columnis. Fuisse tamen etiam

Digitized by Google

templa quadrata columnis sine tecto rotundo sustentata suspicor ex h. l. Pausaniae 6, 24, 7. *Ἡλείων δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἄλλο τοιόνδε εἶδον ναοῦ σχῆμα· ἔστι δὲ οὐχ ὑψηλὸν, καὶ τοῖχοι μὲν οὔπω εἰσὶ, τὸν ὄροφον δὲ δρυὸς ἀνέχουσιν εἰργασμένοι κίονες. — Θόλου τοῦτο ἂν μνῆμα εἴη.* Si forma monumenti et tecti rotunda fuisset, Pausanias more suo annotasset, quod facere ubique in tectis rotundis solet. Itaque sic habes aedificium antiquissimum quadratum *monopteron.*

Quod ait Servius de aede Herculis rotunda, confirmat locus Livii 10 c. 23 *Pudicitiae Patriciae quae in foro boario est ad aedem rotundam Herculis.* De ea Plinius 34 s. 16. *Hercules ab Evandro sacratus, ut produnt, in foro boario, qui triumphalis vocatur.* Unde apparet formam templorum antiquissimam fere rotundam fuisse, quod supra templorum graecorum argumentis colligebam.

Flos autem — Guelf. Wratisl. *flos enim.* Deinde *habet* Sulpic. Wrat.

in columnis — Ineptissimam Iocundi interpolationem *in summo columnae* damnat Sulpiciana, Guelf. Wratisl. Franeck. *summo* omittentes. Franeckeranus solus *columnis:* deinde *pyramides* Sulpiciana dat. Vocabulum *summo* nec Perrault nec Galiani nec Rode reddidit.

praeter pyramidem — Ne pyramis cum columnae capitulo iungatur, sed potius cum flore, admonente Perralto, comma erat ponendum post *capitulum.* Pyramidem ipsam intra florem collocant Galiani, Newton et Rode, contra Philander florem pyramidi imponit, quem sequitur Genelli. Ceterum Perraltus cum Baldo tholum interpretatur *la coupe*, pyramidem vero *la figure que les bandeaux de la coupe d'un Dome font en s'approchant vers le milieu, soit que ces bandeaux soient dans la concavité ou dans la convexité de la coupe.* Florem Graeci *μήκωνα, papaver*, vocasse videntur. Pausanias enim Eliacorum I cap. 20 ubi Philippeum monumentum describit, ita, *καὶ οἴκημα*, inquit, *περιφερὲς, ὀνομαζόμενον Φιλίππειον. ἐπὶ κορυφῇ δέ ἐστι τοῦ Φι-*

Digitized by Google

λιπαρείου μήκων χαλκῆ σύνδεσμος ταῖς δοκοῖς. i. e. in cacumine Philippei est papaver aereum, quo colliguntur trabes tecti. Videtur igitur flos papaveris statim incubuisse cacumini tholi; eique, si pyramidem tholus ea habuit, pyramis superstetisse.

4.

Castoris — Nescio an sit ea, de qua Asconius ad Ciceronem p. 107 *quam de manubiis L. Metellus extruxerat, qui Metellus subactis Dalmatis Dalmaticus appellatus est.* Suetonius Caesaris c. 10 tradit *Castoris aedem appellari solitam, quae in foro geminis fratribus constituta sit.* Quam Plinius bis, libro 10 sect. 60 et 34 sect. 11. *Castorum aedem* vocat, eadem est, quam *Castoris templum in foro positum* dicit Livius 9, 43 item Cicero Philipp. 6, 5. Castoris aedem a Postumio dictatore votam bello latino et a filio dedicatam Livius narravit 2, 42 locum tamen non edidit. Hanc, certe diversam ab aede ea, quam Metellus fecerat in foro, forte Vitruvius voluit intelligi in circo Flaminio positam. Is vero circus, auctore Asconio, fuit extra portam Carmentalem prope aedem Apollinis et forum olitorium. Antiquissimam fuisse aedem forma tuscanica operis videtur arguere.

Veiovis — Ovidius Fastorum III, versu 429:

sacrata quod illis
templa putant lucos Veiovis ante duos.

Erat id templum prope asylum, inter Capitolium et arcem Tarpeiam. Ita Philander ad h. l. Cf. Ovidii Fast. l. c.

item argutius Nemori Dianae — Hanc librorum scriptorum et editorum omnium lectionem ex Budaei et Turnebi correctione *item Aricino Nemori* scribentium vertit Perraltus; ipsam correctionem temere orationi intulit Rode. Male etiam vulgatam vertit Galiani: *tale ancora, ma più ingegnoso è quello di Diana cacciatrice.* Ita enim mentio loci, ubi templum Dianae erat, omittitur. Locus erat in Nemore, itaque Turnebiano additamento *Aricino* facile carere possumus; saltem esset *Aricinae Nemori Dianae.* Classicus est locus Strabonis lib. V. p. 178 ed. Siebenk.

Digitized by Google

Τὸ δ' Ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι Νέμος, ἐπὶ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τοῖς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσίν ἐστι· τῆς δ' Ἀρικίνης ἱερὸν λέγουσιν εἶναι ἀφίδρυμα τῆς Ταυροπόλου. Unde apparet collem, in quo ad sinistram Appiae viae situm erat templum Dianae Aricinae, vocari *Ἀρτεμίσιον* a Strabone graece, latine vero *Nemus*. Contra Salmasius Exercit. p. 48 voluit *Ἀρτεμίσιον* Strabonis esse templum Dianae, atque inde docere conatus est *Nemus* proprie vocatum fuisse *Aricinae Dianae* templum. Male; etsi *Nemorensis Diana* eadem eiusque sacerdos *rex Nemorensis* a Suetonio Cal. 45 dictus fuerit. Ovidius Fastorum 3, 271 *templum Nemorense Dianae* dixit. Plinius 35 c. 7 *tabulam pictam in Nemore Dianae posuit.* Viciniam Nemoris Suetonius Caesaris 46 agrum Nemorensem vocat, *villam in Nemorensi* Caesaris commemorans. Quare non erat, cur Salmasius locum Vitruvii ita poneret: *item argutius in Nemore Dianae.* Dixit enim *Nemore*, ut paulo post *Sunii.* Ita igitur firmata vulgari lectione, apparet ex vocabulo *argutius*, adiectas columnas ad humeros pronai dextra ac sinistra non pertinere ad aedem Castoris in Circo Flaminio nec ad aedem Veiovis. Sed eadem videtur fuisse forma aedis Atticae Palladis Minervae in arce et promontorio Sunio positae. Sed exempla a Vitruvio posita dubiam habent omnia interpretationem; igitur dissentiunt Interpretes. Compara etiam Stieglitzium in Archaeologia II p. 33.

ad humeros pronai — Guelf. *umeros*; Wratisl. *humoros.* Sensum horum verborum aliter ac Britannus Stuart interpretatur Genelli I p. 37. qui formam templi expressit in adiecta Tab. XIV. *latera* ipse Vitruvius postea nominare videtur. Perraltus humeros, alas et pteromata Vitruvii eandem rem significare censuit. De h. l. disputat etiam Stieglitz in Archaeologia T. II p. 32.

Hoc autem genere primo — Sulpiciana *hoc autem in genere*: deinde *ideo factum est*, *uti est* habet: *facta est*, *uti est* Guelf. Wrat. Franeck. Vatic. In textu Galiani reperio *prima* scriptum.

Athenis in arce, et in Attica Sunio, Palladis Minervae — Ita locum ex Sulpiciana, Guelf. Franeck. quibus accedit Wratisl.

Digitized by Google

restituit Rode, cum antea vulgaretur: *in arce Minervae et in Attica Sunio Palladis.* Sed praeterea in Wratisl. *aste* pro *arce* scriptum reperi, in quo *asty* latet, quod restituendum Vitruvio censui. Idem Wratisl. *Acita* dat, *Sunii* Sulpiciana. Postremum Vitruvio restitui.

ad latitudines — Sulpiciana, Franeck. Wratisl. *altitudines* dant. Paulo ante *longitudinis* est in Vatic. *longitudinibus* in Sulp. Guelf. Franeck. Wrat. Sensum loci pervertit Rode interpretatus ita: *die Zellen haben doppelte Breite zur Länge.*

uti reliqua exisona — Haec est librorum editorum et scriptorum lectio, nisi quod Sulp. *uti in reliqua* habet. Iocundus eumque secuti Editores dederunt *et uti reliqua exisona.* Turnebi Advers. XI, 4 correctionem *et uti reliqua ex his; omnia quae* dedit Rode, quae etiam Baldo valde probabilis visa est, quanquam is *exiso* fuisse a Vitruvio, graeca amante, scriptum coniecit, quod esse ait ἐξ ἴσου. Quod tamen sententiae minime congruere mihi videtur. Equidem nolim rem nobis incognitam in dubia ingenii coniectura periclitari.

5.

et quibus in locis in pronao procurrunt — Temeravit etiam hunc locum Iocundus scribendo *ordinationes. Quibus enim locis pronao.* Sulpiciana enim cum Vaticanis duobus, Guelf. Wrat. Franeck. dant: *e quibus in locis in pronao procurrunt:* quod debebat corrigere Iocundus levissima mutatione literae *e*, adiecta litera una, in *et.* Punctum igitur post *ordinationes* tollendum censui. *In pronao* ex suo libro annotavit etiam Laet. Deinde *iisdem regione* omissa praepositione *e* dat Sulpiciana. Ceterum hoc loco abusus Hirt *antas* voluit esse parietes procurrentes. Sed recte contra monuit h. l. *antae procurrunt* esse dictum pro *procurrentium parietum antae sunt*, Stieglitz, Archaeologie I p. 239.

columnas binas — De hac re vide ad Capitis praecedentis

Digitized by Google

sect. 2 dicta. Vitruvii a sensu aberrasse etiam in h. l. videtur Genelli, quem comparabis Fasciculi I p. 36. 37.

6.

intercolumnia, pteromatos spatio sublati — Pessime sinceram Sulpicianae, Guelf. Wratisl. Franeck. Vatic. librorum scripturam *spatii sublati*, inserto *parietis*, interpolavit Iocundus. Post *intercolumnia* incisum erat ponendum, *spatii* in *spatio* mutandum, nihil autem praeterea addendum. Quid enim tollitur? Paries? Minime! Is enim removetur, id est a loco suo transfertur partim, vel potius protenditur usque ad intercolumnia. Hinc recte Galiani *removere* vertit *slargando le mura.* Superest igitur *pteroma* vel ala, cuius partem intercidunt et occupant parietes aedis extensi. Vere igitur tollitur *spatium* aliquod *pteromatos*, id scilicet, quod aedes occupat, cui laxamentum quaeritur hac conversione. Vitium vulgatae lectionis iam olim animadvertit Perraltus, idque tolli putabat scribendo *spatium parietis sublati.* Ignorabat scilicet Editionis principis et Codd. scripturam.

nominisque videntur — Sulpiciana dat *rationis Pseudoperipterum* omissis *que videntur.* Guelf. Wratisl. dant *videt.* In *rationis* latet fortasse *ratiocinationisque.* Cetenum Ciseranus *Pseudodiptero* vertens annotavit in multis libris esse *pseudoperipteros.*

sunt faciendae — Sulpiciana *faciendae sunt*, Franeck. *sunt faciundae.* Deinde vulgatum *alius alia varietate sacrarum religionum*, quod est in libris etiam scriptis omnibus, auctore Fea correxit Rode. Equidem *pro varietate sacrorum* scriptum malim.

7.

symmetrias earum — Franeck. Wratisl. *eorum*, deinde *quorum* Fran. Guelf. Wratisl. dant. Deinde Sulpiciana *quibus discriminibus sunt inter se disparatae.*

scriptis, exposui — Vulgatum *curavi* est e Iocundi interpolatione. Sulpiciana cum Codd. Vatic. Franeck. Guelf. Wratisl. *ex-*

Digitized by Google

posui habent, quae scriptura etsi minus elegans, cum paucis abhinc versibus *exposui* legatur, latina tamen est magis quam *curavi.*

deorum immortalium — Vaticanus 2 additum a librario christiano habet: *imo potius daemonum.* Idem pro *aptam* inepte scriptum *autem* habet.

AD CAPUT IX. (vulgo VIII.)

spectent ad orientem — Sic supra cap. 5 *Signum quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam coeli regionem, uti qui adierint ad aram immolantes aut sacrificia facientes, spectent ad partem coeli orientis et simulacrum, quod erit in aede, et ita vota suscipientes contueantur aedem et orientem coeli, ipsaque simulacra videantur exorientia contueri supplicantes et sacrificantes; quod aras omnes deorum necesse esse videatur ad orientem spectare:* ubi vides sacrificantes in ara, ad orientem spectante, *contueri aedem et orientem coeli et simulacrum, quod erat in aede:* unde facili coniectura colligitur aras fuisse extra aedem. Praeterea turba hominum, et foetor cum sordibus, quae sacrificia consequebantur, si partes hostiarum in aris comburendae essent, non sinunt dubitare extra pronaum in peribolo templi aras hypaethras fuisse collocatas, quae tum quidem facilem habebant situs conversionem ad orientem coeli regionem. Haec monuit egregie Genelli p. 42 Fasciculi I unde prono fluit alveo coniectura eiusdem, verba Vitruvii sub finem capitis *ita idoneae explicabuntur in mediis aedibus ararum deformationes* fuisse a librariis vitiata. De quo paulo post disputabimus. Comparat vir doctus descriptionem arae Iovis Olympii apud Pausaniam Eliac. I c. 13. Plurimorum deorum arae Olympiae fuerunt hypaethrae, nullis additae templis, quas ibi Pausanias ordine enarravit. Idem simul aras intra templa positas commemoravit, ut adeo dubitare non liceat, aras fuisse in templis et extra positas. In aris autem conclusis intra aedem θυσίαν fuisse factam, negari non potest, sed

Digitized by Google

θυσία graece dicitur, cum thus adoletur, et si quae alia cum thure adolebantur, ut Elei tritici grana melle delibuta una cum thure adolebant, monente Pausania Eliacor. I cap. 15 sect. 6. Hostiae contra immolatae et mactatae fuisse videntur extra templa, et partes carnium cum visceribus combustae in aris hypaethris. Poetae saepe templa et aras separatim nominant, veluti Hymnus in Cererem versu 270 νηόν τε μέγαν καὶ βωμὸν ὑπ' αὐτῷ. versu 298 Δημήτερι κίονα νηὸν ποιῆσαι καὶ βωμὸν ἐπὶ προὔχοντι κολωνῷ. Aras ante templa positas Aeschylus Suppl. 494 θεῶν ἐγχωρίων βωμοὺς προνάους vocat.

uti suspicientes divinitatem — Wratisl. *ut suscipientes* dat, deinde *suplicant*. Saepenumero verba *suspicere* et *suscipere* permutata fuerunt in Vitruvio.

ad sui cuiusque dei decorem componantur — Perrault ita: *les autels seront moins hauts que les Images des Dieux, à fin que selon la differente dignité de chaque Dieu elles soient élevées au-dessus de ceux qui leur font des prieres et des sacrifices.* Eodem fere modo Galiani vertit: *si situino, a diverse altezze, secondo richiede il decoro di ciascuna Deità.* Paulo aliter Rode: *sich, je nach der Würde ihres Gottes, in dem verhältnifsmäfsig geziemenden Abstande von demselben befinden.* At enim quaero, quid deorum in aede collocatorum decor cum ararum altitudinibus diversis commune habeat, aut qui pendere inde dici possit? Decorem supplicantium Vitruvius dicere voluisse videtur, certe dixisse debuit. Deinde quid est *componi ad dei decorem*? Postea verba *disparibus altitudinibus* non significant distantiam supplicantium a deorum simulacris, quod credidit Rode; nec omnino cum verbo *componantur* copulata sensum habent commodum. Quod enim dedit Galiani: *si situino a diverse altezze*, nec ad deorum nec ad supplicantium decorem facit. Vitruvius turbam sacrificantium et supplicantium simul die festo aliquo cogitasse videtur; unde *disparibus altitudinibus ad sui cuiusque dei* explicanda mihi esse videntur. Plures deinde deos in eodem templo simul collocatos cogitasse videtur; inde *suus cuiusque suspicien-*

Digitized by Google

tium deus explicandus videtur et *simulacra in aede quae fuerint.* Mihi igitur sic videtur. Verba *disparibus altitudinibus* copulanda sunt cum *suspicientes:* vocabulum autem *divinitatem* retrahendum est et collocandum post *sui cuiusque dei*, denique *decorem* mutandum in *decore componantur.* Decor suspicientium spectatur statu et figura corporis, qui si dei simulacrum humilius adspicere conantur, inclinato corpore indecoram speciem et figuram corporis reddunt.

Matrique — Ex Sulpiciana reduxi lectionem omnium maxime mihi probabilem, in locum vulgatae *Marique.* Equidem a romano scriptore ullo *Mare* ut deam, deumve nominari, non memini, sed deum mater saepe *Mater* sine deum mentione vocatur, eaque templis fuit consecrata, quod de Mari nondum traditum legi. Video nunc ex libro suo cum Codice comparato Perraltum scripturam *matrique Terrae* annotatam vertendo reddidisse.

his institutionibus — Haec verba omisit vertere Rode; *con questi principi* recte Galiani.

mediis aedibus — Ex usu Vitruviano erunt *cellae mediae*, non templa media, uti vertit Galiani et Perrault, qui nimis breviter reddit haec: *et ainsi les autels seront placés dans les Temples selon les loix de la Religion.* Sed locum hunc ineptum aris esse, ubi hostiae adoleantur, recte admonuit Genelli, igitur loci vitium aliquod suspicatus est, quod arguit etiam Sulpicianae et librorum scriptorum lectio, quam temere incrustavit Iocundus *meditationibus* est in Vatic. Franeck. Guelf. Wratisl. Vossiano, sed Sulpiciana Editio *medietationibus* scriptum exhibet; deinde *arearum* Vaticani libri dant, *arenarum* Vossianus. Vitium iam olim vidit Isaac. Vossius, qui ex lectione Codd. efficiebat *mediis stationibus*. Interpretationem non addidit. Mihi vero *stationes* nec de templo nec de peribolo templi dictae placent, nullo adiuncto vocabulo. Forte coniicias *aedium stationibus.* Sed locum doctioribus expediendum relinquo.

Digitized by Google

AD LIBRI V. PRAEFATIONEM.

voluminibus — Wrat. omisit vocabulum, idem postea *vel amplificationibus auctoritas* dat. Sententiam Vitruvii satis definiunt verba *amplioribus voluminibus*, deinde *amplificationibus*, postea *frequentia multitudineque sermonis*, quibus de eadem re utitur. Hanc videlicet causam Vitruvius esse putat auctoritatis, quam alii scriptores in diversis artium et disciplinarum generibus tractandis consecuti sunt. Contra Perraltus ita facit loquentem Vitruvium: *Bien qu'il soit vrai que ceux qui ont composé de grands ouvrages remplis de belles pensées et d'excellens préceptes, aient toujours acquis beaucoup d'estime, et que je pense bien aussi prétendre que mes études seroient capables de me fournir assez de quoi amplifier mes Ecrits et étendre ma reputation.* Rectius Galiani, qui tamen in aliis peccavit. Sic enim is: *Dio 'l volesse,' che anche in queste nostre fatiche ci fosse permesso di potere colle amplificazioni accrescere riputazione a questi insegnamenti.* Quem verbotenus secuta est Rodiana versio.

ut historiae — Guelf. Wrat. *uti historia.* Etiam Sulp. *historia* dedit; deinde *poematorum* Sulp. Guelf. *poematicorum* Wrat. Postea *eligans* Wrat. In structura verborum vulgatae lectionis *poematum vero, carminum* laborat lector. Difficultatem elusit Galiani vertendo: *i poemi colla misura e coi piedi dei versi colla elegante disposizione delle parole, e de' discorsi fra le persone e col distinto suono de' versi.* Ante eum Perraltus: *Dans un Poëme la mesure et la cadence des vers et les ornemens du langage qui est particulier à la Poesie, avec les entretiens des differentes personnes que l'on y introduit.* Vocabulum *poematum* est de poesi in universum intelligendum, quae diversa *carminum* genera, eorumque diversa metra in se complectitur. Facilis erat medela laborantis structurae adsciscenda scriptura Wrat. *poemati-*

Digitized by Google

corum vero carminum metra et pedes. Nam *carmen* est proprie lex vel formula verborum solennis. Cicero pro Murena cap. 12. *Praetori quoque carmen compositum est.* Idem pro Rabirio Perduell. c. 4 *crudelissimi cruciatus carmina.* Magis abludit locus de Finibus mal. et bon. 5, 15 *sunt enim plurima elementa naturae, quibus auctis virtutis quasi carmen efficitur.* Plinius 28 s. 4 *Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliare, M. Varro podagris. Caesarem Dictatorem ferunt semper, ut primum consedisset* (in vehiculo) *carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum.* Sic idem 30 s. 17 *terque novies carmen dici.* et saepius alibi *carmina* dixit pro formulis.

inter personas distinctas, et versuum pronunciatio — Vulgatum dedit Iocundus *inter personas et versuum distincta pron.* Sed eo ordine, quo posui, verba extant in Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Copulam *et* omittunt Vatic. Guelf. Wrat. sed Sulp. cum Fran. recte post *distinctas* collocatam habet. *distinctas* Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Temere Iocundus hanc scripturam mutavit; quasi non et prosae orationis distincta sit et esse debeat pronunciatio. Etiam comma post *dispositio* vulgo positum, erat tollendum; pertinet enim dispositio etiam ad *sententiarum inter personas*, et quidem *distinctas.*

prolectando — Guelf. a prima manu *proiectando* scriptum habet. Deinde *producit* Sulpic.

2.

in architectura — Praepositionem omisit Wratisl. Deinde *obiciunt* Guelf. Wrat. *adiiciunt* Sulp. postea *nec pateant in eorum consuetudine nomina.* Mira est dictio *nomina vocabulorum patent in consuetudine!* nisi forte verba ita sunt iungenda: *nec patent nomina* (architecturae propria) *in eorum* (nominum) *consuetudine:* id est, cum ea (vocabula) per se non sint aperta, nec nomina pateant et aperiantur frequenti eorum usurpatione et consuetudine.

Digitized by Google

tum etiam — Sulp. *tum vero*, quae scriptura mihi melior videtur. Deinde *contrahentur* Guelf. Wrat.

perlucidis — In Wratisl. a secunda manu *per* deletum fuit. Idem deinde *efficiunt* dat. Denique *memoriae tradentur* Fran.

3.

distentam occupationibus — Aut vocabulum posterius abundat, aut verba sequentia *publicis et privatis negotiis.*

Etiam qui Pythagoram quique eius haeresim — Ita Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. nisi quod Fran. *quinque* habet; Wrat. *Pythagorae vel eius.* Vatic. dicuntur habere scriptum *Pythagorae quique eius.* Iocundus primus edidit *Etiamque Pythagorae hisque qui eius haeresim.* Postea *praeceptis* Wrat.

CCXVI versus — Sulp. Guelf. Wrat. Fran. Vatic. dant *CC et L*, Rode ex Sulp. et Guelf. male retulit numerum *CCVL.* Liber Laeti *CCL* dabat. Deinde *versus* est in Sulp. Guelf. Wrat. *versuum* primus edidit Iocundus. Idem post *plus* cum Sulp. inseruit *quam*, omissum in Fran. Guelf. Wrat.

4.

ex VI — Numerum omittunt Fran. Guelf. Wratisl. Deinde *planitierum* dedit Iocundus; nostra scriptura est in Sulp. Guelf. *planitiarumque* in Wratisl. Postea *parumper quadratus* Sulpic. *perquadratus* Guelf. Wrat. Verum est in Fran. Philander, Laetiana et Galiani *planitierum quadratum* dederunt.

stabilitatem — Locum Timaei Locri comparavit Philander hunc: *ἐκ δὲ τῶ τετραγώνω γεννᾶσθαι τὸν κύβον ἑδραιότατον καὶ στατὸν πάντη σῶμα, ἐξ μὲν πλευρὰς ὄντω δὲ γωνίας ἔχον.*

sumsisse videntur — Wrat. subiungit *esse* nota perscriptum. Deinde *eis numerus* Fran. Postea *memoriae sedem* Sulp.

Graeci quoque — Sulpic. *Graecique.* Deinde *ethoro* Guelf. Wrat. Sed in Guelf. super *t* scriptum est *c.*

diviserunt — Wrat. *dimiserunt.* Deinde *intercaupedinibus* Wrat. In Guelf. *intercepedinibus* est a secunda manu. Postea *ligant auctorum* Sulp. *auctorum* etiam Guelf. Wrat. Denique *pronuncian-tes* Wrat.

Digitized by Google

5.

res esse mihi — Sulpic. *res mihi esse.* Deinde *scribendus.* Postea in Guelf. *qua* est a prima manu. Denique *brevioribus* Wratisl.

iudicavi scribere — Supra fuit sect. 3 *iudicavi scribendum.* Philander comparavit locum libri 2 cap. 1 sect. 8 *putavi exponere.* Deinde *intellegendum* Guelf. a prima manu habet.

Primumque forum — Hinc Capitulum II exorditur Wratisl. qui *fori* habet scriptum. Idem copulam *et* post *publicarum* omittit. Ceterum cubicam rationem in scriptis Pythagoreorum eorumque divisionibus observatam non magis aliunde novimus, quam dramatum comicorum veteris comoediae (nova enim choris caruit) divisionem ex ratione cubica testimoniis scriptorum reliquorum cognitam habemus. Frustra enim Barbarus et Perraltus in numero actuum, scenarum et actorum vel chori personarum rationem cubicam quaesiverunt.

AD CAPUT I.

Graeci in quadrato — Tegeatarum forum πλίνθῳ, laterculo, simile erat, teste Pausania 8, 48 p. 496.

duplicibus porticibus — Pausanias 6, 24 de foro Eleorum: ἡ δὲ ἀγορὰ οὐ κατὰ τὰς Ἰώνων καὶ ὅσαι πρὸς Ἰωνίαν πόλεις εἰσὶν Ἑλλήνων, τρόπῳ δὲ πεποίηται τῷ ἀρχαιοτέρῳ, στοαῖς τε ἀπ' ἀλλήλων διεστώσαις καὶ ἀγυιαῖς δι' αὐτῶν. — ἔστι δὲ ἡ κατασκευὴ τῆς στοᾶς δώριος καὶ διπλῆ, τῇ μὲν ἐς τὴν ἀγορὰν τοὺς κίονας, τῇ δ' ἐς τὰ ἐπέκεινα τῆς ἀγορᾶς ἔχουσα, κατὰ μέσον δὲ αὐτῆς οὐ κίονες ἀλλὰ τοῖχος ὁ ταύτῃ τὸν ὄροφον ἔχων ἐστίν. Dicaearchus de Anthedone Boeotiae: τὴν μὲν ἀγορὰν ἔχουσα κατάδενδρον πᾶσαν, στοαῖς ἀνειλημμένην διτταῖς. Idem de Chalcide: ταύτης δὲ ἔχεσθαι τὴν ἀγορὰν πλατεῖάν τε οὖσαν καὶ στοαῖς τρισὶ συνειλημμένην. ubi forte similiter ἀνειλημμένην scribendum fuerit.

aut marmoreis — Sulp. *et marmoreis* dat; deinde *ratione est* Wrat. *faciundum ideoque* Sulp. *faciundum* etiam Iocundus dedit.

Digitized by Google

2.

argentariae tabernae — Varro de vita populi romani apud Nonium sub voce Tabernae: *Hoc intervallo primum forensis dignitas crevit, atque ex tabernis ligneis argentariae factae.* Idem apud eundem sub voce Porcas: *Non vides in publica nocte te tabernas, qua populus ambulando perinde ut in arato porcas facit.* ubi fortasse *publica porticu* scribendum est. Plautus Curculione 4, 1, 19 *sub veteribus*, (tabernis) *ibi sunt qui dant quique accipiunt foenere. Pone aedem Castoris, ibi sunt, subito quibus credas male.* i. e. trapezitae, argentarii; qui hinc dicuntur *foro cedere*, ut recte annotavit Budaeus ad Pandectas Annot. prior. p. 506. Livius 9, 40, 15. *tantum magnificentiae visum in iis, ut aurata scuta dominis argentariarum ad forum ornandum dividerentur: inde natum initium dicitur fori ornandi ab aedilibus.* Cf. Quinctiliani Instit. 6, 3, 58. De veteribus et novis tabernis fori romani Drakenborch ad Livii 26, 27 et 44, 17.

Menianaque — Sulpic. *moenia namque.* Wratisl. *moeniaque.* Guelf. *menianaque* supra *e* scripto *o.* Festus: *Maeniana aedificia a Maenio sunt appellata. Is enim primus ultra columnas extendit tigna, quo ampliarentur superiora.* Graecos vocasse ἐξώστρας discimus ex Codicis Iustinianei libro 8 titulo 11. Ab eodem Maenio *columnam Maenianam* vocatam tradit Nonius. De auctore columnae Maenianae compara Plinium 34 cap. 5 et Scholiasten Horatii ad Sermon. I, 3, 21. Varro de vita P. R. libro I *aestivo tempore in propatulo coenitabant, rure in corte, in urbe in tabulino, quod Maenianum possumus intelligere tabulis fabricatum.* Perraltus *les Galleries au dessus*, similiter Galiani *de logge*, item Rode *Logen* vertit.

coaxationibus — Tabulata, contabulationes interpretantur viri docti.

Quae et ad usum et ad vectigalia publica — Wratisl. copulam *et* omittit, deinde *ratione* pro *recte* dat. Vectigalia publica male Galiani *traffico publico*, rectius Rode de mercede colloca-

Digitized by Google

torum, *in Rücksicht des abzuwerfenden Zinses*, interpretatur; pessime omnium Perrault: *pour la recette des deniers publics.*

ita finiatur — Sulpiciana *ita* omisit. Deinde habet *partes videntur.* Guelf. Wrat. Franeck. *iubentur.* Postea *erit oblonga* Guelf. Wratisl.

3.

non minus quod — i. e. etiam ob eam rationem, quod. Wrat. *quod* post *nascentium* repetit; qui postea *nulla non est crassior ab radicibus* dat.

deinde crescendo progreditur in altitudinem — Vatic. et Fran. *proceditur* dant. Probabilior est coniectura Meisteri in Comment. N. Goetting. Vol. VI p. 149 *dein decrescendo* scribentis. Quodsi enim *crescendo* volueris interpretari dictum pro *crescens*, obstat tamen sequens *nascens.* Sed ecce Ciseranus *nascendo* vertens annotat in aliis libris esse *crescendo.*

4.

Basilicarum — Basilicas negotiatorum inprimis usibus fuisse institutas in latere longiore fori, ad formam lateris positi, vel ex eo apparet, quod tribunal in basilica coloniae Iuliae posita additum ita tamen fuit, ne negotiatores in basilica commorantes impediret. Basilicam circa theatrum memorat tamen Plinius Epist. 10, 48 ex quo loco interpretatur Ernesti Suetonii narrationem in Augusto c. 31 qui Pompeii statuam contra theatri eius regiam positam ait. Regiam scilicet latine dictam censet, quae graece βασιλική est. Et sane *regiam* theatri Marcelli memorat Asconius Pedianus ad Ciceronis Orationem pro Scauro, et Statius Silvarum I, 1, 22. Pauli basilicam vocat *belligeri sublimis regiam Pauli.* Zosimus 5, 2 basilicam ubi dicere vult, στοὰν βασιλικὴν dicit. Haec quidem bene docuit Ernesti; sed superest origo nominis explicanda, quam ex Attica στοᾷ βασιλείῳ ductam puto. Fuit ea ad forum posita, finitima στοᾷ Iovis Eleutherii, ab archonte eo appellata, qui βασιλεὺς vocabatur, et tribunal collo-

Digitized by Google

catum habebat in ea porticu, ubi de criminibus impietatis et homicidii cognosceret. De qua Plato Eutyphronis initio: ἐνθάδε νῦν διατρίβεις περὶ τὴν τοῦ βασιλέως στοάν· οὐ γάρ που καὶ σοὶ δίκη τις οὖσα τυγχάνει πρὸς τὸν βασιλέα, ὥσπερ ἐμοί. Item in extremo Theaeteto: νῦν μὲν οὖν ἀπαντητέον μοι εἰς τὴν τοῦ βασιλέως στοὰν ἐπὶ τὴν τοῦ Μελίτου γραφήν, ἣν με γέγραπται. Iuxta forum fuisse hanc porticum una cum altera a Iove libertatis vindice dicta coniiciunt viri docti ex loco Xenophontis Oecon. 7. ubi Socrates dicitur convenisse Ischomachum ἐν τῇ τοῦ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου στοᾷ καθήμενον. Idem cap. 12 sect. 1 facit Ischomachum affirmantem: οὐκ ἂν ἀπέλθοιμι, πρὶν πανταπασιν ἡ ἀγορὰ λυθῇ. Plato initio Theagis Demodocum introducit Socratem convenientem in foro et ita alloquentem: ἐδεόμην ἄττα σοι ἰδιολογήσασθαι, εἰ σχολή. Cum Socrates annuisset, Demodocus pergit: βούλει οὖν δεῦρο εἰς τὴν τοῦ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου στοὰν ἐκποδὼν ἀποχωρήσωμεν. Secedunt igitur in porticum Iovis. In Dialogo Eryxia ab initio est: ἐντυγχάνομεν περιπατοῦντες ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου. ubi considentes de philosophia colloquuntur Eryxias, Critias, Erasistratus et Socrates. p. 261 ed. Bipont. Socrates: εἴ τις Ἀθήνησι τούτων τῶν λίθων τῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ πεπτημένος εἴη χίλια τάλαντα σταθμόν. i. e. *si quis horumce lapidum, qui sunt in foro, possideat mille pondo.* Unde apparet forum fuisse in conspectu porticus: quam Plato initio Charmidae ita significat: καὶ δὴ καὶ εἰς τὴν Ταυρέου παλαίστραν τὴν καταντικρὺ τοῦ τῆς βασιλικῆς ἱεροῦ εἰσῆλθον. Mirum mihi accidit templum (Iovis Eleutherii) hic a porticu basilica significari, quod contra fieri debuisse videtur, ut porticus βασιλικὴ ad templum Iovis spectasse diceretur. Verum ecce Hesychius: βασίλειος στοά. δύο εἰσὶν Ἀθήνησι βασίλειοι στοαὶ, ἥ τε τοῦ λεγομένου βασιλέως Διὸς καὶ ἡ τοῦ Ἐλευθερίου. Suidas cum Harpocratione: δύο εἰσὶ στοαὶ παρ' ἀλλήλας, ἥ τε τοῦ Ἐλευθερίου Διὸς καὶ ἡ βασίλειος. ἔστι δὲ καὶ τρίτη, ἣ πάλαι μὲν Πεισιανάκτειος ἐκαλεῖτο, νῦν δὲ μετωνομάσθη Ποικίλη. Si duae porticus fuerunt parallelae, quidni locum Aristophanis Eccles. 685 inde interpretemur, ubi est: καὶ πηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ

Digitized by Google

Βῆτ' ἐπὶ τὴν στοὰν ἀπολουθεῖν τὴν Βασίλειον δειπνήσοντας, τοὺς Θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην. ubi porticum Thracum designari putabat Meursius Athen. Attic. p. 15. Pausanias I cap. 3 Ceramici ad dextram (introeunti) ait esse *στοὰν βασίλειον*, et prope eam positas esse statuas Cononis, Timothei, Euagorae, tum addit: *ἐνταῦθα ἕστηκε Ζεὺς ὀνομαζόμενος ἐλευθέριος καὶ βασιλεὺς Ἀδριανός.* postea statim: *στοὰ δὲ ὄπισθεν ὠκοδόμηται γραφὰς ἔχουσα θεοὺς δώδεκα καλουμένους, ἐπὶ δὲ τῷ τοίχῳ τῷ πέραν Θησεύς ἐστι γεγραμμένος καὶ Δημοκρατία τε καὶ Δῆμος.* denique prope esse templum Apollinis *πατρῴου*. Videtur igitur porticus Iovis Eleutherii dicta post alteram *βασίλειον* collocata fuisse, utraque vero medium Iovis Eleutherii templum habuisse; utraque etiam forum spectasse videtur; in *βασιλείῳ* tamen sola archon *βασιλεὺς* vocatus iudicia impietatis et caedis exercebat. Ab hac vero *βασιλείῳ* et *βασιλικῇ* dicta porticu Romani formam basilicarum mutuati esse mihi videntur. Basilicas Cicero ubique cum foro coniungit et propter frequentiam hominum villam suam basilicae similem esse ait ad Atticum II, 14. Locus Palladii I, 18, 1. de cella vinaria: *ut basilicae ipsius forma calcatorium loco habeat altiore constructum:* difficilem ipse habet interpretationem, quod calcatorium quid sit, ignoratur. Significantior est comparatio oecorum Aegyptiorum cum basilicis infra libri 5 cap. 5. Oecorum istorum ordines columnarum sunt gemini, inferiores et superiores, hi quidem cum circuitu, et fenestris inter columnas.

tempestatum — Fran. *tempestatium*. Wrat. *tepescunt*. Deinde *ne minus quam ex tertia parte* Sulpic. Postea *ne plus ex dimidia* omisso *plus* Sulp. Guelf. Wrat. Denique *longitudines* Sulp. quae sequens *parte* omittit cum Fran. Guelf. Wrat.

nisi loci natura — Guelf. Wrat. *nisi si loci n.* Sequens *commutari* tolerarem, si *aliter* abesset; nunc vero *commetiri* malim scriptum.

Chalcidica in — Wrat. *et* interserit. De origine nominis Chalcidici non magis quam de forma constat. Festus genus aedificii ab urbe Chalcidica dictum ait; *το Χαλκιδικον ὠνομασμενον*

Digitized by Google

Dioni. In Homero γρηῢς δ' εἰς ὑπερῷ' ἀνεβήσατο παγχαλόωσα convertit Ausonius *Chalcidicum nutrix gressu superabat anili:* monente Turnebo Advers. 18, 34. Utitur vocabulo Hyginus Fab. 184 ubi Arnobii loca posuit Th. Muncker. Isidorus in Originibus: *Chalcidicum, foris deambulatorium, quod et peribulum (περίβολον) dicitur et iterum.* De quo loco Salmasius ad Script. H. A. p. 155 sed is nihil extricavit. In monumento Ancyrano Augustus commemorat *Curiam et continens ei chalcidicum templumque Apollinis:* ubi Chishull putabat aedificium esse Minervae sacrum ob verba Dionis Cassii 51, 22. Inscriptio Gudiana p. 76 memorat *porticum chalcidicum*, sed, ut videtur, alibi etiam vitiosa. Muratoriana p. 469 no. 1 *macellum porticum chalcidicum cum suis ornamentis.* Alia p. 480 no. 3 *viam sacram a chalcidico ad lucum Iunonis Curitis* memorat. In inscriptione Herculanensi *Ponderale et Chalcidicum et Scholam* interpretatur Reinesius Epist. p. 297. Et in lapide Aletrino Gruteri 8 p. CLXXI *Horologium, Macellum, Basilicam, Calecandam, Sedes circum, Balinearium* interpretatur scriptum fuisse *Calecidiam* pro *Chalcidiam.* Idem in Variis Lect. p. 419 ex Isidoro putabat esse genus solarii vel meniani.

Iulia — Sulp. *villa.* Verba sequentia *latae fuerint f. v. porticus* in Wrat. exciderunt propter similitudinem verborum.

5.

porticus — finiatur — Perraltus vertit: *et cette largeur (des Portiques) sera de la troisieme partie de l'espace du milieu.* Galiani: *il portico serà largo per la terza parte del vano di mezzo.* Minus distincte Rode: *diese müssen aber ein Drittel des mittleren Raums halten.* Mihi structura verborum laborare et post *spatium* deesse *latum* videtur.

minores quam — Vaticani libri pro his habent *et* scriptum. Sulp. *minores* iterum post *scriptum est* inserit.

Pluteum quod fuerit inter superiores et inferiores columnas — In hoc loco Sulpic. verbum *fuerit* omittens, veram lectionem dedit

Digitized by Google

cum libro Guelf. Vatic. et Wratisl. Primus enim Iocundus verba *et inferiores* omisit pessime et cum magno sententiae damno. Antiquam igitur lectionem probavit etiam Fea. Ipse adeo Philander in annotatione ad verba huius capitis postrema explicat recte pluteum *superiorum ab inferioribus columnis interseptum*, qui sensus verbis Vitruvii, uti vulgo truncata leguntur, non inest, nec inde potest vel fidiculis extorqueri. Galiani h. l. *parapetto*, Rode *Brustlehne* vertit: posterior tamen verba vulgo omissa simul vertit. Galiani adeo Perraltum taxavit, qui lectionem, a Galiano ipso allatam ex libris Vaticanis, secutus interpretatusque est ita, ut Italico vocabulo *piedistallo* responderet pluteum. Alio sensu videntur dici plutei libri 4 cap. 4 *item intercolumnia tria, quae erunt inter antas et columnas, pluteis marmoreis sive ex intestino opere factis intercludantur, ita uti fores habeant, per quas itinera pronao fiant.* ubi Philander interpretatur septa marmorea, quibus intercolumnia obsepiri intercludive solent. Libro 5 cap. 7 de podio docens Vitruvius, et de columnis supra podium constitutis cum epistyliis addit: *Pluteum insuper cum unda et corona inferioris plutei dimidia parte: supra id pluteum columnae quarta parte minore altitudine sint quam inferiores. — Item si tertia episcenos futura erit, mediani plutei summum* (intellige *pluteum*) *sit dimidia parte: columnae summae medianarum minus altae sint quarte parte.* ubi sola Sulpiciana rectius habet *inferioris pulpiti;* nam podium in inferiore parte habet non pluteum, sed *libramentum* modo *pulpiti.* Rode ibi vertit *pulpitum fortlaufendes Postament*, item *podium*, itaque utrumque confundere videtur. Galiani contra *pòdium, il zoccolo, pluteum, il piedistallo* vertit. Idem paulo post verba Vitruvii *uti gradus, diazomata, pluteos, itinera, adscensus, pulpita, tribunalia et si qua alia intercurrunt*, ita vertit, ut *diazomata, ripiani, pluteos, parapetti* redderet. Contra Rode pessime *gradus, die Stuffen, diazomata, Absätze, pluteos, fortlaufende Postamente* interpretatur. Philander *pluteum* hoc loco, uti libri 4 cap. 4, pro *podio* dictum censet, et queritur de

Digitized by Google

Vitruvio, qui vocabulo eodem diversis in rebus usus negotium quamvis doctissimo lectori faciat. Est alius Vitruvii locus de balineis infra V cap. 10 *alvei autem latitudo inter parietem et pluteum ne minus sit pedes senos, ut gradus inferior inde auferat et pulvinus duos pedes.* ubi Galiani interpretatur *sponda, balaustrata, parapetto*, Rode *Brustlehne.* Postremus locus est in libro X cap. 21 de testudine Agetoris: *Supra caput eorum, qui continebant arietem, collocatum erat pluteum, turriculae similitudine ornatum, uti duo milites tuto stantes prospicere possent.* ubi in graeco Athenaei est πήγνυται θωράκιον. Galiani *parapetti*, Rode *Schirmdach* vertit, comparans pluteos Vegetii de re militari 4 c. 15. Festus: *Plutei crates corio crudo intentae, quae solebant apponi militibus opus facientibus; et appellabantur militares; nunc etiam tabulae, quibus quid praesepitur, eodem nomine dicuntur.* Ad quem locum Scaliger in annotatione posuit ex Glossis: *Pluteus*, παράθεμα, ἀνάλιτον, θυμέλη πλοίου, ἐγγώνιον τριπλίνου. Ex aliis Glossis: *Pluteum*, γυψοπλασία. Comparat etiam Martialis 3 Epigr. 91 *namque puer pluteo vindice tutus erat.* Glossa quae ἐγγώνιον τριπλίνου interpretatur, pertinet ad eum usum, quem reperio in Suetonii Calig. 26. *quosdam summis honoribus functos — coenanti modo ad pluteum modo ad pedes stare succinctos linteo passus est.* et Propertii IV, 8, 68. *Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens.* De mortuo Martialis 8 ep. 44 *supra pluteum te iacente vel saxum.* ubi simpliciter tabulam significare videtur.

Mihi Vitruvius *pluteum*, genere neutro dictum, a *pluteis*, masculo genere, non sine causa distinxisse videtur; quod etiam glossae auctor, qui γυψοπλασία, *pluteum* genere neutro, interpretatur, voluisse videtur significare, quamvis vocabulum, mihi quidem ignotum, pro interpretatione ponens. Fuisse etiam olim viros doctos, qui diazomata in Vitruvio coronices, (*corniches*) quibus contignationes discernuntur aut quae ornamenti magis quam necessitatis alicuius gratia adduntur, interpretarentur, disco ex H. Stephani Thes. G. L. sub verbo Διάζωμα, ubi commode addit

Digitized by Google

locum Plutarchi in vita Periclis c. 13 de templo Eleusinio: *τὸ διάζωμα καὶ τοὺς ἄνω κίονας ἐπέστησε.* ubi Furlanus coronam interpretatur, pariter ac in Theophrasto de Lapidibus p. 392 ed. Heinsii, ubi de lapide Poro, Pario marmori simillimo colore et duritie, sed peculiari levitate est: *διὸ καὶ ἐν τοῖς σκουδαζομένοις οἰκήμασιν ὥσπερ διάζωμα τιθέασιν αὐτὸν οἱ Αἰγύπτιοι.* Ita Athenaei Callixenus 5 p. 291 ed. Schweigh. *αἱ δὲ κεφαλαὶ (τῶν κιόνων) Κορινθιουργεῖς — τὸ δὲ ἐπιστύλιον ἐπὶ χρυσοῦ τὸ ὅλον· ἐφ' οὗ διάζωσμα ἐφήρμοστο περιφανῆ ζώδια ἔχον ἐλεφάντινα, μείζω πηχυαίων. — ἐπέκειτο δὲ καὶ στέγη καλὴ τῷ συμποσίῳ τετράγωνος.* ubi Dalecampius zoophorum, *la frise*, interpretatur; Casaubonus vero cum nupero Interprete tacet. Hinc factum puto, ut Plutarchus T. 6 p. 395 ed. Huttenianae Operum Moral. *ὑπέρεισμα καὶ διάζωσμα τῆς τροφῆς* diceret. Pluteum igitur, ut equidem censeo, Vitruvio est quod graece *διάζωμα* dicitur, id est quod inter superiorem et inferiorem aedium et columnarum partem medium intercedit, et superiores columnas quasi fulcit; interdum etiam columnationis supremam partem epistylio impositam significat, quam alii coronam alii zoophorum interpretantur. Hinc est, quod cap. huius sect. 10 Vitruvius ait: *sublata epistyliorum ornamenta et pluteorum columnarumque superiorum distributio* (sublata) *operosam detrahit molestiam.* ubi pluteos, (genere tamen diverso pro *pluteum*) ante columnas superiores nominat, quia hae insistebant pluteis vel potius pluteo.

Una mihi superest in hoc loco dubitatio, quod verba sequentia habent proportionem columnarum superiorem, quae quomodo ad pluteum, si non *θωράκιον*, sed *διάζωμα*, sive coronam aut zoophorum interpreteris, pertineat, equidem non video. Quare verba dubia seclusi iniectis uncis, donec doctiores aut vindicaverint ea aut plane condemnarint.

fuerint — Sulp. *fuerunt*. Deinde *nec conspiciantur* Guelf. Wrat. Postea *zophora* Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Denique *et symmetriis* Guelf. a prima manu habet scriptum.

Digitized by Google

6.

comparationes — Sulpic. *compactiones.* Deinde *columnae* pro *coloniae* Sulpic. Vatic. Fran. *Fanestris* Sulp. *Fenestri* Guelf. a prima manu. *fanesunt* Wrat. Ciseranus scripturam *fenestris* defendens, quam vertit *con le fenestre*, annotavit varietates has: *Fanestri*, *forestris*, *forensis*, *sine fenestris collocavi*, *in colonia fanensi.*

mediana testudo — Perrault vertit: *La voute du milieu* omissa mentione columnarum, sed in annotatione distinctius ponit *la grande nef du milieu.* Galiani: *la volta di mezzo fra colonne e colonne.* Navem sic dictam a recentioribus intelligit etiam cum Neutono Rode. Scilicet sequentia docent columnas hic intelligi eas, quae sunt intra parietes basilicarum.

inter parietes — Sulp. *inter columnas et parietes.* qui verborum ordo melior mihi videtur, cum columnae interiores postremo loco nominatae antecesserint. Statim sequitur in Wrat. *latas.* Galiani vertit: *il portico attorno alla volta*, *cioè fra il muro e le colonne.*

altitudinibus perpetuis — Perrault vertit: *les colonnes avec les chapiteaux ont toutes.* Galiani: *le colonne in tutta l'altezza.* Vocabulum *perpetuis* non reddidit Rode. *Perpetuae* sunt, quod non iunctis duabus columnis efficiuntur, ut deinde super parastatica altera imponitur.

pedum — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *pedes.* Deinde *parastaticas* restitui ex Sulp. Fran. Vatic. Guelf. Wrat. Plinii locum 33 c. 3 sect. 15 de rege Colchorum comparavit Philander, ubi est: *Sed et illius aureae camerae, argenteae trabes narrantur et columnae atque parastaticae.* ubi ante Harduinum *parastatae* similiter legebatur. Is comparavit ex notis Tironis p. 163 *Parastratica* post *columna.* et ex Inscriptione apud Alex. Donatum p. 250. *Traiani imagines argenteas, parastaticas cum suis ornamentis et regulis et concameratione ferrea.* quam repetiit male interpretatus Reinesius p. 142 et Fabretti p. 688.

Digitized by Google

latas pedes duos semis — Wrat. *latae duos sibi crassas. i. ŝ que sustinent.* Sulpic. *latas pedes IX crassas X quae.* Guelf. *latae pedes duos crassas pedem unum semis.* Ciseranus monet numerum parastaticis in libris addi *XXVIIII*, *XXV*, *XVIII:* deinde in libris esse: *latas pedes IX crassas pedes X.* in aliis: *latas pedes XI crassas pedem unum.*

aliae parastaticae — Ita Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Iocundus primus *parastatae* dedit.

et porticus — Sulp. Guelf. Wrat. *porticum.* Iocundus post *porticum* comma posuit; Philander verba *quae sunt — testudinem* parenthesi inclusit; quod fecit etiam Laetus, qui *porticuum* edidit, quem sequitur Galiani. Contra *porticus* dedit Rodiana. Perrault vertit: *qui soutiennent les poutres qui portent encore les forces et tout le toit des seconds portiques.* Is igitur *porticum alteram* scribendum censuit. Miratiônem facit *cantherium* vocabulum numero singulari positum.

sunt submissa — Wratisl. pro his *summa* habet. Perrault vertit: *un peu plus bas que la grande voute.* Ita etiam Galiani et Rode. Sed vide ad sect. 10 dicenda.

parastaticarum — Ita Sulpic. Vatic. Guelf. Wratisl. pro *parastatarum.*

7.

testudinis — Wrat. *testudinibus — dextra sinistra — cum longitudine.*

est foro proxima — *foco* Fran. *choro* Wrat. *in foro* dedit Editio Philandri, Laeti et Galiani, vitio operarum. Deinde *cum isdem* Wrat.

8.

Item tribunal est — Hinc Capitulum IV exorditur Wratisl. Deinde *quod est* Sulp. Guelf. Wrat.

minore curvatura — Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *minoris,* Vatic. Fran. *curvaturae.* Philander monet intelligi arcum circuli et formam tribunalis σκαφοειδῆ, id est lineamento non dissimili one-

Digitized by Google

rariae navis scaphae. Hinc Romanos hodieque *tribunam* vocare nichium maximum ad caput aedis intimum. De forma tribunalis ex numis viri docti constare putant, eam quadratam fuisse, cum rotundam fuisse hic Vitruvii locus et alter libri 4 ubi est de aedibus rotundis monopteris, arguat. Qua de re habet quaedam Clavis Ciceroniana sub hoc vocabulo.

Hemicyclium paulo post nominant Codices Vaticani. In Suetonii Grammaticis c. 17 de Verrio Flacco est: *Statuam habet Praeneste in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos publicarat.* ubi libri 3 Vaticani cum Vossiano et Paris. dant *in superiore f. p. c. hemicyclium — marmori perite incisos.* Quod ait Baldus in Lexico Vitruviano hemicyclum fuisse etiam cathedram semirotundam, praeterea solium in balneo et locum coenationis, in eo falsus ipse lectorem fallit. Locum Strabonis apposuit latine hunc: *Lusitani sedentes coenant, aedificatos in pariete hemicyclios habentes.* Sed graecus Strabo libro 3 p. 414 Sieb. habet *περὶ τοὺς τοίχους καθέδρας οἰκοδομητὰς ἔχοντες.* Est tamen locus Ciceronis Laelii c. 1 de Scaevola augure: *memini, domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, cum et ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere.* Comparaverat olim H. Stephanus Ciceronis locum de Finibus Bon. 5, 20 *cumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos et semicirculos consectari.* ubi hodie praeeunte Davisio *sessiunculas* ex Codd. dederunt Editores; ut in altero Ciceronis loco libri alii *hemicyclo* habent. Verum etiam de loco aliquo publico dici, ubi homines congregari otiosi solebant, apparet ex loco Plutarchi De Garrulitate p. 99 ed. Hutt. ubi ait fugi garrulum ab omnibus: *κἂν ἐν ἡμικυκλίῳ τινὶ καθεζόμενοι κἂν περιπατοῦντες ἐν ταὐτῷ θεάσωνται προσφοιτῶντα.* Accedit locus eiusdem in Alcibiade c. 17 *ὥστε πολλοὺς ἐν ταῖς παλαίστραις καὶ τοῖς ἡμικυκλίοις καθέζεσθαι.* ubi pariter est de otiosis hominibus. Tale publicum hemicyclium intelligere Suetonius videtur. Idem Niciae 12 *ἐν παλαίστραις, ἐν ἐργαστηρίοις καὶ ἡμικυκλίοις συγκαθέζεσθαι* iungit de iisdem loquens.

Digitized by Google

pedum — Sulp. Fran. Wrat. *pedis*, Guelf. *pedes*. Deinde *tres* pro *sex* Wrat. Postea *pedes* Sulp. Guelf. Wrat.

uti qui apud — Ita Sulpic. Guelf. Wrat. *uti eos qui apud* vulgatur. *aput* Wrat.

eaeque ab — Sulp. *hae quae*. Wrat. *eaque*. Deinde *a tertiis* Sulp. Postea *interiore* Sulp. Guelf. Ceterum Perraltus de latitudine iusta solicitus malebat h. l. scriptum *ex IIII tignis*. Contra quem monet Galiani latitudinem omissam esse a Vitruvio, utpote definiendam ex latitudine summae columnae. Deinde idem Perraltus corrigebat *procurrunt e regione parietum qui dextra ac sinistra:* quia columnae pronai minus sint altae quam columnae basilicae, et tertia quidem parte ex Barbari iudicio. Galiani silentio hanc dubitationem praetermisit.

ac sinistra — Ita Sulp. pro *et sinistra*. Deinde *hemyciclium* Vatic.

9.

ex fulmentis — Sulpic. et Barb. *fulcimentis*, deinde *pedis III.* Vatic. 1. Guelf. Wrat. *pedes III. Fulmenta* in versione Perraltus praeteriit, Galiani vertit *per sostegno*, eumque secutus Rode *gleich Stützen*. Sed hoc esset *pro fulmentis*. Contra Vitruvius materiam structarum pilarum significare voluisse videtur, certe debuit, cum praepositionem *ex* poneret. Videamus igitur de vocabulo, ex cuius prima notione liceatne eruere sententiam Vitruviani loci. Igitur a fulciendo derivatum esse vocabulum, in manifesto est; genere vero utroque *fulmentum* et *fulmentam* dici annotavit Grammaticus Nonius. Usum apud paucos scriptores superstites hodie reperimus. Primus igitur Cato de R. R. 14, 1. inter partes et materiam villae aedificandae nominat: *parietes omnes calce et cementis, pilas ex lapide angulari, (ἐγγωνίῳ) tigna omnia, quae opus sunt, limina, postes, iugamenta, asseres, fulmentas, praesepis bubus hibernas* et cet. ubi ante Victorium erat *fulcimenta*, in Codice Paris. est *fulcimentas*. Gallicus interpres ibi vertit *les pieds-droits*. Gesner

Digitized by Google

tigilla quadrata, qualia pedibus lectorum adhibentur. Sed ex ista vocabulorum farragine nihil certi licet definire. Plauti locus in Trinummo 3, 2, 94 paulo est apertior, ubi servulus se parat ad expeditionem peregre bellicam cum domino suscipiendam: *nisi ut sarcinam constringam, et clypeum ad dorsum accommodem, fulmentas iubeam suppingi soccis.* ubi recte Casaubonus *κατρύμματα*, sola interpretatur, nostris *Sohlen.* Editio Scutarii et Veneta ibi pariter habent *fulcimenta.* Nonius ex Varrone memorat proverbium *fulmenta scandunt lectum*, ubi vulgo lecto suppositos pedes interpretantur. Idem ex libro quarto Lucilii apposuit versum *sufficit huic dum fulmentas quattuor addit*, ubi de soccis videri possit adhibitum esse. Sed de altero eiusdem loco dubitari potest, ubi est: *fulmentas eis atque aeneis subducere.* Altera Merceriana Editio Nonii ex fide librorum scriptorum expressa utrumque locum vitiosum ita exhibuit: *Sucit huic fuldum fulmentas quattur addit:* deinde alterum: *fulmentas aeneis atque aeneis subducere.* Cum qua scriptura plane consentit Codex Guelferbytanus olim a me comparatus, ubi equidem, quis coniecturae probabili locus sit relictus, non video. Tentaveram tamen ita legere priorem locum: *Subiicit huic soleam, fulmentas quattuor addit.* Sed omittamus fragmenta haec a re architectonica plane aliena. Ecce enim locum Sidonii Apollinaris II Epist. 10 ubi de Ecclesia Lugdunensi recens structa canit:

Huic est porticus applicata triplex
Fulmentis Aquitanicis superba.

Uterque interpres, Savaro et Sirmondus, *fulmenta Aquitanica* interpretantur columnas Aquitanicas, quas duobus in locis scriptorum nominatas repererant. Verum ea interpretatio non est tam certa, quam duumviris istis fuit visa. Quidni enim Apollinaris crustas lapidis Aquitanici dicere potuit, quibus porticus triplex fuit vestita? Certe Vitruvii fulmenta, quibus pilae struuntur, genus aliquod et certam figuram caementorum significare debent. Procopius, ubi aedem Sophiae Constantinopolitanam de-

Digitized by Google

scribit, libri I c. 1 de aedificiis Iustiniani, de pilis, quibus fornices innitebantur, haec separatim tradit, quae huc latine ex versione apponam: *Quadrata est structura lapidum, quibus natura duritiem ars laevorem dedit, ita caesis, ut ii quidem, qui eminentiis laterum cuiusque pilae destinati sunt, angulati sint, quadrati vero, qui in medio sedent. Illos coagmentat non calx, non bitumen, nihil aliud eius generis, sed plumbum, quod lacunis (interstitiis) infusum omnia permeat interstitia, illapsumque iuncturis lapidum ipsos nectit.*

trabes euerganeae — Sulp. Fran. Cotton. omittunt vocabulum *trabes*. De *euerganeis* dictum ad 5, 7, 4. Perraltus vertit: *bien jointes*. Galiani *travi ben lavorati*. Rode: *wohleingebundene Balken*.

transtra — Guelf. *trasta*, Wrat. *tracta*. Deinde *cum capitulis* Wrat.

columnarum contra corpora — Iocundus primus *columnarum* omisit, cum Sulpicianae *zophora* in *zophoros* convertisset. Sed vocabulum *columnarum* e Sulpic. Guelf. Wratisl. Fran. recte restituit Rode, qui *corpora* etiam ex Guelf. Wrat. Fran. Vossiano Laeti in locum vitiosi *zophora* vel *zophoros* restituit.

collocata — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *collocatae*. Sequens *perpetuae basilicae* Perraltus vertit: *le faite qui va tout le long de la Basilique*. Sic etiam Galiani et Rode. Deinde *ad medium* Sulpic.

10.

duplex tecti nata — Ita Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wratisl. unde Bondam p. 50 *pectinata* scribendum coniecit. Sed si comparaveris locum libri I cap. 5 sect. 7 ubi *fundamenta pectinatim coniuncta* sunt, et libri VI cap. 11 ubi *dentes coniuncti muro serratim struantur* est, parum probabilem coniecturam esse videbis. Iocundus, cum librarium aberrantem bis posuisse *tecti* videret, hic et statim post *extrinsecus*, priore in loco delevit, ut alieno, qui tamen mihi proprius ei videtur esse.

Digitized by Google

Primo enim hoc loco fastigia tecti gemina recte commemorantur; at eo ordine, uti vulgo legitur scriptus hic locus, *extrinsecus tecti et interioris altae testudinis*, in errorem facile inducitur lector, uti fuit Perraltus, ut *tectum* extrinsecus, (quo nomine *tecta porticus* supra sect. 6 nominata intelligere oportet) et quidem fastigatum, opponi credat *testudini altae interiori*, id est tecto testudinis instar curvato. Igitur Perraltus vertit: *celle de dehors, qui est en pente, et celle de dedans, qui est en voute.* Perraltum secutus est Hispanicus interpres *Ortiz.* At recte Galiani monuit *fastigii* nomen nulla ratione coniungi posse cum tecto testudinato. Igitur ut erroris causam tollerem, vocabulum *tecti* priore in loco cum Sulp. et Codd. reposui; altero vero in loco olim *porticus* scriptum fuisse suspicor; cuius in locum vacuum successit repetitum inepte *tecti* in eo Codice, ex quo reliquos, quos hucusque viri docti compararunt, derivatos esse apparet. An fortasse in loco alterius *tecti* olim fuit scriptum *pronai*, quod alterum culmen a medio supra pronaum aedis Augusti decurrens, alterum perpetuae basilicae antea Vitruvius nominavit? Ita primum culmen perpetuae basilicae tectum etiam porticuum complectebatur, alterum a medio fastigio basilicae perpetuae transversum (quod posuit etiam in versione Perraltus) procurrebat supra pronaum aedis. Quam sententiam si mecum probaveris, tum verba sect. 6 *porticus quae sunt submissa infra testudinem* aliter interpretari oportet.

interioris — praestat — Wrat. *interiores.* Ex Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *praestant* vulgatum correxit Rode, ut antea ex Vatic. Galiani. Deinde *venusta* Wrat.

pluteorum — Wratisl. *publicorum.* Deinde *operosa* Sulpic. *distrahit* Vatic. 2. *detrahis* Wratisl. Ceterum post *distributio* repete *sublata;* quod recte vidit et in versione secutus est Perrault et Galiani; contra Rodiana interpretatio verba singula adnumerans lectorem facile in errorem inducit.

sub trabes — Ita Guelf. Wrat. pro *trabe.* Deinde Wratisl. *et magnitudinis magnificentiam* dat.

Digitized by Google

AD CAPUT II.

In inscriptione ex Sulpic. adieci verbum *ordinandis*, quod omittunt reliquae Edd. Libri scripti Guelf. et Wrat. his titulis plane carent.

coniungenda — Vatic. 2. *adiungenda.* Deinde *uti in gravitudo symmetriae* Wrat. postea *respondeant.* De aerario in aede Saturni ad forum pertinente, et carcere in media urbe foro imminente ex Livii historia prima admonuit Philander. De carceris situ constat etiam ex loco Plinii 7 s. 60 de antiqua horarum observatione: *A columna Maeniana ad carcerem inclinato sole supremam pronunciabant.* Ibidem est: *cum a Curia inter Rostra et Graecostasin prospexisset solem.* Hostiliam curiam contra forum fuisse ex Asconio Pediano ad Orationem pro Milone annotavit Philander.

habuerit — Wratisl. *fuerit.* Sulpic. sequens *addita* omisit. Postea *componatur* Sulp. Fran. Wrat.

summae compositae — Vulgo est *summa composita.* Sed Sulp. Wrat. *summae*, Guelf. Wrat. *compositae.*

lacunariis — Guelf. Wratisl. *lacunaris.* Deinde *altitudine* Fran. quod a prima manu scriptum habet etiam Guelf.

2.

albario — opere — Philander ad V cap. 10 albarium opus censebat pura calce fieri, tectorium vero complecti arenatum, id est mortarium et marmoratum. Contra ad VII, 2. Tectoria, inquit, aut gypso fiunt aut pura calce; hoc vocatur albarium opus: aut calce et arena, et dicitur arenatum: aut marmore et calce et marmoratum nominatur. Similiter Salmasius Exercit. p. 868. Tectorium, inquit, fit harenata calce vel marmorato, albarium calce mera. Falsi fuerunt viri docti ex eo, quod verbum dealbare adhibetur de opere albario et tectorio. Sic est in Inscriptione Puteolana Philandri: *eosque parietes marginesque omnes, quae lita non erunt, calce harenata lita politaque et calce uda dealbata*

Digitized by Google

recte facito. ubi recte corrigit Salmasius: *lito politoque et calce nuda dealbato.* Columbarium Palladius I, 24, 1 facit parietibus laevigatis et dealbatis. Alterum, quod viros doctos in errorem induxit, est Vitruvii 7 cap. 2 quod inscribitur *De maceratione calcis ad albaria opera et tectoria perficienda.* Hinc sumsit Palladius I c. 14 *opus quoque albarium saepe delectat, cui calcem debebimus adhibere, cum multo tempore fuerit macerata.* Verum calce fundantur parietes, opere albario deinde inducendi. Recte hoc vidit et contra Philandrum et Salmasium monuit Perraltus ad hunc ipsum Vitruvii locum, ubi coronae opere albario fiunt, quas mera calce effici non posse, constat inter artis peritos.

si non erunt — Sulp. *erint.* Deinde *erunt parietes* Wrat.

ab imis — aera — dissipabitur — Ita plurimi scriptum h. l. habent Codices. Primum *imis* est in Sulp. Vatic. Guelf. *ymis* in Wrat. *aera* Fran. Guelf. Wrat. *dissipabitur* in Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. *aureis* male Wrat. deinde habet. Vulgatum *ab iis — aere — dissipetur* ex Fran. et Vossianis libris damnavit etiam Oudendorp ad Frontini Strateg. p. 101. qui monet Silium Italicum XV, 486 verbo *morari* similiter passivo sensu usum esse.

AD CAPUT III.

tum deorum immortalium — Haec desunt in Wrat. Deinde *exspectationibus* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Postea *ut in primo* a Philandrea accepit Laetiana cum aliis.

persedentes — Ciseranus memoravit librorum scripturam *praesidentes* et *praesedentes.*

detinentur — Cotton. *detenentur.* Deinde *in quas insidunt* Vatic. Wratisl. Cotton. unde Vossius coniiciebat *infiduntur.* Postea *quasi a regionibus* Cotton.

infundent — Wrat. *infundentur.* Deinde *de theatro* Sulp. Sequens *vitia* omisit Wrat.

Etiamque — Wrat. *Etiam quia.* Idem sequens *est* omisit. Postea *neue impetus* Cotton.

Digitized by Google

impetus habeat a meridie — Perrault: *que le Theatre ne soit pas exposé au midi.* Galiani: *che sia riparato da' venti meridionali.* Rode: *dafs es nicht der Mittagshitze entgegengesetzt werde.* Infra libri 6 cap. 3 *tetrastyla sunt, quae subiectis sub trabibus angularibus columnis et utilitatem trabibus et firmitatem praestant, quod neque ipsae magnum impetum coguntur habere, neque ab interpensivis onerantur.* Ennius apud Macrobium 6, 1 *carinae volat super impetus undas.* Attius Ciceronis de Divinatione I, 22 *cum iam quieti corpus nocturno impetu dedi.* i. e. ingruente nocte. Cicero de N. D. 2, 38 *cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videmus.* Poeta tragicus apud Ciceronem Tusc. Q. 2, 8 *non biformato impetu Centaurus ictus corpori inflixit meo.* ubi inepte periphrasin esse aiunt pro biformatus, ut impetu nocturno pro noctu. Dicitur impetus corporis moti, impulsi, ingruentis atque impendentis; etiam ipse motus, impulsio, incitatio, impendentia, gravatio, aggressus, vis denique. Caesar de B. G. 3, 8 *Veneti in magno impetu maris atque aperto, paucis portibus interiectis, quos tenent ipsi, omnes fere, qui eo mari uti consueverunt, habent vectigales.* ubi recte Oudendorpius mare impetuosum interpretatur, cum alii Lipsii coniecturam *ambitu* probaverint, qui *impetum aulae* ex Statii Sylvar. 4, 2, 23 afferunt. Etiam in Lucretii 5 versu 911 *aut hominem tanto membrorum esse impete natum, trans maria alta pedum nixus ut pandere posset, et manibus totum circum se vortere coelum* interpretantur de amplitudine quidam. male. Potius impes membrorum est vis et potestas ad magnos motus edendos. Idem 2, 594 *eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae*, i. e. Aetna subterraneis ignibus accensa et agitata. 6, 282 *ubi percaluit vis venti vel gravis ignis impetus incessit.* Versu 128 *post ubi contumuit vis eius et impetus acer.* Versu 729 *quo fit uti pacto liber minus exitus amnis et proclivus item fiat minus impetus undis.* ubi est via, cursus. ut 5, 813 *quod omnis impetus in mammas convortitur ille alimenti.* De pondere corporum deorsum latorum 6, 336 *quom*

Digitized by Google

plaga sit addita vero, mobilitas duplicatur et impetus ille gravescit. i. e. gravius et celerius deorsum fertur. De coeli impendentis motu est 5, 201 *quantum coeli tegit impetus ingens.* De ventis est 6, 591 *impetus ipse animai et fera vis venti per crebra foramina terrae dispertitur.* 1, 294 *impetibus crebris ruunt flamina venti.* Glossae *Impete*, ὁρμηδόν, *Impeteius*, βίαιος interpretantur. *Impetere* pro impetum facere est in Varrone de R. R. 3, 7, 7 et 3, 16, 8. Impetem eodem plane modo adhibuit Lucretius quo impetum. Ita 6, 518 *ubi vehementer utraque nubila vi cumulata premuntur et impete venti.* Aether 5, 506 *ipse suos ignes certo fert impete labens.* Denique *tremulo tempestas impete fulgit* est 6, 174 aperte pro *motu* tremulo. In hoc Vitruvii loco impetus habere a meridie locus dicitur, qui coeli inclinationem a meridie impendentem habet.

2.

versando — dum versatur et convertitur ipse in sese. Deinde *aduret excoquit* Wrat.

imminuit — Sulp. Wrat. *minuit.* Deinde *e cordibus* Wrat. Copulam *et* ante *eligendae* omisit Wrat.

3.

palustri — Wrat. *plaustri.* Sequens *et marmoreis* Galiani in *aut marmoreis* mutatum malebat.

ab substructione — Wrat. Cotton. *ab structione.* Galiani vertit: *dal piano di terra.* Perrault: *sur les fondemens.*

4.

ad altitudines theatrorum — Hunc locum ita vertit Perrault: *Les palliers en forme de ceinture doivent être faits selon la proportion que l'on donne à tous les Theatres, afin qu'ils aient une hauteur convenable à leur largeur.* In annotatione subiecta taxat veterem Interpretem Gallicum, qui verba Vitruvii ita verterat, ut praecinctionum altitudines proportione respondeant thea-

Digitized by Google

tri magnitudini. Contra ipse statuit praecinctionum altitudinem unam eandemque esse in theatris omnibus; eam enim pendere ex altitudine graduum, quos ipse Vitruvius cap. 7 *ut diazomata, pluteos, itinera, ascensus, pulpita, tribunalia et in pusillo et in magno theatro necesse esse* ait *eadem magnitudine fieri propter usum.* Praeterea Vitruvium dicere *ad altitudines theatrorum*, non *altitudinem;* illam vero dictionem ita interpretatur Perraltus: *suivant la proportion ordinaire des Theatres, où les degrez n'ayant de hauteur que la moitié de leur largeur, ainsi qu'il est dit à la fin du chap. 6 les palliers ne doivent aussi avoir de hauteur que la moitié de leur largeur: ce qui s'ensuit manifestement de la regle que Vitruve prescrit, qui est de tirer une ligne qui touche à toutes les carnes des degrez; car cela oblige de donner une même proportion aux palliers qu'aux degrez.* Itaque ex his consequi putat Gallus, verba *neque altiores quam quanta praecinctionis itineris sit latitudo* esse vitiosa et sic corrigenda: *fert latitudo.* quae sic interpretatur: *les palliers ne doivent point avoir plus de hauteur que celle que leur largeur demande.* Denique addit, praecinctionum altitudinem dici a Vitruvio eam quae est primi gradus supra praecinctionem positi. Argumentis Perralti commotus Galiani altitudini theatri numerum praecinctionum respondere debere proportione putavit, itaque vertit: *I corridori intorno saranno di un numero proporzionato all' altezza del Teatro.* In annotatione tamen subiecta admonet forte ex extremo cap. 6 (ubi est: *Gradus spectaculorum, ubi subsellia componantur, ne minus alti sint palmipede, ne plus pede et digitis sex; latitudines eorum ne plus pedes duo semis, ne minus pedes duos constituantur.*) peti posse subsidium ad hunc locum interpretandum. Forsitan igitur Vitruvium voluisse dicere, in theatris magnis praecinctiones esse faciendas maxima magnitudine proportione tamen subselliorum, in minoribus minore. Galiani rationem vertendo expresserunt Newton et Rode. Mihi numerum praecinctionum ad altitudinem theatri retulisse Vitruvium, nullo modo fit probabile.

Digitized by Google

Sed quid esse causae dicam, cur omnes Interpretes, quos equidem viderim, *itineris* mentionem plane omiserint? In eo tamen causa vel erroris Interpretum vel vitii scripturae mihi sita esse videbatur.

eiicient — Fran. Wrat. *eicient.* Cotton. *eiicientem.* Deinde ex Guelf. Wrat. Vossiano recepi *e superiore parte*, ubi vulgabatur *in superiorem partem.* Causam mutationis reddam commodiore loco ad sect. 5.

summis quae sunt — Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *suis.* Sequens *quae* omittunt Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat.

ad imum gradum — Wratisl. *unum.*

5.

et spatiosos — Haec omisit Wrat. Deinde *inferioribus superiores*, postea *demittitur* Wratisl. *dimittatur* Sulp. Fran. Guelf. Wratisl.

ne comprimatur — Sulp. *non compr.* Deinde *non impeditione* Wrat.

Etiam diligenter — Hinc Capitulum VI exorditur Wrat. Deinceps *sordus* a secunda manu Guelf. *sordidus* Wrat.

non impediatur resonantia — Vatic. Franeck. Guelf. *impediantur.* Negationem delevit Rodiana. Causam posuit vir doctus ad versionem hanc: Non solum sententiae nexum cum superioribus, sed etiam locum sect. 7 *ita in voce cum offensa nulla primam undam interpellaverit — sed omnes sine resonantia perveniunt ad imorum et summorum aures*, suadere, ut negatio deleatur. Resonantia scilicet est in hoc posteriore loco vocis repercussio, qua ab ea via et linea, qua ferebatur, depulsa diffunditur in alias et vicinas partes. Sic infra cap. 8. *diligentius est animadvertendum, uti sit electus locus, in quo leniter applicet se vox, neque repulsa resiliens incertas auribus referat significationes — item resonantes (loci) qui dicuntur ἀντηχοῦντες — Dissonantes sunt, in quibus vox prima cum est elata in altitudinem, offensa superioribus solidis corporibus repulsaque, resiliens in imum, opprimit insequentis vocis elationem. Circum-*

Digitized by Google

sonantes autem sunt, in quibus circumvagando coacta vox se solvens in medio sine extremis casibus sonans ibi extinguitur incerta verborum significatione. Resonantes vero, in quibus, cum in solido tactu percussa resiliat, imagines exprimendo, novissimos casus duplices faciunt auditu. Cuius totius loci maximus est usus ad plures huius capitis difficultates explicandas. Inde enim apparet Vitruvium vocabulum *resonantia* diverso sensu usurpare, alio locum resonantem dicere. Quae hoc in capite resonantia dicitur, est vocis altum scandentis repulsio et reiectio in imum; quod esse loci dissonantis proprium ait Vitruvius c. 8. Contra consonantes loci vocem ab imis scandentem auxilio ἠχείων vel naturalium vel arte appositorum adiutam emittunt in superiores partes. Horum locorum naturam imitati architecti veteres ad imas theatri partes vasa aenea consonantia apposuerunt. His ita disputatis lectori fiet manifesta causa, quae me movit, ut s. 14 lectionem Codicum *e superiore parte* praeferrem vulgatae *in superiorem partem.* Hoc vero in loco nullam equidem video causam, quae vulgatam de loco suo ut deiiciamus, nos cogat. Sed suspicor virum doctum oblitum fuisse ad verbum *impediatur* repetere vocabulum *vox.* Idem accidisse video Perralto et Galiano. Diligentia igitur Rodii uti est laudanda, partem enim veri vidit, ita coniectura plane repudianda est.

6.

Vox autem est — Guelf. Wrat. Voss. *Vox autem ut.* Sequens *et* omittunt Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. Deinde *et actu* Guelf. Wrat. Cotton. *et actus* Fran. teste Bondam, *et actu* inde posuit Friesemann. *at actu* liber Vossii habere videtur, nisi fallit exemplum Goettingense. *et ictu* Sulp. Vossius ex lectione *aëris et actu* efficiebat *aëris e tactu* probante Bondam p. 67 et comparante 1 c. 1. et 5, 5 ubi *tangi* similiter est de sonitu. Equidem *ictu* probandum censui, a quo, minime a *tactu* pendet sensibilitas vocis vel sonitus. Aeris enim motus vel lenissimi tangunt aures nostras, sed sonitu non afficiunt. Copulam *et* a Iocundo

Digitized by Google

recte transpositam fuisse credo. Primum enim explicatur, quid sit vox; ea est spiritus fluens, sed non aeris, sed hominis vel animalis. Aristoteles enim, ἡ φωνὴ, inquit, ψόφος τίς ἐστιν ἐμψύχου. Deinde causa vocis redditur; ea fit *ictu aeris.*

sensibilis auditui — Wrat. *sensibus auditu.* Fran. et Guelf. etiam *auditu* dant.

nascantur — Wrat. *nascentur.* Senecae locum Q. N. 1, 2. comparavit Philander: *Cum in piscinam lapis missus est, videmus in multos orbes aquam discedere, et fieri primum angustissimum orbem, deinde latiorem ac deinde alios maiores, donec evanescat impetus et in planitiem immotarum aquarum solvatur.* Idem paulo postea: *Lapillus in piscinam aut lacum et aliquam alligatam aquam missus circulos facit innumerabiles, et hoc idem non facit in flumine. Quare? quia omnem figuram fugiens aqua disturbat.* Comparationem ad aerem luce solis ictum transtulit Seneca ibidem, ad sonitum ab aere perlatum ad aures Stoici, de quibus est locus Plutarchi De Placitis Philosophorum 4 cap. 19. οἱ Στωϊκοί φασι τὸν ἀέρα μὴ συγκεῖσθαι ἐκ θραυσμάτων, ἀλλὰ συνεχῆ εἶναι δι' ὅλου μηδὲν κενὸν ἔχοντα· ἐπειδὰν δὲ πληγῇ πνεύματι, κυματοῦσθαι κατὰ κύκλους ὀρθοὺς εἰς ἄπειρον, ἕως πληρώσῃ τὸν περικείμενον ἀέρα, ὡς ἐπὶ τῆς πολυμβήθρας τῆς πληγείσης λίθῳ. καὶ αὕτη μὲν κυκλικῶς κινεῖται, ὁ δ' ἀὴρ σφαιρικῶς. Comparationem ipsam multis argumentis impugnavit Perraltus ad h. l. atque ea profecto est inepta, neque enim aer densus est atque immotus instar aquae stantis, sed fluit semper. Sed qui primi fuerunt usi comparatione, dicere voluerunt sonitum via non solum directa in summum et imum sed circulari etiam ferri et quoquoversus diffundi. Sic etiam Aristoteles Problem. XI, 7 ἡ γὰρ φωνὴ φέρεται κάτω οὐχ ἧττον, ὅλως δὲ παντοχῆ δοκεῖ καὶ κύκλῳ φέρεσθαι.

et quam latissime possunt evagantes — Copulam omittunt Sulp. Cotton. Guelf. Wrat. *possunt* pro vulgato *possint* dedi cum Laeto. Sequens *evagantes* effeci ex scriptura Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *et vagantes* probante Is. Vossio apud Bondam p. 78.

Digitized by Google

nisi angustia — Wrat. *in* interserit. Idem deinde *designat earum.* Pro *redundantes* in Sulp. est *redeuntes.*

7.

vox ictu ad circinum — Vulgabatur *vox ita.* Wratisl. *ista* dat, ut saepissime alibi. Vossius apud Bondam p. 79 *icta* corrigebat. Sed voluisse virum doctum dare id, quod posui, puto. Rationes naturae rerum apud intelligentes et loci sect. 6 memores reddere non erit necesse.

sed in aqua circuli aequa — Wrat. *si in* omisso *aequa.* Guelf. *aquae* a prima manu scriptum habet, et sequens vulgo post *circuli* vocabulum *aequa* omittit cum Sulp. Fran. Cotton.

planitiae — Sulp. *planitiae* — *movetur.* Deinde *latitudine* Wrat. ut paulo post Fran. et Cotton. Vulgatum *planitie* correxi, quod qui retinet, *aquae* scribere debet.

ita in voce — Sulp. Vatic. Fran. Cotton. *item in voce.* Deinde *primam undam* est in Edd. et libris scriptis, *undam* omisit Philandri editio, casu credo, quam expressit Galiani exemplum. Laetiana *priorem* omisso *undam* dedit. Postea *secundum* Voss.

sine resonantia — Sulp. *sua resonantia.* Deinde *ad summorum* Fran. Guelf. Wrat. Postea *prosecuti* Wratisl. et Guelf. sed a secunda manu.

8.

vocis scandentis — Voss. *voces.* Guelf. *vocis scandentis* a secunda manu habet scriptum, quod praetuli vulgato *scandentes,* quod inepte gradationibus adiungitur. *perfecerunt theatrorum gradationes* Sulp. dat. Denique *quaesierunt* Fran. Guelf. Wrat.

in scena — Wratisl. *in cena,* solenni varietate librariorum. Deinde post *spectatorum* Vossianus inserit vocabulum *sonitum.*

corneis ἡχείοις — Vulgabatur *corneis, diesi.* Sulp. *corneis haesic.* Guelf. *corneis haeaesic.* Wrat. *corneis haeiesit.* Fran. *corneis haesit.* Video nunc ab Is. Vossio admonitus P. Victorium Var. Lect. XX c. 7. vitium vulgatae lectionis animadvertisse et *diesin*

Digitized by Google

nullo modo hic tolerare posse. Itaque scribendum censuit *corneis ἠχέσι*, addens: *ut scriptum inveni in antiquissimo et fidelissimo exemplari.* Contra Is. Vossius ad h. l. *Victorius*, inquit, *legit corneis ἠχείοις. Sed hoc loco aliena sunt ἠχεῖα. Quapropter ut semel statuam, lego* asciis ad chordarum. Ineptissime profecto! Equidem iam olim ante cognitam Victorii opinionem *echeis* scribendum censueram in annotationibus ad Eclogarum Physicarum cap. XVI sect. 70 p. 182 ubi p. 175 posui loca veterum de *ἠχείοις*, e quibus huc in primis pertinet Aristotelicus ex Fragmento libri *περὶ ἀκουστῶν*, quem ex Mediceo Codice Commentariorum Porphyrii ad Aristoxeni Musica primus edidit anno 1557 H. Stephanus et cum alio Codice comparatum Wallisius in Operibus T. III p. 246 — 254. *Σαφεῖς δὲ μάλιστα αἱ φωναὶ γίγνονται παρὰ τὴν ἀκρίβειαν τὴν τῶν φθόγγων· ὥσπερ γὰρ καὶ τὰ χαλκεῖα* (aeneae laminae) *καὶ τὰ πέρατα συνηχοῦντα ποιεῖ τοὺς ἀπὸ τῶν ὀργάνων φθόγγους σαφεστέρους.* Idem Aristoteles in eodem libro postea: *οὐκ ἔστιν οὔτ' ἐν ὄγκῳ φωνῆς τὸ λιγυρὸν, οὔτ' ἐν τόνοις ἀνειμένοις καὶ βαρέσιν, οὔτ' ἐν ταῖς τῶν φθόγγων ἁφαῖς, ἀλλὰ μᾶλλον ὀξύτητι καὶ λεπτότητι καὶ ἀκριβείᾳ. Διὸ καὶ τῶν ὀργάνων τὰ λεπτὰ καὶ σύντονα καὶ μὴ ἔχοντα πέρας τὰς φωνὰς ἔχει λιγυρωτέρας· ὁ γὰρ ἀπὸ τῶν ὑδάτων ἦχος καὶ ὅλως ὅταν ἀπό τινος γιγνόμενος παραπολουθῇ, συνέχει τὴν ἀκρίβειαν τὴν τῶν φθόγγων.* De eodem genere *ἠχείου* videtur esse locus Hesychii: *ἠχεῖον — τὸ πρὸς τῇ μαγάδι χάλκωμα.* Lyrae *ἠχεῖον* antiquitus additum fuisse arundinaceum, postea corneum, constat ex interpretatione Grammaticorum Aristophanei loci Ran. 235 ubi est *δόναμα ὑπολύριον.* Hesychius habet: *πάλαμος. καὶ τὸ ὑποτιθέμενον ταῖς λύραις ἠχεῖον.* Idem: *πάλλιμος — λύρας τὸ ἠχεῖον· οἱ δὲ πάλαμος.* In ipsa cithara *μαγὰς* fuit *ἠχείου* loco, ut apparet ex Hesychio, qui interpretatur: *σανὶς τετράγωνος ὑπόπυφος δεχομένη τῆς κιθάρας τὰς νευρὰς καὶ ἀποτελοῦσα τὸν φθόγγον.* Docet hoc clarissime locus Philostrati in vita Dionis, de Platonicae dictionis imitatione: *ᾗ καθάπερ αἱ μαγάδες τοῖς ὀργάνοις προσηχεῖ ὁ Δίων τὸ ἑαυτοῦ ἴδιον.* Hinc lux affulget loco Euripideo Ionis versu 883 *ὦ τᾶς ἐκταφθόγγου μέλ-*

Digitized by Google

κων πιθάρας ἐνοκὰν, ἄτ' ἀγραύλοις πέρασιν ἐν ἀψύχοις ἀχεῖ μοῦσαν. ubi commode apposuit Musgrave locum Ciceronis de N. D. 2, 59 *itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, quae ad nervos resonant in cantibus.* Ita lectori de correctionis fide et sensu videtur satis esse factum. Scripturae varietatem vidimus similem in eodem vocabulo supra I cap. 1 sect. 10 et videbimus infra cap. 5 sect. 2. Ceterum ex primo Aristotelico loco constat etiam verbum *συνηχεῖν* eo sensu fuisse tum usurpatum, quo Vitruvius adhibuit cap. 8 *consonare* vertens.

ad chordarum sonituum — Sulp. Guelf. *cordarum.* Deinde *sonitus* ex Sulpic. praetuli vulgato *sonituum.* Fran. Voss. Guelf. Wrat. *sonitum* habent. Postea *perficiunt* Fran.

harmonicen — Wratisl. *harmonicem.* Voss. *harmonicam.* Deinde *ratiocinationis* Wrat.

AD CAPUT IV.

Harmonica — Vulgatum *Harmonia* vitiosum arguit finis antecedentis capitis, ubi Vitruvius ait theatrorum ratiocinationes ad augendam vocem esse constitutas per harmonicen. Vitium vidit et correxit iam olim Meibomius, cuius annotationes retulit Editio Laetiana p. 257 seqq. Is monuit tres esse principales Musicae partes, Harmonicen, Rhythmicen et Metricen: Harmoniae rursum partes esse septem, primam *περὶ φθόγγων*, de sonis, alteram *περὶ διαστημάτων*, de intervallis, tertiam *περὶ συστημάτων*, de systematis, quartam *περὶ γενῶν*, de generibus, quintam *περὶ τόνων*, de tonis, sextam *περὶ μεταβολῶν*, de mutationibus, septimam *περὶ αὐτῆς τῆς μελοποιΐας*, de ipsa cantus compositione, uti docet Alypius in Introductione Musica; quarum quinque suo instituto suffecturas Vitruvius hic delibaverit. Posuit Meibomius loca plurium scriptorum graecorum et latinorum de Harmonica, quae prudens omitto. Meibomii admonitionem non sprevit Perrault, ut fecerunt Galiani et Rode.

Digitized by Google

litteratura — Hoc solo loco Sulp. *litteratura* scriptum dat geminata litera *t*, in reliquis locis unicam dat, uti statim *literae*. Sic etiam Codices scripti Vitruviani, quos si non sum secutus ubique, id incogitantia mea potius quam voluptate accidisse, meminisse velim lectores.

quod nonnulla — Wrat. *quid*. Deinde *nonnullae* Franeck. Voss. Guelf. Wrat. Postea *latine* Fran. *latinitatis* Cotton.

ut potero — Voss. Guelf. Wrat. *potuero*. Deinde *Aristoxenis* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Postea *diagragma* Guelf. *dyadragma* Wrat. Denique *sonitum* Wrat.

2.

Vox enim duobus modis movetur — Ita hunc locum corrigendum esse solus praeclare admonuit Perraltus, cuius admonitioni non obsecuti sunt ceteri Editores. Vulgo legitur: *Vox enim mutationibus cum flectitur, alias fit acuta alias gravis: duobusque modis movetur.* Ita fit turpissimum ὕστερον πρότερον. Docet ipsa ratio, qua Vitruvius rem tractavit. Primum enim duos vocis motus ponit, continuum et distantem, graece συνεχῆ et διαστηματικόν, et statim primum explicat: postea alterum, distantem, διαστηματικόν tractat, qui constat mutatione et flexione vocis, qua vel gravis vel acuta fit. Nunc vero in vulgata scriptura praepostere vocis mutatio et flexio, qua fit vel gravis vel acuta, praecedit, deinde motus geminus explicatur, ex quorum altero pendet vocis mutatio et inflexio. Vitruvii ignorantiae vel incuriae tribuere ordinem verborum et tractationis nullo modo licet. Is enim nihil aliud nisi Aristoxeni verba, quae adhuc extant, latine est interpretatus, quae singulis in locis comparabimus. Miror reliquos Interpretes ad hunc locum tacuisse, adeoque ipsum Meibomium, quamvis iam olim in universum admonuerit Philander in hoc et sequenti capite multa esse Vitruvio vitia a librariis contracta.

habet effectus — Wratisl. Voss. *effectus habet*. Aristoxeni verba sunt haec iam a Meibomio comparata: δύο τινάς εἰσιν ἰδίαι

Digitized by Google

κινήσεως ἥ τε συνεχὴς καὶ ἡ διαστηματική. κατὰ μὲν οὖν τὴν συνεχῆ, τόπον τινὰ διεξιέναι φαίνεται ἡ φωνὴ τῇ αἰσθήσει οὕτως ὡς ἂν μηδαμοῦ ἱσταμένη, μηδ' ἐπ' αὐτῶν τῶν περάτων, κατά γε τὴν τῆς αἰσθήσεως φαντασίαν, ἀλλὰ φερομένη συνεχῶς μέχρι σιωπῆς. κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν, ἣν ὀνομάζομεν διαστηματικὴν, ἐναντίως φαίνεται κινεῖσθαι· διαβαίνουσα γὰρ ἵστησιν αὐτὴν ἐπὶ μιᾶς τάσεως, εἶτα πάλιν ἐφ' ἑτέρας, καὶ τοῦτο ποιεῖ συνεχῶς.

Continuata vox — Sic Sulpic. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *continua* dedit primus Iocundus. Ceterum *finitiones* et *terminationes* hoc quidem in loco eandem significant rem; Aristoxenus πέρατα dixit.

media patentia — Guelf. Wratisl. *parentia*, Franeck. Voss. *parientia*. Deinde *dicamus* Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat. Postea *nux* Fran. Guelf. Wrat.

Sic enim — Ita vulgatum *Nunc enim* ex Sulp. correxi. Deinde *intellegitur* Guelf. Fran. sed in illo vulgata suprascripta.

quod neque — Vulgabatur *sed neque*. Sulp. *sed quod* habet cum Vatic. Wrat. Fran. *sed quod* Cotton. sed suprascriptum habet *nec* inter utrumque vocabulum. *sed quid* a prima manu Guelf.

facta [*est*] *gravis*, *nec* — Seclusi verbum inutile, quod deleri iussit Perraltus. Pro sequenti *nec* in Sulp. Fran. Guelf. Cotton. Vatic. est *et*. Wrat. neutrum habet. Is etiam verba sequentia *acuta* — *distantiam* omisit. Ceterum eandem Aristoxeni sententiam Nicomachus Gerasenus in Enchiridio Harmonices libri I. p. 3. ita tradit: τὸ συνεχὲς (φωνῆς εἶδος) καθ' ὃ ὁμιλοῦμέν τε ἀλλήλοις καὶ ἀναγινώσκομεν, οὐδεμίαν ἔχοντες ἀνάγκην ἐμφανεῖς τὰς τῶν φθόγγων τάσεις καὶ διαπεπρισμένας ἀπ' ἀλλήλων ποιεῖσθαι, ἀλλὰ εἴροντες τὸν λόγον ἕως τῆς τοῦ φραζομένου τελειώσεως — καὶ τὸν μὲν τῆς συνεχοῦς φωνῆς τόπον ἀόριστον φύσει τῷ μεγέθει ὑπάρχειν, ἀφ' οὗ ἂν ἄρηται ὁ λαλῶν, μέχρις ἂν παύσηται, τὸ οἰκεῖον πέρας λαμβάνοντα, τουτέστι τὸν ἀπὸ τῆς πρωτίστης λαλιᾶς μέχρις ἐσχάτης σιωπῆς.

Per distantiam autem — Sulp. *Per distantiam: at*. Wrat. *Per distantia aut*. Fran. etiam dat *aut*. Ad *distantiam* intellige

Digitized by Google

vocis, i. e. τὴν διαστηματικὴν φωνὴν, quam supra *distantem* vocavit Vitruvius.

cum flectitur — Sulp. *quom*. Sequens *immutatione* ex Sulp. revocavi in locum vulgati *in mutatione*. Supra in Edd. prioribus legebatur initio sect. 2. *Vox enim mutationibus cum flectitur, alias fit acuta alias gravis.* ubi Sulp. pariter *quom* habet, Guelf. Cotton. *fiat*, Wrat. *fiet*. Ex illo loco suadente Perralto transtuli huc in locum suum verba *alias — gravis:* quae hic exciderant. Ceterum hic *in modulatione* scribi voluit Meibom. ad Script. Musicos p. 84 et supra *modulationibus*.

sonitus finitione — Ita cum Wrat. scripsi pro *finitionem*. Expressit verba Aristoxeni: διαβαίνουσα γὰρ ἵστησιν αὐτὴν ἐπὶ μιᾶς τάσεως, et reliqua.

ultro citro crebre — Vulgatur: *ultro citroque crebro*. Sed Sulp. Vossiani 2. Cotton. Fran. Guelf. Wrat. *citro*, et iidem Voss. Fran. Cotton. *crebre* dant, teste Oudendorpio ad Suet. p. 497. Meibom. ad Aristoxenum p. 84 ex Cotton. laudat *ultra citra*.

inconstans — Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat. *constans*. Hoc est quod Nicomachus ait: τὸ διαστηματικὸν — ὑπελάμβανον ἀσύγχυτόν τε ὑπάρχον καὶ τοῖς μεγέθεσι τοῖς καθ' ἕκαστον φθόγγον διηρημένον καὶ διεστός.

cum flectentes — Sulp. *conflectentes*. Guelf. Wrat. *circumflectentes*, sed Guelf. a prima manu. Sequens *vocem* dedi ex Guelf. Wrat. Voss. pro vulgato *voces*.

cum versatur — Wrat. *conversatur*. Deinde *media* pro *mediana* dedi ex Wrat. Postea *patentia* Sulp. Guelf. *patientia* Wrat. *parentia* Iocundus. Perrault vertit: *qui s'étendent en de grands intervalles*. Contra Galiani a Philandro, ut ait, acceptum edidit et vertit *carentia*, quem sequitur Rode.

3.

modulationum sunt — Wratisl. *sunt modulationum*. Pro διάτονον Wrat. habet *chatotqut*.

Digitized by Google

et ea re cantio — Sulp. *et aere*, quam scripturam vertendo probavit Ciceranus. Deinde *cantatio* Vatic. 1. Voss.

ac crebritate — Cotton. *a crebritate.* Deinde *Diatonon* Sulp. quae scriptura favere videtur Meibomio corrigenti: *Diatonum vero quod naturalius est et facilius in intervallorum distantia.* Sed cum eandem sententiam facilis fundat vulgata lectio, tentandam eam non censui. Aristides Quintilianus Libro I laudante Meibomio: *τῶν γενῶν φυσικώτερον μέν ἐστι τὸ διάτονον· πᾶσι γὰρ παὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις παντάπασι μελῳδητόν ἐστι. τεχνικώτατον δὲ τὸ χρῶμα· παρὰ γὰρ μόνοις μελῳδεῖται τοῖς πεπαιδευμένοις. ἀπριβέστερον δὲ τὸ ἐναρμόνιον· παρὰ γὰρ τοῖς ἐπιφανεστάτοις ἐν μουσικῇ τετύχηπε παραδοχῆς, τοῖς δὲ πολλοῖς ἐστιν ἀδύνατον.*

dispositiones — *tetrachordorum* — Haec omisit Wrat. Deinde *tonis et diesis* Sulp. *dyeses* Wrat. bis habet. Et paulo post *duae dihesis* Fran. *diesis* Sulp.

hemitonia — *sunt* — Haec iterum omisit Wrat. usque ad *Diatoni duo.* Contra *in ordines* omisso *sunt* Cotton.

incomposita — Meibomii correctionem posui pro *composita* librorum editorum et scriptorum. Firmat correctionem auctoritate Aristidis: *τὸ δὲ τέταρτον μελῳδίας εἶδος ἴδιον μὲν ἔχει τὴν ἐκ δυεῖν ἡμιτονίων ἀσύνθετον σύστασιν· καλεῖται δὲ τονιαῖον χρῶμα.* et Nicomachi: *τὸ χρωματικὸν οὕτως προβιβάζεται, ἡμιτόνιον, εἶτα ἄλλο ἡμιτόνιον, εἶτα ἐπὶ τούτοις ἀσύνθετον τριημιτόνιον.* De intervallis musicis compositis, incompositis et mixtis adi disputantem Meibomium, qui in loco antecedente corrigi voluit *quod harmoniae tetrachordum.* Sed cum ex vulgata eadem sententia non difficulter emergat attendenti, nolui eam mutare, quamvis Meibomio assentiatur Perraltus, qui praeterea *ditonum* scribendum censuit, *tierce majeure* interpretatus, quod non sit verosimile Vitruvium quatuor intervalla contulisse in unum tetrachordum.

trium hemitoniorum — Sulp. invertit ordinem vocabulorum. Deinde *continuata* Wrat. Sequens *toni* omittunt Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat. Pro *finit* in Wrat. est *facit.* Ceterum Perraltus probabiliter censet *trihemitonii* scribendum, quod est *tierce mi-*

Digitized by Google

neure. Locus enim desiderat unum intervallum, cum tria hemitonia faciant intervalla tria. Et sic est in loco Nicomachi supraposito τριημιτόνιον.

et hemitonio — Guelf. Wrat. *et hemitonia.* Sequens *sunt* om. Voss. Postea *unicuiusque* Sulp. Denique *generibus* Wrat.

dissimilem — designationem — Haec omisit Wrat. Deinde *intervallo* Guelf. Vatic. Postea *finiitque* Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat.

4.

quantitate — Wrat. *quantitatem.* Sequens *distantibus* omisit Sulp. ut deinceps *etiam* Wratisl. qui postea *fabricânt* habet. Ceterum prior pars huius loci mihi vitiosa esse videtur. Nec enim intelligo qui possit natura dici divisisse intervalla *tonorum et hemitoniorum et tetrachordorum in voce.* Quo enim pertinet adiecta tetrachordorum mentio, quae vocem naturalem imitantur? Perrault vertit: *c'est la nature qui a determiné les intervalles des Tons et des Demitons des Tetracordes et qui en a établi et determiné les proportions etles proprietés.* Itaque copulam *et* ante *tetrachordorum* omisit; cetera nimis negligenter in brevitatem satis obscuram contraxit. Verba singula reddidit vertendo Galiani, nisi quod verba *mensuris, intervallorum quantitate* sic vertit, quasi ita essent scripta: *mensuris et int. quantitate.* Deinde *modis distantibus* interpretatur *modificazioni di distanza.* Rodiana versio copulam *et* ante *tetrachordorum* similiter omisit, cetera sic reddidit: *und hat ihren Umfang nach Maſs und Anzahl der Intervalle, ihre Eigenschaften aber nach gewissen Verhältnissen bestimmt. Modos certos distantes* recte mihi Galiani reddidisse videtur; eosdem supra Vitruvius *modulos* dixit, cum Chroma *crebritate modulorum* suaviorem habere delectationem ait. Habet enim genus chromaticum intervalla crebriora, graece πυκνότερα: priora enim intervalla duo efficiunt tonum, tertium facit item tonum cum hemitonio. Superest difficultas in verbis *et tetrachordorum*, quam secutus Perraltum sustuli seclusa copula; alteram in verbis *eorum mensuris intervallorum quantitate* si cum Galiano ita volueris explicare, ut copulam *et*

Digitized by Google

ante *intervallorum* inseras, tum vero Vitruvium plane balbutientem et ineptum reddes. Ita enim verba procedent: *finivitque terminationes eorum* (intervallorum) *mensuris et intervallorum quantitate.* Quae ne fiat homini quanquam non diserto, minime tamen inepto, iniuria, unum est remedium, ut vocabulum *mensuris* quasi ex Grammatici interpretatione ortum secludamus; quod feci.

5.

Sonitus — Hinc Capitulum VIII exorditur Wratisl. qui *perpetui stantes* deinceps dat. Euclides Harmonicorum p. 3 *φθόγγοι εἰσὶ τῇ μὲν τάσει ἄπειροι, τῇ δὲ δυνάμει καθ' ἕκαστον γένος δεκαοκτώ.* p. 6 *τῶν δ' ἐξηριθμημένων φθόγγων οἱ μέν εἰσιν ἑστῶτες οἱ δὲ κινούμενοι. ἑστῶτες μὲν οὖν εἰσιν, ὅσοι ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς οὐ μεταπίπτουσιν, ἀλλὰ μένουσιν ἐπὶ μιᾶς τάσεως· κινούμενοι δὲ, ὅσοι τοὐναντίον πεπόνθασιν· ἐν γὰρ ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς μεταβάλλουσι καὶ οὐ μένουσιν ἐπὶ μιᾶς τάσεως.*

cum communiter — Perraltus monuit sententiam postulare *particulariter* vel *peculiariter.* Immobiles enim sonitus communes esse generibus tribus, mobiles contra vel vagantes facere generum differentiam.

qui inter mobiles — Wrat. *quae.* Post *mobiles* Guelf. Wrat. Voss. addunt *sunt.*

e generum discriminibus — Nisi cum Meibomio *in generum* scribere malueris, est dictum pro *pro generum discriminibus.* Aristoxenus I p. 22. *οἷον τὸ ἀπὸ μέσης ἐφ' ὑπάτην· ἐν τούτῳ γὰρ δύο μὲν οἱ περιέχοντες φθόγγοι ἀκίνητοί εἰσιν ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς, δύο δὲ οἱ περιεχόμενοι κινοῦνται.* Infra est: *in generibus et locis loca mutant.*

hypate hypaton — Sulp. *hypate paripate*, *Mese*, *Paramese*, *diezeugmenon*, *Hyperboleon*, *Nete.* Contra Guelf. Wrat. Voss. in vulgata a Iocundo scriptura nihil variant, nisi quod *nete synemmene* dant, sequens *nete diezeugmenon* omittit Wrat. *nete diezeugmene* Guelf. denique *hyperboleon* Wrat. Eodem ordine enumerat Euclides p. 6.

Digitized by Google

tetrachordo — Sulpic. *tetracordo.* Deinde *mutat* Wratisl. Postea *vocabunt* Cotton. a prima manu scriptum habet, vulgato suprascripto. Denique ipsa vocabula ita variant libri. Primum Wrat. Guelf. Sulp. *parhypate hypate.* Deinde *lycanos*, *Mese*, *Peripate Meson lycanos meson*, *synezeugmenon*, *Hyperbolcon* Sulp. *litanos phalon* — *litanos meson*, *tritresinemen tridte diezeugmenos*, *paranete*, *paranete* omissis *diezeugmenon triteh. paranete* Wrat. *trite synemmenu* (omisso medio *paranete synemmenon*) *diezeugmenu*, *triteh.* Guelf. Ordinem ex Euclide restituit Iocundus, qui generatim: *κινούμενοι δὲ οἱ ἀνὰ μέσον τούτων (τῶν ἑστώτων) πάντες.*

6.

Ei autem — Sulp. *Ea.* Deinde *qua moventur* Sulp. Guelf. Wrat. Voss. *quia* Vatic. 2. Euclides p. 10 *γίνονται δὲ αἱ τῶν γενῶν διαφοραὶ παρὰ τοὺς κινουμένους τῶν φθόγγων. κινεῖται δὲ ἡ μὲν λιχανὸς ἐν τονιαίῳ τόπῳ, ἡ δὲ παρυπάτη ἐν διεσιαίῳ.*

diesi — Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *hemitonium* dant. Deinde *chromata* Sulp. *chroma transmutata* Fran. Guelf. Wrat. sed *transmutatam* Fran.

in diatono vero tonum — Haec omnia Sulpic. Franeck. Voss. Guelf. Wrat. Bononiensis in Bibliotheca D. Salvatoris a Philandro inspectus omittunt. Supplevit Iocundus; sed *hemitonium* pro *tonum* scribendum fuisse censet Meibomius, cui fuit obsecutus Perraltus et Galiani. Equidem ut inserta ab aliena Iocundi manu seclusi.

lichanos — Sulp. *lycanos.* Wrat. *litanos.* Deinde *translata* Vatic. Guelf. Wrat. *translatum* Sulp.

Ita decem — Wrat. *Itaque decem.* Deinde *triplicent* Voss.

7.

Tetrachorda — Sulp. *tetracorda*, quae sequens *etiam* omisit. Verba *ὑπατον μέσον — συνημμένον — διεζευγμένον — ὑπερβόλαιον* Philander recte in genitivum ab intellecto *χορδῶν* pendentem mutanda censuit. Libri scripti cum Sulpic. vocabula ita variant.

Digitized by Google

Primum *sinhemmenon* Voss. Guelf. Wrat. Deinde *sinezeugmenon* Sulp. *dyezeugemenon* Wrat. Postea *hyperboleon* Sulpic. Wratisl. *hyperbalion* Fran.

Concentus — Hinc Wrat. Capitulum IX exorditur, deinde *graece* omisso *que* dat, postea *diatesseron*. Franeck. *diapason* omittit.

diapason cum — *disdiapason* — Sulp. Vatic. Voss. Guelf. Wrat. *et disdiatessaron et disdiapente et disdiapason*, nisi quod Sulp. primum *et* omisit. Iocundus haec emendavit. Euclides p. 13 *σύμφωνον τέταρτον τὸ διὰ πασῶν καὶ διὰ τεσσάρων τόνων ὀκτὼ ἡμίσεως — πέμπτον δὲ τὸ διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε, τόνων ἐννέα ἡμίσεως. — ἕκτον δὲ τὸ δὶς διὰ πασῶν τόνων δώδεκα.* Deinde *Ideoque a numero* dederunt Iocundea recentiores Edd. excepta Rodiana.

8.

receperunt — Sulp. Fran. Guelf. *coeperunt*, Wrat. *acceperunt*. Sequens *octavam* mutant in *sextam* Sulpic. Fran. Vatic. Guelf. Wrat.

diapason et diatessaron, in nonām et dimidiam — Haec omisit Wratisl. Copulam ante *diapente* omittunt Guelf. Voss. Perraltus corrigendum censuit: *in undecimam diapason et diatessaron, in duodecimam diapason et diapente.* Finitionem enim id est terminum firmum et unum esse, nec dividi posse putat.

quintam decimam — Sulp. Vatic. Fran. Voss. Wratisl. *XII* dant, *XIImam* Guelf.

9.

cum chordarum — *con* Wrat. *cordarum* Sulpic. Wratisl. Deinde *factus cantus* Sulp. Pro *septima* Guelf. Wratisl. Voss. *septem.*

sed, ut — Wrat. *si, uti.* Deinde *et ex ordine diapason* Sulp. Iocundus copulam *et* omisit primus, quam restituit Rodiana ex Guelf. cum quo Wrat. et Fran. faciunt.

convenientes — Sulp. Guelf. *convenientie.* Fran. Cotton. *con-*

Digitized by Google

venientiae. Wrat. *conveniencia ex naturae.* Deinde *habet* Sulp. postea *conventus.* Denique *ptoggi* Wrat.

AD CAPUT V.

fiunt — Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. *fiant.* Deinde *fabricantur* Sulp. Postea *tangantur* Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat.

et ex ordine — Copulam *et* ex Cotton. inserui probante Bondam p. 67. *diapason* simpliciter Sulpic. Cf. supra ad Libri I. cap. 1 sect. 9.

a summo — Cotton. Guelf. Wrat. *ab summo.* Deinde *inversa, habeantque* Sulpic. Postea *cenam* Wratisl. *superpositos* idem Wrat.

ne minus — Sulp. *ne* omisit. Deinde *gradibus* Fran. Cotton. Postea *duo* Fran. Wrat. *altos* Wrat. *semipede* Sulp. Guelf. Voss. Hunc locum vertit Galiani ita: *in fronte a queste celle si lascino delle aperture di sopra il piano del grado inferiore.* Perraltus: *au droit des degrés d'en bas.* Rode: *Vorn lasse man zu diesen Zellen Oefnungen unten auf dem Grunde der Stufen.*

2.

autem earum — Sulpic. *autem* omisit. Deinde *eorum* Fran. Voss. Guelf. Wrat.

ea echea — Sulp. *echo.* Guelf. *eae echo.* Vatic. 1. Fran. Cotton. *hae echo.* Wrat. *ea echo.*

neten hyperbolaeon — Sulpic. *notant.* Wratisl. *hyperboleon.* Sequens *parte* omisit Sulp.

ad neten diezeugmenon — Sulpic. Fran. Wrat. *sinemmenen.* Guelf. Voss. *synhemmenu.*

ad neten parameson — *ad parameson* Vatic. Voss. *ad paramesen* Guelf. *ad paramessen* Wratisl. *paramesen* etiam Fran. Meibomius vocem *neten* delendam censuit, quem sequitur Perraltus *paramesen* tamen scribens. Nec enim ullam fuisse *neten*

Digitized by Google

parameson; quanquam vulgatam ratione obscura aliqua defendat Galiani.

quarta diatessaron — Vocabulum *diatessaron* in vulgata omittit Sulp. Voss. Guelf. Wrat. omisit etiam Barbarus et falsam esse lectionem monuit Philander. Quare *diapente* substitui vulgato *diatessaron.* Deinde *synemmenen* Sulp. Wrat. Meibomius corrigit: *Quarta diapente ad neten synemmenon*, quem sequitur Perraltus. Vulgatam defendere conatur Galiani.

quinta — mesen — Sulpic. *meson.* Deinde *hispaten meson* Wratisl.

3.

hac ratiocinatione — Wratisl. *hac* omittit. *ratione* Cotton. Deinde *a scena* Wrat. *a centro* postea Sulp. *profusae* Wrat.

ex concentu — Ita Sulp. Vatic. Fran. Guelf. Wrat. pro vulgato *et concentu.* Cotton. solus *et* habet. Deinde *conveniente — consonantia* Fran. Is. Vossius ex lectione Codd. efficiebat *aucta claritate ex concentu*, *conv.* quod dedi pro vulgato *auctam claritatem*, *et concentu.*

Sin autem — erit magnitudo — Wrat. *Si.* Sulp. *magnitudo erit.* Deinde *diathoni* Sulp.

ab imo — Sulpic. *ab uno.* Sequens *ea* omisit Sulpic. atque omnino vocabulum id vitiosum videtur. Nescias enim quo referas *ea.* Proxime antecesserunt *regiones cellarum*, et earum *prima* ab imo. Sed regio prima cellarum collocari dici non potest; sed potius *echea ex harmonia collocentur* scribendum videtur.

4.

parte — Omisit Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Deinde *diezeugmenu* Guelf. Wrat.

tertiis diatessaron — *diapente* scribendum censuit Meibomius et ante eum Philander. Igitur scripsi *diapente*, sed altera parte vocabuli forma literarum diversa.

synemmenon — Guelf. Wrat. *synemmenu.* Sequens *in* omittit

Digitized by Google

Sulp. Guelf. Wrat. Deinde *diatesseron* Fran. Postea *messonu* Wrat. Laetiana dedit: *in quartis ad diatessaron ad chromaticen synemmenon.*

quintis — Laetiana *in quintis.* Deinde *paramessem* Wrat. Postea *quod et ad chromaticen* ex correctione Meibomii dedit Laetiana pro *in chromaticen* vulgato. Atque ita statim sequitur *ad chrom. meson.* Pro *habeant* vulgato Meibomius *habet* vel *habeat* scribendum censuit. Pro *communitatem* Ciseranus in libris scriptum reperit etiam *comitatem* et *communicantiam.*

5.

medio nihil — Wrat. *mediolis non.* Deinde *sonitus* Fran. *sonitum* Wrat.

diatonon diezeugmenon — Wrat. *diatonum.* Sequens vocabulum omittit Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *hypaton* Vatic. 2.

diatonon hypaton — Wrat. *diatonon* omisit. Verba *in medio ad mesen* omisit Sulp. Fran. Wrat. Sequens *et* omittit Wrat.

et ad diatonon — Sic Wrat. Vulgo est *et diatonon.* Sulpic. *ad diatonon.*

6.

Haec autem si quis — Wratisl. *Licet autem.* Deinde *qui* Guelf. Wratisl. Postea *digramma* Sulpic. Denique *Aristoxenio* Franeck.

si quis — Guelf. Wrat. *si qui.* Sequens *et* omittunt Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. *naturas* Guelf. Wrat. Denique *ad* ante *audientium* omittunt Sulp. Guelf. Wrat.

7.

Dicet — Hinc Capitulum XI exorditur Wrat. Deinde *quot facta esse* Sulp. *quotannis Romae* Wrat.

erravit — Philander *errabit* vel *erraverit* ex aliis Codicibus praeferebat.

Hoc vero — Vatic. 2. *Hoc enim.* Cotton. dicitur habere deinde *enimadvertere.* Postea *ab citharoedis* Voss. Guelf. Wrat.

Digitized by Google

advertunt — Fran. Guelf. Wrat. *avertunt.* Deinde *scenarae* Wrat. qui *et* sequens omittit. Denique *consonantium* Voss.

solidis rebus — Ex Barbaro *rationibus* apposuit Galiani. Deinde *hac rationes* Sulp. *hae rationes* Vatic. 1. Postea *explicandae* Sulpic. Voss. Guelf.

8.

regionibus — Sulpic. *regione.* Guelf. Wrat. Voss. *regiones.* Deinde *civitatibus Graecorum* Wrat.

L. Mummium — Sulp. *Mumium.* Wrat. *minimum.* Ciseranus haec annotavit: *in alcuni vetusti margini de texti Vitruviani che pareano emendati, ho trovato scripto* Lutio Iunio. Sequens *eius aenea* debetur Iocundo. Sulpic. Vatic. 1. Franeck. Cotton. Guelf. Wrat. dant *ea aenea.* ubi *echea aenea* latere videntur.

manubiis — Sulp. *manibus.* Deinde *in magnis* Wrat. *theatris* Cotton. Postea *doleis* Fran. Guelf. Wrat. De his doliis Salmasius apud Laetum interpretatur locum Senecae Quaest. natur. 6, 19. *quomodo in dolio cantantis vox per totum cum quadam discussione percurrit ac resonat, et tam leviter mota tamen circuit non sine tactu eius tumultuque quo inclusa est.* Utitur illo exemplo Metrodorus Chius ad mugitum speluncarum subterranearum explicandum; nec mihi dolia illa ad theatra pertinere videntur. Sed alius huc pertinet locus Plinii II cap. 51 sect. 112 *in theatrorum orchestris scobe aut arena superiecta devoratur vox, et in rudi parietum circumiectu, doliis etiam inanibus.* Aristoteles Problem. XI sect. 8 ἐάν τις πίθον καὶ περάμια πενὰ καταρύξῃ καὶ κωμάσῃ, μᾶλλον ἠχεῖ τὰ οἰκήματα. Idem sect. 25 διὰ τί, ὅταν ἀχυρωθῶσιν αἱ ὀρχῆστραι, ἧττον οἱ χοροὶ γεγώνασιν; unde Plinii locus partim ductus est.

Ceterum Gallus doctissimus, *Mongez*, in Vol. V libri academici: *Mémoires de l'Institut national des Scienses* p. 89 — 138 ubi theatri Herculanei et Saguntini descriptio accurata mensuris suis definita exhibetur, monet, vocem actorum potuisse positis

Digitized by Google

echeis robur accipere, sed simul obscuriorem inde factam fuisse videri. Omnino vir doctus multa experimenta ibi de forma theatri utili ad vocem propagandam enarravit.

AD CAPUT VI.

perimetros — Eam circuli partem, quae spectaculis cingitur, intelligit Galiani, non totum theatri ambitum.

trigona paribus lateribus — Voss. *trigonia partibus.* Fran. *laterum intervallis.* Wrat. *partibus.* Sequens *et* omittunt Sulpic. Wrat. Voss.

quae extremam — Pronomen omittunt Sulpic. Voss. Guelf. Wrat. Sequens *descriptione* item omittunt Sulp. Franeck. Voss. Wratisl.

astrologi — Pertinet huc locus ex Ptolemaei Harmonicorum libri 3 cap. 8 p. 249 quem attulit etiam Galiani: *ἀπολαμβάνεται δ' ἔτι πρὸς ἅπασι τοῖς ἐφηρμοσμένοις διὰ τῶν δωδεκατημορίων τοῦ κύκλου σημείων τετραγώνων μὲν εἴδη τρία μόνα, τοῖς τῆς διὰ τεσσάρων συμφωνίας ἰσάριθμα, τριγώνων δὲ τέσσαρα μόνα, τοῖς τῆς διὰ πέντε συμφωνίας ἰσάριθμα, διὰ τὸ καὶ μόναις ταύταις τῶν συμφωνιῶν ἀσυνθέτοις εἶναι συμβεβηκέναι.* id est: Sumuntur autem ab omnibus punctis ad circuli partes duodecimas sive duodecim signorum zodiaci initia appositis tetragonorum quidem species duntaxat tres, totidem nempe quot sunt species consonantiae diatessaron; trigonorum vero quatuor, quot sunt species consonantiae diapente: quia solis his ex consonantiis contingit incompositis esse. Ut vero in circulo theatri romani quatuor signat trigona Vitruvius, ita in descriptione graeci tria quadrata designantur.

qua praecidit — Vatic. *quae praecedit.* Cotton. etiam *praecedit.* Deinde *qui finiatur* Wrat. *finiantur* Voss.

per centrum — Haec omisit Sulp. Deinde *hortherae* Wrat. Guelf. *horchestrae.* Sequens *factum* omittit Voss.

Digitized by Google

2.

in scena — Sulpic. *scenam*, quod primus correxit Rode ex Vatic. 1. Fran. Guelf. Wrat. *scenis* Vatic. 2. *Scena* esse dictum pro *proscenio* monet Galiani.

In orchestra — Voss. *orchestria.* Deinde Wrat. *spectare gestus* omissis verbis *possint omnium agentium.*

qui currunt circum — Sulp. *circa.* Deinde *scalisque* Fran. Sequens *ad* omittit Wrat.

alternis — Wrat. *alteri alternis.* Galiani vertit: *sopra poi le scalinate poste alternativamente formeranno i cunei superiori sul mezzo degli inferiori. Itineribus* igitur *alternis* non reddidit. Perraltus: *au-dessus du quel les amas d'en haut doivent être separés par des chemins qui partent du milieu des amas d'en bas.* Omisit igitur *alternis.* Rode ita: *oben aber wird durch mit Treppen wechselnde Eingänge das Mittel der obern keilförmigen Abschnitte bezeichnet.*

3.

septem — Guelf. *uu* scriptum habet. Ceterum vocabulum *anguli* inserui sed seclusum, ne *cunei*, qui proxime antecesserunt, intelligi possint. Idem vocabulum monente Perralto versioni addidit Galiani et Rode.

ac sinistra — Copulam omittunt Fran. Guelf. Wrat. Deinde *hospitaliorum* Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat.

versurarum — Hic et sect. 8 Stieglitz, Archaeologie T. II p. 173 παρασκήνια Graecorum esse censet.

ne minus alti — Sulp. Cotton. Guelf. Wrat. *gradus ne minus alti.* Vocabulum *alti* omittit Vatic. 2.

ne plus pede — Haec omisit Sulpic. Vatic. 2. Voss. Guelf. Wrat. Deinde *digito* Fran. Wratisl.

4.

Tectum porticus — Vulgo hinc Capitis VII initium sumitur cum titulo: *De porticu et reliquis partibus theatri.* Contra

Digitized by Google

Sulp. Iocundeae, Philandreae et Laetiana dant: *De tecto porticus theatri.* Wrat. omisso titulo Capitulum XIII hinc exorditur. Galiani titulum dedit ampliorem, quem adsumsit Rode.

cum scenae altitudine — Voss. his omissis deinceps *liberatum* dat. Postea *perspiciatur* Sulp. Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. Denique *perveniat* Sulp.

si non erit — Sulp. *fuerit.* Wrat. *si noverit.* Sequens *ad* ante *quam* omittunt Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat.

5.

quam diametron — Sulp. Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. *quod* dant. Cf. ad 3, 3, 12 dicta.

utrinque — Hoc effecit Rode ex *utrumque* Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Iocundus primus *circumque* edidit. Intelligitur aditus qui est utrinque ad septimum vel postremum angulum, qui praecidit curvaturam circuli.

ad eius — Praepositionem omisit Sulp. Cotton. Guelf. Wrat. *ei* dat Cotton.

inferiores — Sulp. Vatic. Fran. Voss. Guelf. Wrat. *interiores.* Fran. deinde a prima manu *praecedantur* habet.

et qua — Philandri et Barbari correctionem pro *quae* librorum scriptorum et editorum solus dedit Galiani. Deinceps *praeciosio* Wrat.

supercilia — Galiani vertit: *gli architravi delle porte.* Rode *die Oberschwellen der Thüren.*

satis altitudinem — Codex Perralti, cum quo comparatum is habebat exemplum, dabat *altitudinis.* Deinceps idem cum Arundel. Franeck. Cotton. apud Bondam p. 80 Vossianis duobus apud Oudendorpium ad Apuleium p. 61 et Guelf. dat *conformicationes*, quod probavit Perraltus.

6.

duplex — Fran. *dupla.* Voss. *duplet.* Perraltus *triplex* scribendum censuit; sed Galiani diametron hic et ubique in hac theatrorum doctrina interpretandam censet semidiametron.

Digitized by Google

ab libramento — Wrat. *ad libramentum.* Etiam Cotton. *ad* dat. Deinde *lisi* Wrat.

duodecima — Sulpic. Fran. Voss. *duodecim.* Guelf. *duodecuma.* Deinde *diametris* Sulp. Guelf. Wrat.

Pluteum insuper cum unda et corona — Verba postrema *cum unda et corona* hinc auferenda et paulo antea post *ornamenta* inserenda censuit Meister in Comment. N. Goetting. V p. 156. At videtur hoc pluteum respondere inferiori podio cum corona et lysi.

inferioris plutei — Sulpic. *pulpiti* dat. Antea fuit *podium* nominatum. Eadem Sulp. deinde *altitudine sunt.* Postea *epistylium* Fran. Guelf. Wrat.

episcenos — Infra 7, 5 est *episcenium.* ubi vide annotanda. Plinius 36 cap. 15 sect. 24 no. 7 de theatro Scauri: *Scena ei triplex in altitudinem CCCLX columnarum — ima pars scenae e marmore fuit, media e vitro, summa e tabulis inauratis. Columnae imae duodequadragenum pedum, signa aenea inter columnas fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum LXXX millia, cum Pompeiani theatri toties multiplicata urbe — sufficiat large quadraginta millibus.*

mediani plutei — Sulp. *media in plutei.* Eadem verbum *respondere* in sequentibus omisit.

7.

oportet — Vatic. Cotton. Wrat. *oportere.* Deinde *quibus rationibus* Sulp. et sequens *rationibus* mutat in *proportionibus.* Contra vocabulum *rationibus* ibi omittunt Vatic. Franeck. Voss. Guelf. Wrat.

aut magnitudinem — Vatic. *et magn.* Deinde scripturam Sulpic. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *magnitudinem operis* recte Galianum secutus restituit Rode. Iocundus enim primus edidit *magnitudine opus.* Haesit nempe ille in verbo *debeat* (omisso in Wrat. et Sulp. Fran. Cotton.) quod ad *symmetriam* referendum est.

Digitized by Google

Sulp. Iocundeae, Philandreae et Laetiana dant ...itur Wratisl. *theatri.* Wrat. omisso titulo Capitulum XI... 586 et Galiani liani titulum dedit ampliorem, quem ad... ...ndam, cum quo

cum scenae altitudine — Voss.

tum dat. Postea *perspiciatur* Su... ...umata. Wrat. *diacu-* Denique *perveniat* Sulp. ...ntercurrunt Vatic. *inter-*

si non erit — Sulp. *fu...* ...erunt. Pausanias 5, 10 de ante *quam* omittunt Sulp. ...αοῦ τῆς ὑπὲρ τῶν πιόνων περι- ...ος ἀσκίδας εἰσὶν ἐκίχρυσοι. Ioannes

quam diametr... ...αι δὲ πτίσας ἐν τῷ θεάτρῳ Ἀντιοχείας ἄλ- dant. Cf. ad 3, ...τῆς πρώτης διὰ τὸν πολὺν δῆμον ὁ Ἀγρίππας. *utrinque* ...τησε δὲ τὸ θέατρον προσθεὶς ἄλλην ζώνην πρὸς ton. Guelf ... aditus c... ...discere ab — Wrat. *discere.* Deinceps *a* Sulpic. Postea prae... ...uae Wrat. ...quae parantur — Cotton. *qua perantur.* Deinde *paulum* ...Sulp. Guelf. Postea *adicere* Wrat.

fiat, sed cum sensu — Voss. *fiat* omittit. *consensu* Vatic. 1. Postea *noverit* Wrat. Denique *ingenio nobili* Wrat.

8.

scenae suas — Alterum vocabulum omisit Sulp. Deinde *habeat* Sulp. Fran. Wrat. Postea *explicitas* Fran. Denique *dextera* Sulp. De hospitalibus vide annotanda de περιάπτοις.

secundum autem — Perraltus vertit *derriere.* Rode *neben diesen.* Contra Galiani *appresso* vertens, locum in annotatione addita assignat ad finem scenae, inter ipsam scenam et sedes vel gradus, Tab. XVI. M. M. Rode loca haec ad ornatum comparata ad ipsam scenam pertinuisse pluribus argumentis docuit in annotatione addita versioni p. 244.

autem spatia — Ita Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *autem ea spatia* dedit Iocundus: quo supplemento loci sensus turbatur. Pendet enim hoc membrum a verbo *habeant scenae.*

Digitized by Google

περιάπτους — Pollux 4 sect. 126 καρ' ἑκάτερα τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ τὴν μέσην ἄλλαι δύο εἶεν ἄν, μία ἑκατέρωθεν, πρὸς ἃς αἱ περίαπτοι συμπεπήγασιν· — εἰ δὲ ἐπιστρέφοιεν αἱ περίαπτοι, ἡ δεξιὰ μὲν ἀμείβει τόπον, ἀμφότεραι δὲ χώραν ὑπαλλάττουσι. sect. 130 παραυοσκοπεῖον δὲ — ἐστὶ περίαπτος ὑψηλή. sect. 131 καταβλήματα δὲ ὑφάσματα ἢ πίνακες ἦσαν ἔχοντες γραφὰς τῇ χρείᾳ τῶν δραμάτων προσφόρους· καταβάλλετο δὲ ἐπὶ τὰς περιάπτους ὄρος δεικνῦντα ἢ θάλασσαν ἢ ποταμὸν ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον. Varro apud Servium ad Georgica Virgilii III versu 24 *vel scena ut versis discedat frontibus: Scena quae fiebat aut versilis erat aut ductilis. Versilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam vertebatur, et aliam picturae faciem ostendebat: ductilis tunc, cum tractis tabulatis hac atque illac species picturae videbatur interior.* Ad versatilem pertinet locus Plutarchi de Esu carnium p. 240 H. ἢ μηχανὴν αἴρει ποιητικὸς ἀνὴρ ἐν θεάτρῳ σκηνῆς περιφερομένης. Cicero novo usu scenam pro cavea dixit De harusp. resp. c. 11. Valerius Maximus 2, 4, 6. *Claudius Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam.* Consentit Plinius 35 c. 4 sect. 7.

Addo nunc quaedam de *hospitalibus*, quae nescio an explicuerit, qui dicitur de theatro Graecorum, inprimis vero de tertiarum partium actore sive tritagonista, praeeunte Polluce 4 s. 124 scripsisse, Godof. Groddeck, Programmate edito Vilnae 1805. Pertinere ad hospitalia mihi videbatur locus Semi Delii apud Athenaeum 14 p. 622 οἱ αὐτοκάβδαλοι καλούμενοι ὕστερον δὲ Ἴαμβοι — σιγῇ δὲ διὰ τοῦ πυλῶνος εἰσελθόντες, ὅταν κατὰ μέσην τὴν ὀρχήστραν γένωνται, ἐπιστρέφουσιν εἰς τὸ θέατρον λέγοντες — Οἱ δὲ Φαλλοφόροι — παρέρχονται οἱ μὲν ἐκ παρόδου οἱ δὲ κατὰ μέσας τὰς θύρας βαίνοντες ἐν ῥυθμῷ καὶ λέγοντες. ubi postremum θύρας vulgato χεῖρας ex Codice recte substituit nuperus Editor; contra πυλῶνα haud scio an male eundem faciat cum μέσαις θύραις, quas postea idem scriptor memorat. πάροδος videtur hospitalia significare. Huc pertinet locus Plutarchi Demetrii cap. 34 de Atheniensium theatro: ὄχλοις μὲν συνέφραξε τὴν σκηνὴν καὶ δορυ-

Digitized by Google

φόροις τὸ λογεῖον περιέλαβεν, αὐτὸς δὲ καταβὰς ὥσπερ οἱ τραγῳδοὶ διὰ τῶν ἄνω παρόδων, ἔτι μᾶλλον ἐκπεπληγμένων τῶν Ἀθηναίων et cet. Idem Arati c. 23 ἐπιστήσας δὲ ταῖς παρόδοις ἑκατέρωθεν τοὺς Ἀχαιοὺς αὐτὸς ἀπὸ τῆς σκηνῆς εἰς μέσον προῆλθε. Aratus igitur per mediam portam regiam ingressus fuisse videtur.

Cum tam rara sint scriptorum veterum loca de partibus theatri, diligenter colligenda sunt fragmenta etiam per Scholia graeca Grammaticorum dispersa, in quibus quanquam admista ab ingenio alieno verba facile suspicari possis, insunt tamen notitiae interdum non contemnendae. Veluti ubi interpretantur deum ex machina, quaedam de partibus theatri posuerunt, quae nunc collecta apponam. Suidas igitur sub voc. ἀπὸ μηχανῆς post plura a consilio nostro aliena ita pergit: ἀλλ' ἐξ ὕψους ἀπό τινος μηχανῆς, ἣν ἔβλεπον μὲν πρότερον οἱ θεαταί, κατ' ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν στρεφομένη ἐδείκνυε τὸ τοῦ θεοῦ πρόσωπον· καὶ τοῦτο καταστολὴν εἶναι τοῦ δράματος. Quae eadem verba vitiose exscripta extant in Scholiis ad Lucianum T. IV p. 114. Ibi enim pro στρεφομένη est ὁ φοβούμενος. Male utrobique catastropha dicitur καταστολή. Ex fonte antiquiore ductum videtur Scholion, quod legitur Vol. VII p. 280 ἐπὶ τῶν θεάτρων, ἡνίκα τὸ παράδοξον ἐπιτελεῖσθαι ἔδει καὶ πλέον ἔχειν πίστεως, ἄνωθεν ὑπὲρ τὰς παρ' ἑκάτερα τῆς μέσης τοῦ θεάτρου θύρας, αὗται δὲ πρὸς τὴν εὐθεῖαν τοῦ θεάτρου πλευρὰν ἀνεῴγεσαν, οὗ καὶ ἡ σκηνὴ καὶ τὸ προσκήνιον, δὲ μηχανῶν δύο μετεωριζομένων ἢ ἐξ ἀριστερῶν θεοὺς καὶ ἥρωας ἐνεφάνιζε παρευθὺ, ὥσπερ λύσιν φέρονταs τῶν ἀμηχάνων et cet. ubi vitia scripturae et lacunam facile quivis animadvertet; emendationem nuper ex Codice Gallico posuit litteratissimus Bast in Epist. Crit. p. 216 οὗ καὶ ἡ σκηνὴ καὶ τὸ προσκήνιόν ἐστιν, μηχανῶν et cet.

De parasceniis locus est Demosthenis in Midiana cap. 7. ubi narrat Midiam omni ratione chorum a Demosthene instructum etiam in ipso theatro impediisse et vexasse: τὰ παρασκήνια φράττων, προσηλῶν ἰδιώτης ὢν τὰ δημόσια: i. e. *parascenia obstruens et clavis impactis occludens.* Cuius facti rationem Ulpianus hanc

Digitized by Google

edit: ἀποφράττων τὰς ἐπὶ τῆς σκηνῆς εἰσόδους, ἵνα ὁ χορὸς ἀναγκάζηται περιϊέναι διὰ τῆς ἔξωθεν εἰσόδου καὶ οὕτω βραδύνοντος ἐκείνου συμβαίνῃ καταγελᾶσθαι τὸν Δημοσθένην· τὸ δὲ προσηλῶν τοὺς ἴλους ἐντιθεὶς, ἵνα ἀσφαλῶς αἱ θύραι ἐκκλείωνται. Obstructos igitur censet aditus interiores ad scenam, ita ut chorus per exteriorem longo circuitu intrare coactus fuerit. Qua parte παρασκήνια fuerint, Ulpianus docere omisit. Sed Harpocratio et ex eo Suidas ita: ἔοικε παρασκήνια καλεῖσθαι ὁ παρὰ τὴν σκηνὴν ἀποδεδειγμένος τόπος ταῖς εἰς τὸν ἀγῶνα παρασκευαῖς· ὁ δὲ Δίδυμος τὰς ἑκατέρωθεν τῆς ὀρχήστρας εἰσόδους οὕτω φησὶ καλεῖσθαι. Alii igitur locum iuxta scenam apparatui scenico paratum esse voluerunt; alii, uti Didymus, aditus in utroque latere orchestrae, in qua choro locus proprius erat. Etymologicum M. παρασκήνια interpretatur αἱ εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι, sed περισκήνια videtur facere diversa. In vocabulo enim Σκηνὴ, ἔστιν ἡ μέση θύρα τοῦ θεάτρου· περισκήνια δὲ τὰ ἔνδοθεν τῆς μέσης θύρας χαλκᾶ πάγκελλα. Suidas ex communi fonte haec posuit: σκηνή ἐστιν ἡ μέση θύρα τοῦ θεάτρου· παρασκήνια δὲ τὰ ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς μέσης θύρας — μετὰ τὴν σκηνὴν εὐθὺς καὶ τὰ παρασκήνια ἡ ὀρχήστρα. Igitur παρασκήνια non sunt diversa a περισκηνίοις, sed haec potius ex scripturae varietate vel vitio ortum habere videntur. Plura in his locis sunt vocabula, quae ad liquidam interpretationem perducere nondum potui et doctioribus explicanda commendo.

iis locis — Sulp. Wrat. *his locis*. Deinde *trigones* Guelf. Sequens *tres species* omisso *sint*, quod interseruit Iocundus, dedi ex Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. Sed ita etiam distinctio loci fuit mutanda vulgaris, quae habet *versatiles trigonos habentes; in singula tres sint species ornationis, quae.* ubi ausus sum *trigonos* mutare in *trigonoe*, graecum τρίγωνοι: nam si Vitruvius triangula dicere voluisset, dixisset graeco more *trigona:* quod enim habet Guelf. *trigones*, ea forma in *pila trigone* tantum usu romano fuit frequentata et extat apud Martialem Ep. XII, 84, 3. Ipsae machinae περίακτοι fuerunt triangulares, τρίγωνοι, habentes in singula (loca) tres species ornationis. Contra in vul-

Digitized by Google

gata *machinae versatiles* dicuntur *habere trigonos:* ubi quid significent trigoni, nemo dixerit. Deinde *quae versentur mutentque speciem ornationis* redit ad *machinae trigonas:* contra in vulgata ad species tres ornationis referuntur; sed ineptissime versari et mutare speciem ornationis dicuntur. Postea *ornationes quae* Wrat. *ornationesque* Vatic. Fran. Voss.

versentur — Fran. Guelf. Wrat. *ea versentur.* Vossianus *aversentur* a prima manu scriptum habet.

peregre — scenam — Wrat. *pergere.* Sulp. *scena.* De *versuris* dictum est ad sect. 3.

9.

sunt scenarum — Wratisl. *sunt in scenarum — traditum, alterum comitum*, deinde *ornatus inter se dissimiles sunt disparique ratione.* Sed etiam Cotton. cum Guelf. Wrat. Vatic. *dissimili* habet, *dissimiles* contra Iocundus, Laetus Galiani et Edd. reliquae excepta Rodiana.

et fastigiis et signis — Priorem copulam omittunt Edd. veteres Iocundea recentiores pleraeque, alteram etiam Sulp.

prospectusque — Vulgatum *perfectusque* libri Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. mutant in *profectusque.* Quod cum Barbaro Galiani dedit et nos adscivimus, restitui Vitruvio voluit in Addendis Rode, Meister in N. Comment. Goetting. T. V p. 184 et Bondam p. 81.

imitatione — rationibus — Haec vitiosa esse viderunt Bondam et Meister; vitio mederi voluit ille inserta copula *et* ante *rationibus*, hic vero *imitatis* scribi voluit. Posterior ratio mihi etiam placet.

arboribus — Vatic. 2. *cum arboribus.* Deinde *in topeodi speciem deformati* Sulp. Guelf. Cotton. nisi quod *topiodi* Cotton. *teopeodi* Wrat. *topeodi* etiam Vatic. Fran. Is. Vossius τοπιοειδῆ coniecit ad h. l. quae coniectura mihi proxime a vero abesse videtur. Interim scripturam librorum restitui, quo magis viri docti verum ut quaerant admoneantur. Iocundus *topiarii operis speciem* dedit.

Digitized by Google

AD CAPUT VII. (vulgo VIII. sect. 2. 3.)

In Graecorum — Hinc Capitulum XV exorditur Wrat. et recte iam olim Philander hinc novi capitis exordium sumendum censuit, cetera vero antecedenti capiti attribuenda, quod feci.

praeciditque curvaturam circinationis — Sulpic. *prehendit curvaturam praecircinationis.* Cotton. *praetinationis.* unde Is. Vossius *praecinctionis* corrigebat. Vatic. 1. *curvatura circinationes.* Voss. etiam *curvatura*, deinde *regioni.* Similiter supra c. 6 sect. 1 *ex his trigonis cuius latus fuerit proximum scenae, ea regione, qua praecidit curvaturam circinationis, ibi finiatur scenae frons.*

linea designatur — Guelf. Wrat. *describitur.* Sequentia *in qua — linea describitur* omisit Wrat.

per centrumque — Rode dictum censet pro *per centrumve.* Diversam enim esse tantum rationem, qua magnitudo scenae definiatur. Stieglitz in Archaeologia Architect. II p. 240 centrum intelligit circuli, qui orchestram definit, et plura contra interpretes Vitruvii disputat, magis tamen ad opinionem Perralti inclinans.

e regione — Ex Salmasii annotatione inseruit *e* Laetus, sed ante *proscenii*, cum Perraltus ante *regione* facilius excidere potuisse recte censeat. Ante Philandrum Editiones quaedam post *regione* incisum positum habebant, quod ille tolli iussit.

et qua — Sulp. Fran. Guelf. *et quae.* Deinde *centra signantur* Fran. Voss. Guelf. Wrat.

in dextra — Galiani dextram intelligit spectatorum; item intervallum sinistrum spectatorum; proscenii vero dextram partem refert ad scenam; quodsi utrobique dextram partem ad spectatores retuleris, segmentum maius fit circuli, et minor fit orchestra.

circumagatur — Recte hanc librorum scriptorum et Sulpic. scripturam restituit Rode; Iocundus *circumagitur* primus edidit. Verba *Item centro — sinistram partem* Sulp. et Wrat. omittunt, sed infra post *ampliorem habent* repetunt. Ciseranus praefatus locum sibi videri vitiosum, annotavit verba *ita tribus centris* —

Digitized by Google

ampliorem habent in libris aliquot deesse, ut desunt in Franeckerano.

circumagatur — Sulpic. Wrat. et Edd. antiquae ante Rodianam *circumagitur*. Deinde *dextram* Sulp. Wrat. *dextrum* Fran.

2.

Ita tribus — habent — Haec omisit Fran. cum libris quibusdam Ciserani. Deinde *recessionem* Wrat. Ciseranus *recessiorem* vertens commemoravit varietatem librorum: *ressectiorem*. et paulo antea: *ampliorem proscaenium habent*. Postea *longion* Sulpic. Guelf. *longum* Cotton. Ceterum Is. Vossius ad h. l. ita annotavit: Lego *Ita a tribus centris hac descriptione*. Tria nempe centra sunt in eadem recta linea. Si addas latitudinem cornuum theatri, ubi proscenium incipit, ut antea declaravit, sequitur orchestram esse ampliorem. Mihi Vossii coniectura vera videtur. Deesse aliquid lector statim sentit; quod vidit etiam Perraltus vertens: *Ainsi par le moien de ces trois centres et suivant ces desseins*. Galiani: *Cosi con questa descrizione fatta a tre centri*.

ideo quod apud — Sic Sulp. et Vatic. *ideoque* primus Iocundus dedit, quod habent Guelf. Wrat. Fran. Sed actores non ideo in scena peragunt, reliqui in orchestra artifices graeci, quod scena graeca minor, orchestra maior erat, sed potius quoniam usus introduxerat in orchestram artifices scenicos, ideo scena graeca minor fuit, orchestra maior. Sequens *apud* deest in Sulp. Guelf. Wrat. sed habet Fran.

actores — Wrat. *auctores*. Deinde *himelici* Sulp. *chimelici* Wrat.

De θυμέλῃ ita Pollux 4, 123 *μέρος θεάτρου καὶ πυλὶς καὶ ψαλὶς καὶ παρατομὴ, περπίδες* (cunei) *σκηνὴ, ὀρχήστρα, λογεῖον, προσκήνιον, παρασκήνια, ὑποσκήνια. καὶ σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ, ἐν ᾗ καὶ ἡ θυμέλη, εἴτε βῆμά τι οὖσα εἴτε βωμός.* sect. 124 *τὸ δὲ ὑποσκήνιον κίοσι καὶ ἀγαλματίοις ἐκεκόσμητο πρὸς τὸ θέατρον τετραμμένον, ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον.* Anonymus Suidae sub voce *σκηνὴ* ita docet: *Σκηνή ἐστιν ἡ*

Digitized by Google

μέση θύρα τοῦ θεάτρου· παρασκήνια δὲ τὰ ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς μέσης θύρας· ἵνα δὲ σαφέστερον εἴπω, μετὰ τὴν σκηνὴν εὐθὺς καὶ τὰ παρασκήνια ἡ ὀρχήστρα. αὕτη δέ ἐστιν ὁ τόπος ὁ ἐκ σανίδων ἔχων τὸ ἔδαφος, ἐφ' οὗ θεατρίζουσιν οἱ μῖμοι. Ἐστὶ μετὰ τὴν ὀρχήστραν βωμὸς τοῦ Διονύσου, ὃς καλεῖται θυμέλη παρὰ τὸ θύειν· μετὰ δὲ τὴν θυμέλην ἡ κονίστρα, τουτέστι τὸ ἔδαφος τοῦ θεάτρου. Hic igitur θυμέλην non in ipsa orchestra, ut Pollux, sed extra eam collocat. Locus idem in Etymologico M. p. 743 multis locis variatus legitur ita: περισκήνια δὲ τὰ ἔνδοθεν τῆς μέσης θύρας, χαλκᾶ πάγκελλα. καὶ ἵνα σαφ. εἴπω, σκηνὴ ἡ μετὰ τὴν σκηνὴν εὐθὺς καὶ τὰ περισκήνια — μῖμοι· εἶτα μετὰ τὴν ὀρχήστραν βωμὸς ἦν τοῦ Διονύσου τετράγωνον οἰκοδόμημα κενὸν ἐπὶ τοῦ μέσου, ὃ καλεῖται θ. πρὸς τὸ θύειν· μετὰ τ. θ. ἡ ὀρχήστρα, τουτέστι τὸ κάτω ἔδαφος τ. θ. Quod attinet ad περισκήνια, eadem rectius παρασκήνια vocat Etymol. M. sub hac ipsa voce ita interpretans: παρασκήνια αἱ εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι· σκηνὴ δέ ἐστιν ἡ νῦν θυμέλη λεγομένη. De vocabuli θυμέλη significatione ex usu romano mutata haec posterior annotatio est intelligenda. Didymus apud Harpocrationem parascenia interpretatur aditus ad latus utrinque orchestrae, Harpocration ipse τὸν περὶ τὴν σκηνὴν ἀποδεδειγμένον τόπον ταῖς εἰς τὸν ἀγῶνα παρασκευαῖς, locum circa scenam ad apparatum dramatis designatum. De λογείῳ breviter Hesychius: Λόγιον — καὶ ὁ τῆς σκηνῆς τόπος, ἐφ' οὗ ὑποκρίται λέγουσι. Ut vocabulum θυμέλη usu latino pro σκηνὴ fuit frequentatum, ita λογεῖον pro ὀρχήστρᾳ adhibuit Scholiastes Aristophanis ad Ranas versu 183 et auctor Argumenti Nubium: ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, τῷ νῦν καλουμένῳ λογίῳ. Hesychius Tarentinos orchestram δρόμον vocasse annotavit ita: Δρόμος ἡ ὀρχήστρα τοῦ Διονυσιακοῦ θεάτρου παρὰ Ταραντίνοις.

Eius logei — Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *loci.* Primus *logei* dedit Iocundus. Deinde *latitudo* Wrat. Postea *minis* Guelf. suprascripto *minus.* Latinior esset oratio, si diceret Vitruvius *minor — maior.*

contra quadratorum — Perraltus totam theatri dispositio-

Digitized by Google

nem graeci postulare contendit, ut *intra* vel *inter* scribamus; theatri contra latini proprium esse, habere gradationes contra triangulorum angulos. Galiani contra theatrum graecum cum romano hac quidem in parte convenire statuens mutari aliquid vetuit.

ab ea praecinctione — Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *a praecinctione.* Ipsam praepositionem omittit Voss.

iterum mediae — Sulp. *item*, Wrat. *itinerum.* Sequentia verba ita corrigi voluit Perraltus: *quotiens praecinguntur altius, tanto semper* et cet. Sed vulgata lectio sensum eundem praestat, si recte interpreteris: quoties cunei et sedes nova praecinctione praecinguntur, gradationes scalarum toties altero tanto ampliores fiunt. Ceterum *amplificabuntur* Guelf. Wrat.

AD CAPUT VIII. (vulgo Capitis VIII sect. 4. 5.)

Cum haec — Hinc Capitulum XVI exorditur Wrat. Deinde *sunt* Guelf. Wrat. Postea *uti selectus* Vatic. Fran. Cotton. Guelf. *ut is electus* Wrat. *uti electus* Sulp.

qui graece — κατηχοῦντες — Wrat. *quae.* Sulp. Cotton. Guelf. Wrat. *caticontes*, Vatic. *catechontes.* Baldus primum *catechuntes* scribendum censuit, deinde admonuit potius δυσηχοῦντες dicendum fuisse; male enim ipse Baldus dissonantes locos intelligi censuit a Vitruvio. Multo peius Laetus *catechontes*, i. e. impedientes, scribendum censuit, a κατέχειν deducto vocabulo. Habuit tamen ineptiarum adstipulatorem Perraltum, qui adeo vertit locos dissonantes *des lieux sourds.* Dixi de hoc et reliquis vocabulis supra ad Capitis 3 sect. 5.

circumsonantes — Verbum omittunt Guelf. Wrat. *periecontes* deinde Sulp. Guelf. Wrat. *periechontes* Vatic. *periethuntes* Cotton. Postea *antechontes* Sulp. Vatic. Guelf. *anticontes* Wrat. Denique *sinechontes* Vatic. Guelf. Wrat. *sinecontes* Sulp.

in altitudinem — Sulp. *in latitudinem.* Deinde *resiliens in unum* Sulp. *resiliens in uno* Wrat. *in ima* Guelf. *residens in imo* Arundel. Fran. *residens* etiam Cotton. Wrat.

Digitized by Google

2.

sunt, in quibus — Verbum *sunt* omittit Sulp. Wrat. Voss. Deinde *coacta exsolvens* Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat.

sonans — Cotton. *sonus.* Deinde *extinguatur* Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat.

resonantes vero — Wrat. *vero* omittit; deinde *resiliant* Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat.

ingreditur — Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *egrediatur*, Sulpic. *egreditur.* Postea *diserta* Sulpic. Fran. *disserta* Guelf. Arundel. Cotton. *deserta* Wrat. *discreta* primus edidit Iocundus.

in theatris vocis — Fran. *theatri locis*, etiam Cotton. *locis.*

uti quae — Sulp. Guelf. Wrat. *ita quae.* Vatic. Fran. Cotton. *itaque.* Deinde *designentur* Fran. Vatic. Voss.

Graecorum habeant usus — Iocundus dedit quod vulgo legitur *Graecorum, quae ex paribus trigonorum lateribus, Latinorum.* Sulp. Guelf. Wrat. Fran. Voss. *Graecorum habent* (Sulpic. Fran. Voss. *habeant*) *usus, latinae raribus* (Sulp. Fran. Voss. *raris*) *lateribus trigonorum.* unde Is. Vossius ad h. l. Lego, inquit, *Graecorum habeant usus: latinae paribus lateribus trigonorum.* Quem sequi propter auctoritatem tot librorum scriptorum non dubitavi.

praescriptionibus — Sulp. *scriptionibus* dedit.

AD CAPUT IX.

interpellaverint — Wrat. *interpellaverunt* — *coregiaque laxamenta.* Postea Sulp. *habeat.*

ad comparandum — Ex Codicibus omnibus, quos inspexit, et Edd. ante Iocundum hanc scripturam restituit Fea in Specimine. Cum iis faciunt Fran. Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. Miror Feam a Rodio desertum, cum chorus in scena romana locum nunquam habuerit.

Pompeianae — Wrat. *Pamp.* Huius theatri Pompeiani cum suis porticibus ichnographiam ex marmore Capitolino dare voluit

Digitized by Google

Fea in Editione Vitruvii, quam promisit. Suetonii locum in Augusto c. 31 *Pompeiani quoque statuam contra theatri eius regiam posuit* Ernesti de porticu basilica interpretatus est, comparans Statii Silvarum I, 1, 22 basilicam Pauli *regiam* vocantem. Plinius Ep. X, 48 basilicas circa theatrum memorat. Ex Asconio locus affertur: *in huius domus atrio fuerunt quatuor columnae marmoreae, quae nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur.* In Graecia porticuum locum obtinebant aedificia vicina theatro. De porticu Pompeia Propertius II, 32, 11. *Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis porticus aulaeis nobilis Attalicis.* Eadem est *umbra Pompeia* IV Eleg. 8, 75. Martialis II Epigr. 14 *illinc Pompeii dona nemusque duplex.* Sed regia contra theatrum Pompeii in Suetonio diversa est a porticibus post scenam eius theatri. Eandem ita signavit Appianus Civil. 2, 115 *κατὰ τὴν στοὰν τὴν πρὸ τοῦ θεάτρου*, ubi Brutus praetor ius dicebat, cum interea in vicina domo senatus esset congregatus, quod fieri ait solitum fuisse eo tempore, quo ludi dabantur in theatro Pompeiano.

Eumenia — Sulp. *Heumenici.* Vulgo *Eumenici* turpi soloecismo. Cotton. habet *Eumenia patris quae libera in fanum.* Locum Meursio in Lectionibus Atticis iam olim suspectum corrigere voluit Rutgersius V. L. p. 451 coniiciens: *porticus est in Pnyci.* Infelicissime! Is. Vossius *Eumenidum* coniiciebat ad h. l. reiecta Meursii correctione qui scribebat: *porticus Mercurii. Eumenidum* coniecit etiam Britannus Stuart in Antiq. Atticis Vol. II p. VIII. *Eumeniae* corrigi voluit Fea. Eumenes enim, inquit, teste Suida, Graeciam exornavit monumentis, Athenas colosso, narrante Plutarcho in Antonio. Potuisse etiam ab Attalo in memoriam patruelis Eumenis porticum Eumeniam construi cum viro docto suspicatur Fea. Attali porticum memorat Athenaeus 5 c. 13 alia eius monumenta Pausanias I, 25. Ceterum huc pertinet locus Plinii Epistol. X, 48 de theatro Nicaeensi: *Huic theatro ex privatorum pollicitationibus multa debentur, ut basilicae circa, ut porticus supra caveam.*

Digitized by Google

Liberi Patris fanum — Pausanias I, 20 τοῦ Διονύσου δέ ἐστι πρὸς τῷ θεάτρῳ τὸ ἀρχαιότατον ἱερόν.

et exeuntibus — Copulam Sulp. omisit. Deinde *quod Themistocles* ex Sulp. et Codd. Vatic. Fran. Arundel. Guelf. restitui. *Themistoclas* Fran. *ceutistocles* Wrat. Iocundus ineptissime *quod Athenis Pericles* refinxit; ita enim *Athenis* abundat, et sequentia Periclis aetati disconveniunt. Periclem quidem Odei auctorem perhibet Plutarchus cum aliis; sed videtur Vitruvius alios secutus auctores esse. Ita ad h. l. Fea, qui scripturam eandem in Codd. omnibus a se inspectis reperit. Etiam Ciseranus scripturam *Themistocles* utpote in pluribus libris a se repertam praetulit.

columnis dispositis — Ita Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Iocundus temere *disposuit naviumque* edidit, quod factum improbavit etiam Fea. *antepnis et malis* Wrat. Postea *et spoliis* Sulp. *Perspicis* Wrat. Denique *pertexti* Voss.

idem autem incensum — Vulgo intersertum *etiam* omisi cum Sulp. Wrat. et pluribus Codd. a Fea inspectis. Deinde *Ariobarzantes* Wratisl. Inscriptio Athenis reperta et a Gallo Belley publicata in Mémoires de l'Acad. des Inscript. Tom. XXIII Historiae p. 189 nominat Ariobarzanem Philopatorem, filium Ariobarzanis Philoromaei et reginae Athenaidis Philostorgi, qui Odei refectionem mandaverit Caio et Marco Stalliis, Caii Stallii filiis, cum Menalippo. Ibi est οἱ κατασταθέντες ἐπὶ τὴν τοῦ Ὠδείου κατασκευήν. Annotavit haec Fea.

Stratoniceum — Vulgatum *Strategeum* debetur Iocundo. Sulp. *Syratoiceum*. Fran. *Siratoniceum*. Cotton. Wrat. *Strationiceum*. Vatic. *Sirationiceum*. unde *Stratoniceum* iam olim effici voluit Is. Vossius ad h. l. ut deinde ex scriptura Fran. libri Wesseling. Probab. p. 333 qui templum Stratonicae interpretatur, Demetrii Poliorcetae filiae, Seleuco ac deinde Antiocho nuptae, cui sub nomine Veneris Στρατονίκιδος dedicatum ex Marmore Oxoniensi et Taciti Annal. 3, 63 docuit Wesseling. Demum doctissimus Fea annotavit veram scripturam esse iam positam in Edi-

Digitized by Google

tione Veneta 1497 et Ciseranum eandem lectionem ex Codd. aliquot annotasse.

Trallibus — Vatic. Fran. Cotton. *Trabibus*, Guelf. Wratisl. *Tradibus*. Deinceps *cenae* Wrat. Perraltus vocabulum *ut* delendum censuit, atque ita locum vertit, quasi abesset. Galiani contra vertit: *vi erano da una parte e dall' altra sopra lo stadio i portici come sono quelli del teatro.* quem sequitur Rode. In hac ratione, quam scriptura vulgaris extorsit, non intelligo quid sibi velint verba *supra stadium*, si iungas illis antecedentibus *ex utraque parte*. Situm scenae fortasse voluit designare Vitruvius *supra stadium;* sed vel ita abesse debet *ut*.

2.

duplices — A duplice columnarum ordine appellatas monet Philander, ex Suetonii Nerone c. 31 triplices memorans. Scilicet domus aurea Neronis tam laxa fuisse dicitur, ut *porticus triplices milliarias haberet*. Idem Philander porticum tetrastichen et pentastichen Galieni Imperatoris ex Iulio Capitolino huc retulit. Addo locum Plinii 34 s. 7 *Invenio et a Cn. Octavio qui de Perse rege navalem triumphum egit factam porticum duplicem ad circum Flaminium, quae Corinthia sit appellata a capitulis aereis columnarum.* ad quem vide annotata Harduini.

modulationis perfectas — Wratisl. Voss. *modulationes*. Iocundus interseruit *Doricae*, quod omittunt Sulpic. Guelf. Wratisl. Voss.

altitudine — fuerint — Guelf. Wrat. *altitudo — fuerit*. Etiam Cotton. *altitudo*. Deinde *circumclaudunt* Wrat.

porticus ambulationes — Perraltus vertit: *les Promenoirs qui sont dans l'enclos de ces Portiques*. Galiani: *che serra questi portici de' passeggi*. Rode: *welche die Säulen und Spatziergänge umgiebt*. Sensisse igitur videntur hi tres Interpretes ambulationes esse a porticu diversas, utpote inclusas intra porticus et pariete conclusas simulque separatas a porticu. Quare copula *et* interserenda mihi videbatur. Neque enim ambulationes istae sunt

Digitized by Google

pars porticus, aut porticui necessario adiunctae. Praeterea Perralto dubitatio est suborta de latitudine porticuum *ab inferiore parte columnarum extremarum* metienda. Ponit cum Vitruvio columnas extremas seu exteriores altas modulis 15; atque hinc sequi putat latitudinem ab inferiore parte extremarum ad medias et hinc ad parietem non esse maiorem quam 13 modulis. Haec enim spatia continere ait mensuram 2 intercolumniorum et diametri columnae ex ratione in Pseudodipteris usitata et descripta a Vitruvio 3 cap. 1 sect. 6 (*ita duorum intercolumniorum et imae crassitudinis columnae spatium erit a parietibus circa ad extremos ordines columnarum.*) Atqui intercolumnia dicuntur hic esse modulorum V et dimidii, qui duplicati efficiant XI modulos; quibus si accesserit imae columnae crassitudo sive moduli II, fient omnes moduli XIII. Deesse igitur modulos duos ad latitudinem aequantem altitudinem columnarum extremarum, id est ad XV modulos, quos supplet vir doctus scribendo *ab exteriore parte columnarum*, ita ut crassitudo columnae tota adiiciatur, id est moduli II. Ita demum effici modulos XV latitudinis. Galiani primum illud ponit quasi dubitationi nulli obnoxium, parietem non solum porticum sed etiam ambulationes circumclusisse. (Atqui hoc dubium esse in vulgata lectione supra monui; quanquam verosimile sit esse scribendum *porticus et ambulationes.*) Perraltum contra falso solas ambulationes pariete circumclusisse. (Pictura sistit quadratum locum duplici porticu cinctum, in quo medio ambulationes hypaethrae muro cinguntur et a porticu separantur.) Quae hinc conficere conatur vir doctus, aut sunt vitiose impressa, aut ego plane non intelligo, quid sibi voluerit. Quare ipsa verba apponam: *Ciò posto no ho io bisogno, come lo ha avuto egli, di sospettare errore nel testo. Gli intercolumni dorici esteriori debbono essere, come quì prescrive, di moduli cinque e mezzo; ma questo, come dalla mia figura, (Tav. XVI et XVII. N. N.) niente obbliga a fare gli intercolumni interiori di moduli tredici, quanto a dire uguali a due intercolumni esteriori ed una colonna, ma possono bene essere di quindici, come*

Digitized by Google

dice l'autore, misurandoli ab inferiore parte columnarum. Iudicium doctioribus relinquo.

medianae autem — Voss. *autem* omittit. Deinde *deformantur* Wratisl. In numero *quinta parte altiores* vitium suspicatus est Perraltus, qui XV pro V scriptum fuisse censet ex ratione capituli, quod moduli unius est, sive XV parte columnae altum. Eam mensuram non posse superare columnas interiores. Assentitur Perralto Galiani.

3.

non erunt iisdem — Wrat. *non erunt in eisdem.* Statim pro *aliam* Wrat. *viam*, et sequentia *enim* — *aliam* omittit Wrat.

generis — *dimetiantur* — Wrat. *generibus.* Idem cum Fran. *demetiantur.* Deinde *partes XII* Cotton.

et ex — Copulam omittit Fran. Wrat. Voss. Deinde *mudulus* Voss. Postea *et in primo* Sulpic. Vatic. 1 Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *primis* Vatic. 2.

altitudo — *quatuordecim* — Arundel. numerum *XII* positum habet.

sextae partis — Perraltus *III partis* malebat scriptum, aliter quam supra 4 cap. 4.

4.

Sin autem — Hinc Wratisl. Capitulum XVIII exorditur, et deinde *fiant* dat. Postea *scaphus* Vatic. Voss. Denique *octo et dimidiam partem* Fran. Wrat.

his una — Sulp. Fran. Cotton. *una* omittunt. Sequens *Spira* omittunt Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. Cotton. *Tum plinthus* Fran. *constituantur* Guelf. Voss.

ita fiat — Sulp. Fran. *ita* omittunt. *libro tertio* Wratisl. Postea *scaphus* Vatic. Denique *habeant rationem* Sulp. Guelf. Wratisl.

scamillos impares — Sulpic. Vatic. Arundel. Fran. Cotton. *scabellos*, Guelf. Wrat. *scabillos.* Deinde *impartes* Sulpic. Cot-

Digitized by Google

ton. Wrat. *impartes* Fran. Cotton. Guelf. Postea *quae est descripta supra* Sulp.

5.

divo — Guelf. Wratisl. *diu.* Deinde *virbus* Sulp. et statim *viribus.* Cotton. *uridibus.* Post *primum* Vatic. 2. non inepte inserit *quidem.*

subtilis — Fran. a prima manu *subtiles.* Sequens *et* omittit Wrat. Postea *perliniat* Sulp. *Speciem* dixit pro *oculum*, aciem oculorum, monente Philandro. Perraltus geminam rationem edi putans ad priorem refert verba *aciem tenuem*, ad alteram *speciem acutam.* Igitur vertit: *aiguisent les especes qui vont aux yeux, la verdure rendant l'air plus subtil et l'agitation ouvrant les conduits du corps; ce qui donne lieu à la dissipation des humeurs grossieres qui sont autour des yeux. Secondement la chaleur douce qui est excitée par l'exercice, consume et attire en dehors les humeurs et generalement tout ce qui se trouve de superflu et à charge à la nature.* Vides omissa plane verba *aciem tenuem et acutam speciem*, quae Galiani vertit: *la rende più fina ed acuta.* Doctius scilicet! Rode: *und die Sehenerven verfeinert und stärkt.* In annotatione Perraltus paulo distinctius ait: *la promenade rend aciem tenuem, et le promenoir acutam speciem.* Speciem autem vult esse *species* quae ingrediuntur oculos. Ita qui voluit crassam et pinguem Vitruvii, aut eius quem is exscripsit, philosophiam physicam ad subtilitatem et veritatem adducere, ad ineptas argutias delapsus est, ceterum in physicarum rerum cognitione versatissimus!

calescat — Sulp. *calescit.* Deinde *exsugendo* Guelf. Wrat. Postea *possit sustinere* Vatic. 2.

6.

palustris — Wrat. *plaustris.* Deinde *hypaetrisque* Sulpic. Postea *tangat* Sulp. Fran. Guelf.

et conglobatos — Vulgatum *et etiam congl.* debetur Iocundo.

Digitized by Google

Sulp. enim cum Fran. dat *et conglobatos.* Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. dant *et ex conglobatos.* unde Is. Vossius efficiebat: *et ex eo conglobatos.*

Ergo si — Hinc Wrat. Capitulum XIX exorditur. Deinde *exsugantur* Guelf. Wrat. Iterum inepte philosophatur Vitruvius aerem exsugere aquas e terra et e corpore humores. Calor id facit; qui in ambulationibus viridibus opacatis multo minor est quam in aere aperto et aprico.

sub divo — Guelf. Wrat. Voss. *diu.* Sequens *hypaethrisque* etiamsi cum Laeto mutaveris in *hypaethras*, ineptissimam habet tautologiam. Sed homini non satis erudito sua graecae litteraturae ostentatio relinquenda videtur; sed dictioni addendum *locis*, aut *hypaethrasque* scribendum.

7.

Eae autem — Sulp. *Hae autem.* Post *altissime* (Wrat. *altissima*) insertum a Iocundo *et* omisi cum Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Deinde *ac* dedi pro *atque* ex Sulpic. Fran. Denique *spectaverit* Wratisl.

inclinati — in cloacas — Wrat. *inclinata.* Deinde vulgatum *cloacis* mutavi in *cloacas*, quam scripturam in margine nescio unde annotavit Laetiana. De verbo *instruantur*, quod male vertit Rode, supra dixi. De carbonum usu dictum ad 3, 4, 2.

eae ambulationes — Sulp. *hae.* Deinde *et aequentur* Wrat. Postea *excipiantur* Wrat. omissis verbis *siccae et.*

8.

thesauri — Guelf. *thensauri.* Deinde *amoribus* Cotton. Guelf. et a manu prima Fran. Porticus thesauri locum obtinuisse in civitatibus graecis testatur locus Arriani Anabas. I, 23, 2 *ἐμπιπρᾶσι καὶ τὰς στοὰς, ἐν αἷς τὰ βέλη αὐτοῖς ἀκέκειτο.*

conclusionibus — i. e. obsidionibus, monente Philandro. Deinde *sunt faciliores apparatos* Sulp.

Digitized by Google

et si desint — Sulp. *et* omisit; *desit* Sulp. Guelf. Wratisl. *defit* Fran. Deinde *defendetur* Wrat.

ad cibum excoquendum — Voss. *ac cibum ecoquendum.* Simplex *coquendum* dant Fran. Wrat.

apparatio — Bondam p. 35 *apportatio* malebat scriptum. Deinde *comparaturtatur* Cotton. Postea *non sumitur* Cotton.

9.

eae ambulationes — Sulp. Wrat. *hae.* Deinde *duas egregia* omisso *res* Wrat. Postea *hypaethra* Guelf. Wrat. Voss. *ambulationem* iidem libri, *ambulatione* a prima manu Fran.

Quoniam — Hinc Capitulum XX exorditur Wrat. Ante *nobis* insertam a Iocundo praepositionem *a* omisi cum Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Postea *insequenter* Voss.

AD CAPUT X.

locus est — Wrat. *est locus — septentrione aquilone.* Postea *si autem* Fran. Guelf. Wrat. Denique *a meridiano vesperum* Wrat. Palladius I, 40 *balneum constituemus in ea parte, qua calor futurus est, loco ab humore suspenso, ne uligo eum fornacibus vicina refrigeret. Lumina ei dabimus a parte meridiana et occidentis hiberni, ut tota die solis iuvetur et illustretur aspectu.* Causam addit Compendium Archit. c. 16 *ut sole decedente vaporetur usque ad vesperum, quod tempus ad lavandum tributum est.*

a meridiano ad vesperum — Locum Spartiani in Hadriano comparavit Philander, ubi narrat neminem nisi aegrum lavari in publico passum ante horam octavam.

viriliaque — Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *et virilia;* deinde *eisdem* Wrat. Gracchi oratio apud Gellium 10, 3. *Pudor enim non patiebatur utrumque sexum simul lavari, sed commoditas coniungi desiderabat.* Locum Varronis in fine harum annotationum ponam.

ut [in] vasaria et hypocausis — Sulp. *ut in vasariis et*

Digitized by Google

hypocaustis. Guelf. Wratisl. Vatic. *vasaria.* Deinde *hypocausis* Fran. Vatic. 1 Guelf. Wrat. *hypocaustis* Voss. *hypocausa* Vatic. 2. Iocundus dedit *in vasaria ex hypocausto.* Pro sequenti *sit* Voss. dat *et;* vocabulum *usus* omittunt Fran. Vossian. Guelf. Wratisl. Denique *utriusque* Wrat. Rodiana dedit: *in vasariis et hypocaustis:* ex qua scriptura sensus aliquis probabilis non magis efficitur quam ex vulgari. *Vasaria* viris doctis visa est esse cella vasis condendis; cum aliis Rode vasaria est miliaria interpretatus. Ciceronis vasarium huc non pertinet, nec Catonis de R. R. Non magis quae Plinius H. N. 7, c. 49 dixit *vasaria* pro tabulis publicis, registra dicunt recentiores; quo sensu usurpavit vocabulum Lex 12 tituli XI libri 13 Codicis Theodosiani et Cassiodorus Variar. 7 form. 45. Mihi *vasaria* h. l. genere foemineo videtur esse pro *supellex vasaria;* sequens autem *usus* cum libris optimis delendum videtur, uti praecedens *in.* Interim utrumque vocabulum seclusi, ne plane sublatis querantur nimis religiosi lectores. Venit etiam in mentem suspicari *vasaria* dicta esse pro *vasa*, ut *balnearia maiora, minora, hiberna* dixit Cicero ad Attic. 13, 29 pro *balneis.* Idem ad Q. Fratrem 3, 1. *In Manliano — nihil restabat praeter balnearia et ambulationem et aviarium.* atque ita bis idem vocabulum in sequentibus usurpatur.

Ahena — Sulpic. *Aena.* Fran. Vatic. Wrat. *aenea.* Deinde *super* Cotton. Sequens *hypocausin* est ex Fran. Cotton. Vatic. Guelf. Wrat. *hypocaustum* Sulp. et ceterae Edd.

caldarium quantum — influat de — Ita haec distinguenda esse recte iam olim monuit Salmasius ad Script. H. A. p. 487. Vulgo erat: *caldarium, quantum — influat: de.* Ceterum *calidae* Sulp. Fran. *chaldae* Wrat. De ipsa compositione ahenorum dicetur in fine annotationum ad hoc caput.

testudinesque alveolorum — Sulp. *testudines aquae alv.* Fran. *testudines quae alv. alveorum* primus Philander edidit, quem secuti sunt Laetus et Galiani. Antiquam scripturam restituit Rode. Postea *hypocausis* Voss. *ypocausi* Wrat. Denique *calfacientur* Guelf. Wrat. De hoc loco dicetur accuratius in fine annotationum.

Digitized by Google

2.

Suspensurae — Palladius I, 40 *suspensuras cellarum sic facies: aream primo bipedis sternis: inclinata tamen sit stratura ad fornacem, ut si pilam miseris, intro stare non possit, sed ad fornacem recurrat. Sic eveniet, ut flamma altum petendo cellas faciat plus calere.* Compendium Archit. facit in mensura tegularum cum Vitruvio, deinde pergit: *ut pila missa resistere non possit, sed redeat ad praefurnium — supraque laterculis bessalibus, et rotundis pilae interstruantur ex capillo et argilla subacta.* ubi Vascosana habet: *vel rotundis pilis insternantur.* Vatic. 1. *internantur.* Correxit Polenus; sed praeterea *rotundae* erat scribendum.

ut primum — Ita Sulpic. Guelf. Wratisl. Vulgo *uti primum.* Deinde *sesquidalibus* Sulp. Postea *ad hypocaustum* Sulpic. Denique *se sistere* Voss. *praefurnum* Wrat. In Catone de R. R. c. 38 sect. 2. *duobus praefurnis* habet Politiani Codex, sed sect. 1 *praefurnio* est sine varietate.

bessalibus — Franeck. *besalibus*, Wrat. *basilibus.* Codices a Salmasio inspecti item dabant *besalibus*, ipso teste in Exercit. p. 869 qui monet Graecorum recentiorum βήσαλον pro latere hinc ortum ducere. Postea *possint esse supra* Wrat.

pedum duorum — Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *pedes duo.* Vatic. *pedes suos.* Deinde *haeque* Sulp. *eaque* Wrat. Palladius: *Supra hanc straturam pilae laterculis argilla subacta et capillo constructae fiant distantes a se spatio pedis unius et semissis, altae pedibus binis semis. Super has pilas bipedae constituantur binae in altum, atque his superfundantur testacea pavimenta, et tunc, si copia est, marmora collocentur.*

3.

figulinum opus — Sulp. hoc habet. unde Iocundus effecit, quod dominatur nunc in Editionibus omnibus et libris scriptis, *figlinum*, olim a Salmasio Exercit. p. 854 repudiatum et in *signi-*

Digitized by Google

num mutatum. Quam tamen correctionem, cum multis aliis omissam a Laeto, minime confirmat locus Palladii: *Camerae in balneis si signinae fiant, fortiores sunt: quae si de tabulis fiunt, virgis ferreis transversis et ferreis arcubus sustinentur. Sed si tabulas nolis imponere, super arcus ac virgas bipedas constitues ferreis ancoris colligatas, capillo inter se atque argilla subacta cohaerentes, et ita impensam testaceam subter inducis: deinde albarii operis nitore decorabis.* Compendium Archit. c. 17 *Camerae structiles fortiores erunt. Figulinae autem ad contignationem suspendantur ita, ut catenis anchoratis fixae regulas et paliola, quae cameram circinent, sustineant.* ubi Codices et Vascosana *tegulas* dant; Vatic. 2 et Vascos. deinde *vel paliola.* Pergit Compendium: *Utilius autem disponetur, si regulae vel arcus ferrei fiant, ut uncis ferreis ad contignationem suspendantur ita, ut tegularum iuncturae super regulas vel arcus recumbant. Superiores ergo iuncturae ex capillo et argilla subacta liniantur, inferior autem pars iuncturae, quae ad pavimentum spectabit, primo calce cum testa temperata trullissetur, deinde albario sive tectorio opere inducatur.* Quia testae sternuntur super contignationem, *opus figulinum* dicitur; figulus enim testas fingit et coquit in fornace. Posui locum Philonis infra ad libri 7 cap. 3 sect. 2. ubi cameram similiter et cannis intexit, alioque etiam modo testis consternit: καὶ στρωτῆρας ἐπιβαλὼν κεράμωσον. Sidonius Apollinaris 2 Epist. 1. *Hinc frigidaria dilatatur, quae piscinas publicis operibus extructas non impudenter aemularetur, primum tecti apice in conum cacuminato, cum ab angulis quadrifariam concurrentia dorsa cristarum tegulis interiacentibus imbricarentur. — fenestras e regione conditor binas confinio camerae pendentis admovit, ut suspicientium visui fabrefactum lacunar aperiret.*

faciendum — Sulp. *faciundum.* Deinceps *Tegulae* Sulpic. Wrat. *regula ferrea* Fran. Postea *haeque* Sulp. Denique *suspendatur* Wrat.

Digitized by Google

eaeque regulae — Sulp. *haeque tegulae.* Deinde *uti* Guelf. Wrat. Postea *coagmenta argilla* Wrat.

Inferior — Sulp. Fran. Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. *interior.* Sequens *primum* omisit Sulpic. Postea *trullizetur* Fran. Guelf. *trulicetur* Wrat. *tulizzetur* Vatic. Denique *polliatur* Wrat.

eaeque camerae — Sulp. *Neque camerae.* Wrat. *eaque camerae.* Sequentem praepositionem *a* ante *vapore* omisit Sulpic. Postea *materiam* Wratisl.

4.

Magnitudines — balnearum — Hinc Capitulum XXI exorditur Wrat. qui *balneorum* habet. Vitium loci aut lacunam arguit Palladii locus I, 40, 3 ubi postquam de miliario dixerat, pergit: *Cellae autem sic disponantur, ut quadrae non sint, sed verbi gratia si XV pedibus longae fuerint, X latae sint: fortius enim vapor inter angusta luctabitur. Soliorum forma pro uniuscuiusque voluntate fundetur. Piscinales cellae in aestivis balneis a septentrione lumen accipiant, in hiemalibus a meridie.* Quorum partem ita reddidit Compendium Architecturae c. 16 *ut quanta longitudo fuerit, tertia adempta latitudo componatur: melius enim ignis per angustiora latitudinis cellarum operabitur.* Quae propius a Vitruvii verbis absunt. Sed in Vitruvio haec est mensura balnearum; cum ipsa tamen enarratio locorum doceat caldariorum mensuras voluisse tradere Vitruvium. De mensura reliquarum cellarum earumque dispositione tacet Vitruvius, qui tamen in palaestra accurate ordinat singulas aedificii partes.

sin autem — Sulpic. Wratisl. Voss. omittunt *autem.* Deinde *fierit* Fran. Postea *scolam* Guelf. Wrat. Cotton.

scholam labri — De hac, ut et de labri et alvei differentia dicetur in fine annotationum ad hoc Caput.

utique sub — Wrat. *utique* omittit, deinde *obscurent lumen* dat. Postea *Scolas* Sulp. Wrat. Denique *uti cum* Guelf. Wrat.

auferat et pulvinus — Wrat. *auferatur ut pulvinus.* Pulvinus est superior gradus, ut sequentia docent.

Digitized by Google

5.

Laconicum sudationesque — Perraltus vertit: *Le Laconicum ou Etuve à faire suer.* Rode: *das Laconicum oder die Schwitzstube.* Galiani opinionem novam exponam ad finem harum annotationum.

tepidario, eaeque — Voss. *tepidario* omittit. *haeque* Sulp. *eaque* Wrat. Deinde *ad unam curvaturam* Sulp. Wrat. Denique *hemispaerii* Sulpic. Franeck. Wratisl. ut paulo post *hemispaerio* Sulp. Wrat.

clypeum — pendeat — Sulp. *pendeant.* Deinde *dimissiones* Sulp. Fran. Philander ad h. l.: „Quomodo id procuratum sit, silentio praeteriit Vitruvius, nos vero ex veterum thermarum monumentis deprehendimus. Sub laconici pavimento concameratio erat, ubi succendebatur ignis, quaquaversum vero in parietibus ad imam hemisphaerii curvaturam structiles fictilesque canales sive tubuli, ut vocat Proculus Pandectarum libro VIII de Servit. urb. praed. per quos flammae vaporisque vis deferebatur. Ubi autem curvaturam contigerat, rotundo aereo operculo, quod clypeum appellat, impedita sub suspensiône pervagabatur. Qui sudabant clypei sublatione depressioneque calori moderabantur. Laconici figuram apposui ex reliquiis thermarum Caracallae, aliam videbis apud Barbarum.“ Huc pertinet locus Athenaei XI p. 501 ubi Timarchus ita tradit: *τὰ κλεῖστα τῶν Ἀθήνησι βαλανείων κυκλοειδῆ ταῖς κατασκευαῖς ὄντα τὰς ἐξαγωγὰς ἔχει κατὰ μέσον, ἐφ' οὗ χαλκοῦς ὀμφαλὸς ἕστηκεν.* qui umbilicus exitui balnei medio imponendus cum clypeo Vitruvii comparari potest. Denique est locus Procopii de B. Vand. I, 13 de pane militari fraudulenter in morem bis cocti coquendo: *ἐς τὸ δημόσιον βαλανεῖον εἰσκομίσας τὸν Ἀχιλέα, οὗ δὴ ἔνερθεν τὸ πῦρ καίεται, κατασέσθαι ἐκέλευσε.* ubi versio clypeum aeneum habet, sed margo *ἀγκύλιον* legere suadet.

ipsumque ad circinum — Perraltus vertit: *Ce lieu doit être arrondi au compas afin qu'il reçoive en son milieu.* Cuius erro-

Digitized by Google

rem secutus est Rode, *ipsum* referens ad Laconicum, non ad *clypeum*. Recte contra Galiani.

Superest ut quaedam communia balnearum aedificationi explicem, quae inter ipsas verborum Vitruvii interpretationes posita nimium spatium erant occupatura. Primum igitur de ipso vocabulo *balnearum* dicendum videtur, quo Varronis aevo publicas; contra *balnei* nomine privatum significatum fuisse constat ex duobus Varronis locis de L. L. Prior est libro 7 p. 115 ed. Bipontinae: *Sed et singularia solum sunt multa, ut aicer, siser, et multitudinis, ut salinae* (et balneae): *non enim ab his singulari specie dicitur salina et balnea: neque ab eo, quod dicunt balneum, habet multitudinem* (balnea) *consuetudo. Nam quod est ut praedium balneum, debuerunt esse plura, ut praedia, balnea: quod non est.* Alter est libro 8 p. 144 *Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicae balineae, non balinea: contra quod privati dicunt unum balineum, quod plura balineas dicant.* (Scaliger corrigebat: *balinea non dicant.*) *Balineum novum et graecum introiit in urbem; publice ibi concedit, ubi essent coniuncta aedificia lavandi causa, unum, ubi viri, alterum, ubi mulieres lavarentur: ab eadem ratione domi suae quisque ubi lavatur, balineum dixerit. et quod non erant duo balinea, dicere non consueverunt:* (balnea plurali numero) *cum hoc antiqui non balineum sed lavatrinam appellare consuevissent.* Vides in usu vocabuli cum Varronis aevo et consuetudine consentire Vitruvium, qui *balneas* dixit; monuit ad Varronem Popma Ciceronem etiam privatum balneum dixisse semper, praeterquam duobus locis, libro 2 de Oratore, ubi *M. Bruti balnea* sunt, et in Hortensio de M. Sergio Orata, qui *primus balneola suspendit.*

De balneorum publicorum et privatorum structura cum praeter Vitruvium Palladiumque vix alibi traditum legatur, dignum puto locum Ciceronis in Epistola ad Quintum fratrem 3 ep. 1 quem huc apponam. *In balneariis*, inquit, *assa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, esset subiectum cubiculis.* ubi Er-

Digitized by Google

nesti cum aliis *assa* intelligit hypocaustum, et cum Ursino et Scaligero verba *e quo ignis erumpit* tanquam glossema delet. Videtur Cicero *vaporarium* dicere quod Vitruvius *hypocausin*, *assa* vero, quae Vitruvius *caldaria*, nisi potius *assa* sunt Laconica, vel *sudatoria* Senecae. Hypocaustum est ipsum sudatorium, quod vaporatur ex hypocausi. Statius Silvarum libro I *tenuem volvunt hypocausta vaporem.* Plinius Epist. 2, 17 *adiacet unctorio imo hypocaustum, adiacet propnigeon balinei, mox duae cellae magis elegantes quam sumptuosae.* ubi Codd. *propnigaeon* et *propingeon* dant. Idem ibidem sect. 23 *applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem aut effundit aut retinet.* Idem 5 Ep. 6, 24 *cubiculum hieme tepidissimum, quia plurimo sole perfunditur. Cohaeret hypocauston, et si dies nubilus, immisso vapore, solis vicem supplet. Inde apodyterium balinei laxum et hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atque opacum.* Propnigeum vocat, quod Vitruvius in balneis romanis describendis praefurnium, in palaestra graeca graeco vocabulo item *propnigeum* vocat. In descriptione balnei ab Hippia constructi, quae Luciani nomine inscripta falso legitur in Operum editionis Bipontinae Volumine VII, palaestra balneo iuncta conspicitur; quod etiam in aliis balneis factum fuisse videtur. Quodsi contra gymnasiis balnea iuncta fuerunt, apparet, qui factum sit, ut gymnasii nomine etiam balneum veniret, quam vocabuli notionem minus vulgarem docuisse dicitur Ignarra p. 117 de Palaestra Neapolitana 1770. Est scilicet locus Iosephi de bello Iudaico, qui docet publicas balneas gymnasia vocatas fuisse, quem posuit etiam Mercurialis de Arte Gymnast. p. 17. Quae posterior aetas formae et dispositioni Vitruvianae adstruxit, deinceps annotabuntur, si quae forte ad interpretandam eius orationem pertinere visa viris doctis fuerint. Nunc persequar singularia quaedam Vitruvii praecepta, quae paulo uberiorem interpretationem postulare videbantur.

Primum ahena tria supra hypocausin ita componit, ut quantum aquae caldae ex tepidario exierit in caldarium, tantum influat de

Digitized by Google

frigidario in tepidarium ad eundem modum. Hunc modum quaesiverunt viri docti, et diversis viis eum reperisse sibi visi sunt. Sed prius quam eorum coniecturas afferam, ponam Palladii locum, qui ahenorum trium in vicem adhibet miliarium. Ille igitur I cap. 40 sect. 3. *Miliarium vero plumbeum, cui aerea patina subest, inter soliorum spatia forinsecus statuamus fornace subiecta, ad quod miliarium fistula frigidaria dirigatur, et ab hoc ad solium similis magnitudinis fistula procedat, quae tantum calidae ducat interius, quantum fistula illi frigidi liquoris intulerit.* Compendium Architecturae cap. 16. *Plumbeum vas, quod patenam aeream habet, super fornacem conlocetur, alterum frigidarium secum, ut quantum calda ex eo in solium admittatur, tantum frigidae infundatur.* ubi Vatic. 2. habet: *alterum simile frigidarium.* Nihil hic de fistulis monet, sed potius vas plumbeum geminum statuere videtur super hypocausi vel fornace; itaque merito dubites, Palladium an Vitruvium excerpserit, an utriusque doctrinam confusam miscuerit. Palladio miliarium ad balneum privatum suffecisse videtur, idque adeo nullo modo comparari potest cum tribus ahenis a Vitruvio in balneis publicis super hypocausi compositis. Modum componendorum primum et simplicissimum omnium, quem expressit pictura a Iocundo apposita in Editione utraque, reiiciam ad postremum locum, in eoque consistam. Alterum modum quis excogitaverit et pictura repraesentaverit, annotatum non reperi a viris doctis, sed picturam eandem, quam Philandri Argentoratensis 1550 apposuit, ex Cesariano et Rivio repetitam velut inutilem reprobavit Perraltus, qui obiter etiam Barbari commentum commemoravit his verbis: *La figure que Barbaro a mise dans son Edition latine fait assez bien entendre, comme l'eau étoit beaucoup échauffée dans l'un, et seulement rendue tiede dans l'autre, et conservée froide dans le troisième, par la situation qu'ils avoient plus proche ou plus éloignés du feu; mais la manière par la quelle Vitruve entend que le vase d'eau tiede en recevoit autant de froide qu'il en donnoit de tiede au vase d'eau chaude, n'est*

Digitized by Google

point expliquée par cette figure. Celles de Ciseranus et de Rivius sont faites pour expliquer cette communication des eaux de differente temperature. Elles representent les trois vases posés les uns sur les autres, sçavoir le vase A, qui contient la froide; le vase B, où est la tiede; et le vase C, qui est celui de la chaude; en sorte que ces vases envoient chacun leur eau dans les Bains par les conduits F. F. F. n'aiant de communication que par un petit conduit, sçavoir le vase A avec le vase B, par le conduit D, et le vase B avec le vase C, par le conduit E. Mais l'inconvenient est qu'il est impossible que la chaleur qui monte fort promptement ne se communique bientôt, et ne passe du vaisseau inferieur qui est immediatement échauffé par le feu, dans le vase du milieu, et dans celui d'en haut, et qu'elle n'y devienne même plus chaude qu'en celui d'embas. Igitur ipse novum excogitavit modum, quo tria ahena deinceps posita aquam per siphones duos curvatos, immissos tribus ahenis inter se communicarent, ita ut primum ahenum ipsi igni hypocauseos sit impositum, alterum vix dimidia parte anteriore extremam flammam excipiat, tertium extra ignis contactum positum sit. Galiani reiecta item ratione ea, quam pictura Cesariani repraesentavit, Perralti commentum desiderare putat operam hominis adstantis et siphones regentis. Deinde memorat picturam antiquam in Titi thermis repertam, quam apposuit in extremo libro V pag. 214, ubi tria ahena conspiciuntur tribus gradibus diversis ex ordine imposita, ita ut fundus alterius et tertii superet orificium primi et secundi infra positi; unde facili lapsu aqua ex supremo aheno frigidario replebat duo inferiora. Sed hanc etiam rationem improbat Galiani his verbis: *ma perchè spesso Vitruvio insegna, come si ha a fare meglio, non già come forse si faceva, non essendo le sue parole adattabili a nessuna delle menzionate maniere, ho immaginata ancor io la mia.* Commentum suum pinxit in Tabula XV fig. 4. ubi apparent tria ahena ad libellam posita deinceps et hypocausi imposita ita, ut Perraltus ea composuit, sed fundus aheni secundi

Digitized by Google

paulo altior est, ut et tertii, quam primi et secundi, ita ut aqua ipsa ex altero et tertio influat in vacuum locum primi et secundi aheni. Pictura tamen rudis commentum viri docti non reddidit ita, uti possit a lectore facile intelligi. Praeterea Galiani ahenum unum caldae, tepidae et frigidae aquae balneis publicis suffecisse negans tres ahenorum ordines comminiscitur, quos tamen Vitruvius ne verbulo quidem significavit. Rode tacuit de modo ahenorum componendorum, sed in Editione apposuit picturam antiquam in Titi thermis repertam in Tabula XVII. ita ut videatur rationem illam solam approbasse, quae in illis reddita conspicitur, et quam eandem repraesentavit Iocundus in utraque Editione. Haec mihi etiam sola ut omnium simplicissima placet. Sed Iocundus in altera Editione minore apposuit picturam p. 110 alteram cum hac inscriptione: *Balnearum dispositio et eorum interiorum membrorum affigurata constructio.* Variae literae distingunt eam, sed nulla earum interpretatio adiecta est in margine folii; igitur quam bene membra balnearum ordinaverit Iocundus, non est facile ita iudicare. Verum in media pictura conspiciuntur tria ahena sibi imposita ita ut in pictura Philandri, quae ex Iocundea Editione repetita videtur, quanquam partem modo mediam reddat. Habet enim in margine appositam eandem inscriptionem, ita tamen correctam, ut ibi legatur: *Balnearum dispositio et earum* et cet. Quodsi pictura eadem extat in Editione Iocundea anni 1513 et 1522, egò enim Editione anni 1523 ex Bibliotheca regia Berolinensi usus sum, patet Iocundo eiusdem rationis inventionem deberi; sin Editio anni 1513 eam picturam non habet, suspicio non levis est, eam demum in Editione anni 1523 fuisse traductam ex versione Cesariani prodita anno 1521. Mirarer equidem rationem Iocundi priorem latuisse Perraltum et Galianum, nisi aliunde etiam constaret Editiones Iocundeas neutri fuisse ad manum, cum in Vitruvium commentarentur.

Sequitur ut de *testudinibus alveolorum* videamus. Primus Philander *alveorum* edere ausus est, quem Laetiana et Galiani

Digitized by Google

Editio secuta est. Philander videtur credidisse scripturae aequalitatem observandam fuisse a Vitruvio, quoniam idem balnearum membrum sect. 4 nominari censebat. Ibi igitur est sine scripturae varietate *schola alvei*, item *alvei latitudo inter parietem et pluteum ne minus sit pedes senos, ut gradus inferior inde auferat et pulvinus duos pedes.* De alveo tacet Baldi Lexicon Vitruvianum, sed Philander ad sect. 4 ita commentatur: *Nomine alvei labrum intelligit, ut ante, praeter scholam labri et alvei: vultque sub dio esse, latum pedes VI. Ut parum prospexerint, qui pro alveolis seu tubis in parietibus laconici relictis interpretati sunt. De balneis enim adhuc loquitur: de laconico vero postea.* Perraltus locum hunc vertit: *Le dessous des Bains sera échauffé par un seul fourneau.* In annotatione subiecta alveum proprie quidem censet dici de solio, in quo lavantur, sed suspicari se ait hic esse alveos positos pro ipsis aheneis vasis aquam subministrantibus. Galiani verba Vitruvii ita reddidit: *uno stesso fuoco riscalderà cosi tutte le fornacette:* nulla addita annotatione. Rode: *der unterwölbte Boden der Badewannen muſs ebenfalls von demselben Ofen geheizt werden.* Hic igitur, quod diserte etiam affirmat annotatio, labrum et alveum pro una eademque re dictum censuit. Scilicet ubi est sect. 4 *praeter scholam labri et alvei* voculam *et* interpretatur dictam pro *sive.* Sed cum Vitruvius primo loco *labrum* singulari numero nominasset idque sub lumine faciendum esse monuisset, statim tamen *labra* plurali numero ponit: *Scholas autem labrorum ita fieri oportet spatiosas, ut cum priores occupaverint loca circumspectantes reliqui recte stare possint.* Plura igitur in eodem balneo labra esse voluit scholis distincta; quarum scholarum nullam aliam definitionem adiunxit, quoniam inter duo labra una schola intermedia erat, nec ullo alio termino circumscribi debebat. Contra *alvei latitudo inter parietem et pluteum* ponitur: primum, quod non est praetermittendum, singulari numero, cum *labra* plurali nominasset; deinde situs *alvei* definitur inter parietem et pluteum; denique *latitudo* aperte nunc dicitur, quae antea *schola*

Digitized by Google

labri et alvei nominata erat. *Scholae* igitur *labrorum* videntur esse spatia lata inter plura labra id est solia relicta; contra alvei schola vel latitudo non est inter labra media, sed utrinque ad latera labrorum transversa, inter parietem et pluteum posita, et habet descensum ad labra per pulvinum et gradum inferiorem. Quod vero Vitruvius priore in loco testudines alveorum plurali numero nominavit, id eo spectare videtur, quod caldaria muliebria et virilia coniuncta ita, ut ex eadem hypocausi calefierent, suum tamen quaeque alveum ad latus utrumque labrorum plurium iuxta se positorum habebant; quare recte plurali numero testudines alveorum dixisse Vitruvius videtur. Philander ad alterum Vitruvii locum de schola ita annotavit: *Schola, ut placet Hermolao, nobis quoque pars est labri sive alvei, id est lapideae structaeve fossae balnearum, ubi posteriores occupato a prioribus labro alveoque praestolabantur et spectantes stabant. Aliis placet porticum esse circum labrum. Qua in significatione usurpatum fuisse aliquando, est indicatum in epistylio porticus, quam in fori Romani capite ad radices Capitolii librariis et praeconibus C. Avilium Licinium Trosium fecisse ipsa inscriptio docebat; sed pro porticu in qua essent tabernae dictum eo loco quis non videt? Inventus igitur est titulus in interiori epistylio huiusmodi*: C. Avilius Licinius Trosius curator scholam de suo fecit. Bebrix Aug. L. Drusianus A. Fabius Xanthus. Cur. Scribis Librariis et Praeconibus Aed. Cur. Scholam ab inchoato refecerunt, marmoribus ornaverunt, Victoriam Augustam et sedes aeneas et cetera ornamenta de sua pecunia fecerunt. *Fuisse enim et scholas in porticibus, qui Plinium legerit cap. 5 libro 36 minime ignorare potest.* Hucusque Philander. Daniel autem Barbarus haec posuit: *Schola labri et alvei erat tanquam margo labri, ubi lavaturi praestolabantur et spectantes eos, qui prius locum occupaverant, stabant.* Baldus contra amplum in balneis locum fuisse scholam putabat labro contiguum, minime partem vel marginem labri. Denique cum Mercuriali de re Gymnastica I cap. X scholam censet porticum esse circa labrum. Perraltus locum poste-

Digitized by Google

riorem ita vertit: *sans comprendre le reposoir qui est autour du Bain et le Coridor. — il faut que ces reposoirs qui sont autour du Bain soient assez grands — Le Coridor qui est entre le nuu et la Balustrade.* Is igitur labrum quidem diversum fecit ab alveo, sed simul etiam scholam labri diversam significatione voluit esse ab alvei schola. Alveum recte is monuit minime esse eundem cum labro, quod putaverunt Philander et Barbarus, (quos tamen est secutus Rode) ita enim labrum fieri nimis parvum balnei publici, cui demtis duobus pedibus ad pulvinum et gradum inferiorem labri translatis, latitudo pedum quatuor relinquatur. Scilicet Perraltus labrum unum a Vitruvio positum putabat in balneo publico, cum is plura deinceps posita et scholis distincta nominaverit. Deinde Perraltus recte animadvertit verba *inter parietem et pluteum* diversam a labro partem balnei designare. Dubitabundus igitur alveum est interpretatus de porticu, ea praecipue ratione motus, quod in pictura operis antiqui caelati, quam Pyrrhus Ligorius cum Hieron. Mercuriali communicaverat, et quam Perraltus repetiit in Tabula XLVIII, ad latus utrumque brevius quadrati oblongi, quod labri locum tenet, apposita conspiciatur porticus; reliqua duo latera utrinque spatium habent magnum liberum. Miror viris doctis non venisse in mentem locum Sexti Empirici Hypot. Pyrrhon. I sect. 110. ubi *βαλανείου παραστὰς* commemoratur obiter, quam poterant *balnei porticum* interpretari. De scholis Philandri annotatio quae habet ex Plinio, pertinent ad *scholam in porticibus Octaviae* libri 35 s. 37 sed idem Plinius 36 s. 4 no. 4. *Octaviae scholas* simpliciter nominat. Addo locum Ciceronis de Orat. I, 22. de Sophistis Graecis, in primis Gorgia Leontino, qui in porticibus gymnasiorum et aliorum locorum publicorum docere solebant: *qui quum in schola assedissent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent, si quis quid quaereret.* Galiani alveum in Tabulae XV fig. 3 pinxit labrum cingentem, simulque pluteo in quatuor lateribus ornatum, scholam vero interpretatur spatium illud quod extra alveum reliquum usque ad parietem caldarii. Quae interpretatio est tam manifesto con-

Digitized by Google

traria Vitruvii verbis, ut refutatione non sit opus. Parietem is scilicet labri non caldarii vult esse; et labrum unum sufficere balneis publicis putavit. Rode cum labrum idem esse statuisset cum alveo, in versione totum locum ita perturbavit, ut vix aliquid supersit, quod Vitruvii esse dicere possis. Equidem labrum ab alveo quid differat Vitruvio satis demonstrasse mihi videor; quod si idem hic alveus est, cuius ab initio testudinem nominavit Vitruvius, apparet, partem inferiorem alvei testudinis instar structam, et cum hypocausi coniunctam, vaporem ignis recepisse, et receptum fortasse circa ipsa labra per canales continuasse.

Hypocausis in libris Vitruvii hucusque ab Editoribus mire fuit confusa et permutata cum hypocausto, cum utrumque vocabulum rem plane diversam significet. Hypocausis est locus iste, ubi ignis succenditur, proprie succensio: hypocaustum contra solum vel cella igne succenso vaporata et calefacta. Hypocausin et vasaria caldariis virilibus et muliebribus communia esse vult Vitruvius sect. 1. Ahena ibidem supra hypocausin tria componit; testudines alveolorum ex communi hypocausi calefacit. Sect. 2. solum cavum caldarii struit inclinatum ad hypocausin, uti pila immissa revertatur ad praefurnium. Ex praefurnio igitur ligna immittuntur et ignis succenditur, qui deinde per totam hypocausin, quae furni vicem gerit in longum protracti, solum cavum caldarii et testudines alveolorum vagatur, et loca superimposita vaporat et calefacit. Postremum hunc locum prava interpunctione sic pervertit Rode ut ederet: *solum sternatur inclinatum, ad hypocausim uti pila cum mittatur, non possit intro resistere, sed rursus redeat ad praefurnium.* Quae ita vertit: *belege man — einen abhängigen Ofenherd, der so beschaffen seyn muſs, daſs ein in den Ofen geworfener Ball nicht darauf liegen bleibe, sondern wieder nach dem Ofenloche zurück rolle.* Scilicet vir doctus in errore versatus est eo, quem tamen cum Interpretibus Vitruvii plerisque omnibus habet communem, ut crederet hypocausin eandem esse cum hypocausto, et utrumque vocabulum furnum significare nostro more structum, fere quadratum: cum contra hoc furni genus fuerit in

Digitized by Google

maiorem longitudinem protractum, ut canali similius esset. Formam hanc furni testantur Geoponica libri 2 cap. 3 sect. 9 ubi balneum privatae domus ut struatur docent. Sed apponam totum illum locum, qui cum Palladio magis convenit quam cum Vitruvio: *τὰ βαλανεῖα δεῖ ποιεῖν οὐ πρὸς βορρᾶν καὶ πρὸς ἄρκτον τὴν ἀπόβλεψιν ἔχοντα, ἀλλὰ πρὸς δύσιν χειμερινὴν ἢ πρὸς μεσημβρίαν· ἔστωσαν δὲ ταῦτα εὔροια* (alii *εὔρυα*, quidam *εὐρέα* legunt) *καὶ τὸν ἀέρα καθαρὸν εἰσδεχόμενα· βορβορώδους γὰρ τόπου καὶ δυσώδους μὴ πλησιάζοντος καθαρὸς ἀὴρ ἐπεισέρχεται.* id est: balnea facere oportet non ad boream et septentrionem spectantia, sed ad occasum hibernum aut ad meridiem. Sint autem haec ampla et purum aerem suscipientia: etenim sterquiliniis et coeno foetentibus locis non vicinis, purus aer ingreditur. Sequitur nunc de fornacibus vel hypocausi: *τούτων δὲ τὰ καμίνια ὀφείλουσιν ἐπίπεδα εἶναι καὶ ἔνδον βλέποντα, πεπλιμένα, κατωφερῆ, ἵνα τὰ βαλλόμενα ἐν αὐτοῖς ξύλα ἔνδον χωροῦντα μὴ ἔχῃ ἔξοδον, ἀλλ' ἡ φλὸξ ἐνδομυχοῦσα πολλὴν τὴν θερμασίαν ἐν τῷ σπεύει ποιῆται.* i. e. fornaces in his debent esse in solo positae, introspectantes, inclinatae, deorsum tendentes, ut coniecta in ipsas ligna introcedentia exitum non habeant, verum flamma intus delitescens multum calorem vasi (miliario) praebeat. Sed hae fornaces non solum minores erant, quippe quae uni miliario calefaciendo serviebant, cum in balneis publicis ahena utrinque caldaria et tepidaria virilia et muliebria hypocausi imposita essent; igitur fornaces etiam debebant esse longiores; sed privatae istae fornaces etiam in eo differebant ab hypocausi publicarum balnearum, quod solum habebant introrsum inclinatum, quo fortius flammae vis introrsus propelleretur versus fundum miliarii: contra publicarum balnearum hypocausis solum extrorsum inclinatum habebat, introrsum vero scandens, quo facilius flamma non solum ad ahena plura deinceps, alterum altero altius, posita pertingeret, sed solum etiam cavum caldariae cellae totum pervagaretur. In capite de palaestra sequenti Vitruvius nec hypocausin nec praefurnium, sed uno in loco sect. 2 *propnigeum* nominat; quod quid sit, ad istum locum videbimus.

Digitized by Google

Superest ut de loco sect. 5 videamus, ubi est: *Laconicum sudationesque sunt coniungendae tepidario.* quem plerique Interpretes ita verterunt, quasi una eademque res utroque vocabulo significaretur. Unus Galiani opinionem proposuit novam de Laconico, quod minime fuisse putat cellam aliquam grandem, sed potius partem sudationis, quanquam pro sudatione ipsa Laconicum a scriptoribus quibusdam nominatum fuisse non infitietur. Accipe ipsa viri docti verba: *che in somma non sia altro il laconico che una piccola cupoletta, che copriva un buco, che era nel pavimento della stufa: ciò perche passando in essa la viva fiamma dallo ipocausto, osia fornace, riscaldasse a dovere una stanza, che dovea servire di stufa: quandochè altrimenti non avrebbe questa stanza avuto maggior calore delle altre, che eran tiepide.* Huius opinionis argumenta affert praeter picturam antiquam in thermis Titi repertam et a Rodio repetitam ipsa Vitruvii verba ex Capitis sequentis sect. 2. *proxime autem introrsus e regione frigidarii collocetur concamerata sudatio, longitudine duplex quam latitudine, quae habeat in versuris ex una parte Laconicum ad eundem modum, uti supra scriptum est, compositum, ex adverso Laconici caldam lavationem.* Ex hoc loco manifestum esse ait Laconicum fuisse partem sudationis, non ipsam sudationem. Laconici autem utriusque fuisse eandem formam satis arguere id, quod Vitruvius remisit lectorem in altero loco ad descriptionem priore in loco positam. Ipsum hunc nostrum locum putat de solo Laconico loqui, idque sequi ait ex verbis illis, *Laconicum ad eundem modum, uti supra scriptum est, compositum.* Itaque *Laconicum sudationesque* esse dictum, quasi esset *Laconicum in sudationibus.*

Mihi quidem ex altero Vitruvii loco manifestum esse videtur Laconicum sudationis partem fuisse, non cellam aliquam diversam a sudatione, eandemque formam et dispositionem Laconici fuisse in balneis publicis, quae describuntur hic a Vitruvio; fidem facit maxime ipse Vitruvius, qui lectores altero in loco ad hunc ablegat, ut formam cognoscant. In verbis haec maxima inest difficul-

Digitized by Google

tas, quod *sudationes* plurali numero nominantur, altero in loco *sudatio* singulari ponitur. Quodsi dicas in publicis balneis sudationem geminam, virilem scilicet et muliebrem fuisse, uti fuerunt caldaria muliebria et virilia iuxta se posita, tum vero dubitari potest, quid ita Vitruvius *Laconicum* singulari numero vocaverit? nisi statuas Laconicum unum duabus sudationibus serviisse, quod esse videtur difficile ad credendum; nec facile aliquis modum poterit comminisci, quo flamma vaporque Laconici potuerit pertinere ad duas sudationes, ita tamen, ut clypeo superposito vel demittendo vel reducendo possent flammam vaporemque temperare, qui versarentur in sudationibus. Quare superest sola Vitruvii negligentia et incogitantia accusanda in hoc loco, qui Laconicum sudationesque dixerit, cum deberet *Cum Laconico sudatio est coniungenda tepidario.* Praeterea suspicor verba *coniungendae sunt tepidario* ita esse explicanda, ut partem tepidarii Vitruvius Laconicum cum sudatione esse voluerit, uti in palaestra concamerata sudatio in versuris habet ex una quidem parte Laconicum, ex altera vero caldam lavationem. Contra Galiani, quem sequitur Rode, vertit: *Il Laconico e la stufa hanno a stare vicino al tepidario.* Perraltus: *doit être jointe avec l'Etuve qui est tiède.* Postea quam haec in chartam conieceram, vidi locum Vitruvii a Politiano Miscellaneorum c. 38 atque inde a Cornario ad Galeni l. c. ita laudari: *Laconicon sudationes quae sunt coniungendae tepidario, aeque quam latae fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curvaturam.* Quae scriptura videtur ex libro scripto ducta a Politiano, et si plurium Codicum auctoritate confirmetur, fortasse interpretes in vestigia verae lectionis perducet.

Formam Laconici peculiarem arguunt verba Vitruvii: *ut aequaliter a medio* (clypeo) *flammae vaporisque vis per curvaturae rotundationes pervagetur.* Ubi *flammae* mentio fit, quae medium clypei impositi attingit, et a medio per totam clypei cavitatem rotundam vagatur cum vapore. Hinc apparet intra Laconicum ipsum succendi ignem, flammamque ad hemisphaerii cur-

Digitized by Google

vaturam exspatiari, eique impositum clypeum attingere, quo demisso ita, ut plane obtegeret lumen hemisphaerii medium, calor a flamma sursum exspatiante fusus et ad sedentes homines circa Laconicum perveniens temperabatur: sublato vero maior ab exsurgente flamma vapor per lumen apertum diffundebatur et ad sudantes intus pertingebat. Confirmare interpretationem meam videtur narratio Suetonii de Augusto c. 84. *Ungebatur enim saepius, et sudabat ad flammam, deinde perfundebatur egelida aqua vel sole multo calefacta.* Laconicorum tum usus exemplo etiam Augusti increbuisse videtur; itaque Agrippa A. U. C. 729 Laconicum suo sumtu Romae magnificum extruxit; de quo postea ex Dione dicam.

Succedat nunc alter Vitruvii locus ex libri VII capite 10 de atramento ad pictorum usus praeparando, quo miror Galianum ad opinionem suam confirmandam non fuisse usum. *Aedificatur*, inquit, *locus, uti laconicum, et expolitur marmore subtiliter et levigatur. Ante id fornacula habens in laconicum nares, et eius praefurnium magna diligentia comprimitur, ne flamma extra dissipetur. In fornace resina collocatur: hanc autem ignis potestas urendo cogit emittere per nares intra laconicum fuliginem. Quae circa parietem et camerae curvaturam adhaerescit, inde collecta partim componitur* et cet. ubi Compendium Architecturae habet: *Lacusculus curva camera struatur.* Plinius 35 cap. 6 *fit e fuligine pluribus modis, resina vel pice exustis: propter quod officinas etiam aedificavere fumum non emittentes.* Vides Laconicum habuisse similitudinem eius officinae, quae concamerata fuliginem excipiebat adhaerentem parietibus et curvaturae; atque etiam hinc constat, flammam ex fornace ad parietes et curvaturam camerae Laconici fuisse exspatiatam.

Addo nunc alia scriptorum loca de Laconicis. Igitur Celsus II, 17 *Sudor*, inquit, *duobus modis elicitur, aut sicco calore aut balneo. Siccus calor est et arenae calidae et laconici et clibani et quarundam naturalium sudationum, ubi a terra*

Digitized by Google

profusus calidus vapor aedificio includitur. His sudationum siccarum generibus addit Cornarius ad Galenum de Composit. Medicam. secundum loca p. 515 dolia vaporatoria, in quibus aeger desudabat capite extra dolium extento, ex Aetii medici Serm. 2 cap. 1. deinde τοίχους διακύρους, in quibus πυριᾶσθαι aegros iubet Paulus Aegineta 3 c. 43. Nicander Alexiph. versu 599 ἠὲ πίθου φλογιῇ θάλψας κύτος αἰὲν ἀναλθῆ ἀνέρα θερμάσαιο· χέαι δ' ἀπὸ νήχυτον ἰδρῶ. ubi in annotatione posui loca Aetii de sudatione in clibano et furno. Idem Aetius Serm. 10 cap. 18 in cura ictericorum πυριατήρια ξηρὰ commendat, quod genus etiam θόλον ξηρὸν vocatum fuisse ait Cornarius l. c. p. 514. Sed locum graeci scriptoris non apposuit, nec ego memini θόλον ξηρὸν me reperire nominatum ab aliquo scriptore. Laconicis excoquere cruditatem est apud Columellam I Praefat. 16. Laconicum nuspiam nominavit sed lavationes non calidas sed ardentes memorat Seneca Epist. 86 *salubrem temperaturam, non hanc, quae nuper inventa est, similis incendio, adeo quidem, ut convictum in aliquo scelere servum vivum lavari oporteat. Nihil mihi videtur iam interesse ardeat balneum an caleat.* Idem Epist. 51 *quid mihi cum istis calentibus stagnis, quid cum sudatoriis, in quae siccus vapor corpora exhausturus includitur?* quae nescio an vulgares sudationes an Laconicum significent. Denique Epist. 108 *decoquere corpus atque exinanire sudoribus* dixit, quae fortasse ad Laconicum pertinent, de quo est locus Martialis 6 Epigr. 42 de thermis Etrusci: *Ritu si placeant tibi Laconum, contentus potes arido vapore, cruda virgine Martiave mergi.* Dio Cassius 53 cap. 27 memorat πυριατήριον Laconicum ab Agrippa exstructum, addens: Λακωνικὸν γὰρ τὸ γυμνάσιον, ἐπειδήπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι γυμνοῦσθάι τε ἐν τῷ τότε χρόνῳ καὶ λίκα ἀσκεῖν μᾶλλον ἐδόκουν, ἐκεκάλεσε. Strabo 3 p. 413 accolas amnis Durii ait Λακωνικῶς διάγειν ἀλειπτηρίοις χρωμένους δὶς καὶ πυρίαις ἐκ λίθων διακύρων καὶ ψυχρολουτροῦντας καὶ μονοτροφοῦντας καθαρίως καὶ λιτῶς. Veterum Laconum ψυχρολουσία nota, non item πυριατήρια.

Digitized by Google

Denique historiam balnearum publicarum et privatarum egregie enarravit Seneca Epist. 86 dimidia; idemque Epist. 90. *Quaedam*, inquit, *nostra demum aetate prodisse memoria scimus, ut suspensuras balnearum et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foveret aequaliter.* Valerius Maximus IX, 1. *C. Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit; quae impensa levibus initiis coepta ad suspensa calidae aquae tantum non aequora penetravit.* De eodem Cicero in Fragmento Hortensii apud Nonium p. 194. *Primus balneola suspendit, inclusit pisces.* Post Vitruvii demum aetatem tubuli parietibus balnearum impressi fuisse videntur, de quibus explicandus Ausonii locus in Mosella versu 337 seqq. *Quid? quae fluminea substructa crepidine fumant balnea, ferventi cum Mulciber haustus operto volvit anhelatas tectoria per cava flammas, inclusum glomerans aestu exspirante vaporem.* Huc pertinere videtur etiam locus Plinii 35 sect. 46 de operibus figlinarum: *vel assiduitate satiant figlinarum opera, doliis ad vina excogitatis, ad aquas* (ducendas) *tubulis, ad balineas mammatis, ad tecta coctilibus laterculis frontatisque.* Ita Harduini Editio locum prodidit, qui in antiquioribus sic scriptus extat: *vel quae assiduitate satiant figlinarum opera imbricibus, tubulis tegulisque ad balineas hamatis, vel ad tecta coctilibus laterculis frontatisque, aut quae rota fiunt, etiam fictilibus doliis ad vina excogitatis et ad aquas.* Dalecampius in Edd. veteribus esse ait: *vel assid. s. figl. op. tubulis ad balneas, imbricibus tegulisque hamatis ad tecta, coctilibus laterculis frontatisque iis quae rota fiunt, etiam* et cet. In Manuscripto vero legi: *vel assid. sat. figl. op. et fictilibus doliis ad vina excogitatis: ad aquas, tributis, fundamentisque.* Ex Codice egregio Vossiano I. Fr. Gronovius hanc scripturam annotavit: *imbricibus, doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis, ad tecta coctilibus laterculis, fundamentis quae aut quae Numa rex septimum.* Unde recte *imbricibus* ante *doliis*, etiam auctore Codice Regio 2. 3 et Editione principe inseruit

Digitized by Google

Brotier. Sed praeterea verba *aut quae rota fiunt* minime negligenda mihi videntur, cum sint ea figlinarum opera maxime mirabilia, et postremo loco collocanda. Ne vero lector miretur me tam diligentem operam Plinii loco restituendo dedisse, apponam Vitruvii locum libri 7 cap. 4 sect. 2 ad cuius interpretationem multum proficiemus comparato loco Plinii. Est ille de tectoriis in locis humidis faciendis: *Sin autem locus non patietur structuram fieri, canales fiant, et nares exeant ad locum patentem. Deinde tegulae bipedales ex una parte supra marginem canalis imponantur, ex altera parte bessalibus laterculis pilae substruantur, in quibus duarum tegularum anguli sedere possint; et ita a pariete distent, ut ne plus pateant palmum; deinde insuper erectae hamatae tegulae ab imo ad summum parietem figantur, quarum interiores partes curiosius picentur, ut ab se respuant liquorem; item in summo supra cameram habeant spiramenta.* De tubulis seu tegulis cavis loqui Vitruvium manifestum est; sed de vocabulo *hamatae* magna fuit dubitatio virorum doctorum. Philander inepte marginatas est interpretatus: quid enim hami cum marginibus habent commune aut simile? Barbarus *tegole uncinate* vertit, et in annotatione addit, *quae se tanquam hamis contineant.* Baldus nihil novi attulit. Salmasius ad Vopiscum p. 439 *animatae* scribi voluit. *Testor*, inquit, *me in antiquis duobus Palatinae Bibliothecae codicibus omnibus literis scriptum reperisse* animatae. Eas igitur interpretatur in modum canaliculi factas, et in imo summoque spiramenta habentes. Comparat ex Glossis Philoxeni *χύτρα τετρημένη, olla animatoria.* Perraltus in versione tegulas marginatas Philandri reddidit, in annotatione tamen non improbat Salmasii rationem. Galiani et Rode item Philandrum sequuntur. Scriptura aperte vitiosa est vulgaris. Meliorem subministrant libri scripti. Guelf. enim *ammatae*, Wrat. *anmate* dat: quod si in *mammatae* mutaveris auctoritate libri Vossiani Plinii, habebis ipsas Plinii *tegulas mammatas*, quas ille in usu balinearum memoravit. Ita uterque locus et Plinii et Vitruvii mutuatur sibi invicem lucem.

Digitized by Google

Mammarum similitudinem potuerunt habere a forma in summo contracta, potuerunt etiam ab eo dici, quod aquam inclusam mammarum instar funderent. Cum *hamatae tegulae* commodam interpretationem non haberent, non dubitavi Vitruvio *mammatae* ex libris scriptis restituere. *Animatarum* enim exemplum alibi non exstat, et *anima* pro spiraculo sequioris aevi vocabulum esse videtur.

Varro de R. R. 3, 14, 2. *si eduxeris aquam fistula, et in eam mamillas imposueris, quae eructent aquam.* ubi ante Victorium erant *papillae.* Mammas aereas graeco vocabulo mastos vocatas fistularum in lege Pandectarum interpretatur Budaeus Annotat. prior. p. 594.

AD CAPUT XI.

Titulum Capitis Sulp. fecit *De palaestrarum aedificatione et sixtis.* Iocundus *et xystis*, quod servavit Philander et Laetus, contra omisit Galiani et Rode.

tametsi — Guelf. Cotton. *iametsi.* Deinde *traditae* Fran. Voss. Wrat. probante Bondam p. 82 et, ut ille refert, Vossio; quod equidem facere non possum, nisi simul *Italica consuetudine* corrigatur.

explicate — *tamen explicare* Guelf. Wratisl. Fran. Cotton. Deinde *aput* Wrat.

In palaestris — Hinc Capitulum XXII exorditur Wratisl. Ceterum haec tota sectio ab his inde verbis usque ad sectionis 2 initium in libris editis et scriptis omnibus legitur inserta post verba sectionis 2 illa: *disputare possint.* Quem doctrinae et verborum ordinem perversum cum primus Hier. Mercurialis animadvertisset de Arte Gymnastica I eo modo correxit, quem ab eo acceptum secutus probavit et vertendo reddidit Perraltus, in ipsa oratione Galianum secutus repraesentavit Rode.

ambulationis — Wrat. Voss. *ambulationes.* Deinde *diaulan* Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. *dyaulan* Wrat.

quarta, quae — Ita Fran. Voss. Guelf. Wratisl. *quartaque*

Digitized by Google

quae Sulpic. et reliquae Edd. Deinde *ventosae sint* Sulpic. Vatic. Franeck. Guelf. Wratisl.

2.

Constituantur — Iocundus primus *constituuntur* edidit contra librorum scriptorum et Sulpic. fidem. Deinde margo Laetianae varietatem *intus porticibus* annotavit.

rhetores reliquique — Sulp. *rhetoresque ac reliqui.* Wratisl. *retores.* Postea *delectentur* Sulp. Athenis in gymnasiis Academia et Lyceo philosophi et quicunque doctrinae genus aliquod ostendere vellent, congregabantur. Cicero de Orat. 2, 5. *nam et seculis multis ante Gymnásia inventa sunt, quam in his philosophi garrire coeperant; et hoc ipso tempore, cum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire quam philosophum malunt: qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa reliquunt.* Hinc Augustinus libro 3 contra Academicos: *Persuadebis nimirum, tanquam in Cumano Gymnasio atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, imo etiam nec errasse quidem.* Cumae et Neapolis ut civitates Graecae habuerunt gymnasia, ut recte monuit, qui Augustini locum annotavit Aulisus.

Ephebeum — Sulp. *Ephoebeum* cum Edd. antiquis et Iocundi; mutavit cum Laeto Galiani et Rode. In Pausaniae Laconicis c. 14, 9 et 20, 1. *ἐφήβαιον* est locus sub divo, fossa cinctus, ubi ephebi exercentur; sed ibi Codices scripti *Φοιβαῖον* dant, quod praefert Siebelis in Comment. Societ. Philol. Lipsiensis Vol. IV p. 13 comparans Herodoti 6, 61. ubi est de eodem loco: *ὑπερθε τοῦ Φοιβηΐου ἱροῦ*, sed vocabulum *ἱροῦ* spurium censeo, et *ἐφηβήϊον* scribendum. Pausanias 3, 20, 1 ait: *Θεράπνης δ' οὐ πόρρω Φοιβαῖον καλούμενόν ἐστιν.* ubi si templum intelligi voluisset, brevius et solennius erat *Φοιβαῖον ἱερὸν* dicere. Livius 34 cap. 38 *Phoebeum* locum apertum et sine muris dicit, quod templo non convenit. Idem Pausanias 7, 27, 2 de gymnasio Pellenensium:

Digitized by Google

γυμνάσιον ἀρχαῖον ἐς ἐφήβων μάλιστα τελεῖται (ἀνεῖται?) μελέτην, οὐδὲ ἐς τὴν πολιτείαν ἐγγραφῆναι πρότερον παθέστηκεν οὐδενὶ, πρὶν ἂν ἐφηβεύσωσιν. In Gymnasiis Graecorum epheborum palaestrae secretae erant a puerorum palaestris; has vero ingredi vetitum erat et capital nisi cognatis; in illis crebro se iactabant vanae gloriae studiosi homines. Cf. Petiti Leges Atticas p. 385. In Strabone 5 p. 196 Sieb. inter morum graecorum argumenta, quae Neapoli supererant, referuntur γυμνάσιά τε καὶ ἐφηβικὰ φρατρία, ubi Codex Mediceus ἐφηβειακὰ dat; unde ἐφηβεῖα καὶ erat efficiendum, non ἐφηβεία cum Tyrwhitto. In gymnasio Eliaco etiam locus ephebis exercendis separatim erat attributus, ut infra videbimus. De Ephebeo longiuscula disputatio est Ignarrae de Palaestra Neapolitana p. 102 ubi male interpretatur locum Maccabaeorum II, 4, 12 ἀσμένως γὰρ ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀπρόπολιν γυμνάσιον παθίδρυσε, καὶ τοὺς πρατίστους τῶν ἐφήβων ὑπὸ πέτασον ἦγεν. id est ad exercitationes cum petaso vocavit, recte monente V. D. in Bibliotheca Critica Amstelod. Vol. II P. I p. 82. Pertinet huc annotatio Scholiorum ad Euripidis Hippolyti vers. 1096 quae gymnasia ἡβητήρια vocata fuisse monent; atque ita Dionis locum 61 c. 17 interpretatur Reimarus.

est exedra — Voss. omisso *est* dat *exaedra*. In sequentibus *quae* ante *tertia* omittunt Sulp. Fran. Guelf. Wrat. *parte* omittit sola Sulpic.

coriceum — Ita Sulp. et Iocundus. *corriceum* Guelf. *coryceum* a secunda manu Cotton. *corticeum* Edd. quarundam Turnebus Advers. X, 10 in κωρυκεῖον, *coryceum* mutandum censuit, comparans κωρυκομαχίαν ex Hippocratis libro 2 de Diaeta: κωρυκομαχίη καὶ χειρονομίη τὰ παρακλήσια διακρήσσεται τῇ ἀκροχειρίξει. Ciseranus in libris *corticen*, in pluribus *coriceum* reperit scriptum. Pilae et κωρύκου exercitationem commemorat Galenus libro 2 de Sanitate tuenda; γυμνάσιον διὰ κωρύκου Paulus Aegineta I c. 17 in quo exercitio θύλακον nominat Artemidorus. Verba Antylli graeca, quibus κώρυκος ex tecto suspensus, qui ab athletis impellebatur, describitur, ex Codice Vaticano posuit Mercurialis de

Digitized by Google

Gymnast. p. 86. qui coriceum Vitruvii locum apodyterii tenuisse censet p. 29. reprobata illorum sententia, qui *coryceum*, a κωρύπω, scribendum putarunt, aut *couriceum*, tonstrinam interpretati, aut *coriceum*, a κόρη, tanquam in eo puellae et virgines exercerentur. Ipse non dixit, unde vocabulum *coriceum* pro apodyterio vocatum censeret. Caelius Aurelianus Chronic. 5 c. 11. *tum volutatione in palaestra varia, quam Graeci celadiam atque choricomachian vocaverunt.* ubi quidam κωλυδίαν et κωρυκομαχίαν corrigunt; alterum quidem bene, sed pro altero κύλισιν aut κυλίνδησιν est scribendum. Superest tamen ea dubitatio, quomodo Caelius κωρυκομαχίαν volutationis genere complecti potuerit.

Vitruvii coryceum idem cum Sphaeristerio esse censuit Dom. Aulisus, comparans locum Plinii 5 Epist. 6. *Sphaeristerium, quod plura genera exercitationis pluresque circulos capit.* Ceterum Coryceum ipsum non ad occidentem sed ad orientem versus Gymnasii frontem collocandum censet, quandoquidem Vitruvius Laconicum et caldam lavationem ad sinistram Ephebei statuerit, quae quidem membra nisi ad partem occiduam palaestrae recte non collocari docere conatus est. Denique quod putabat Mercurialis apodyterii mentionem desiderari, respondet Aulisus, in Gymnasiis nullas privatim ad hunc usum cellas fuisse aedificatas; nec athletas omnes commode uno in loco potuisse denudari ob frigidae lavationis et thermarum distantiam. Postea tamen opinatur duo fuisse in palaestra Vitruvii apodyteria, unum adiunctum conisterio, ubi se exuerent, qui frigida essent loturi, alterum in sudatione concamerata, cum qua coniunctum esset frigidarium.

Elaeothesium non solum olei et ceromatis conditorium fuisse, sed ἀλειπτηρίου etiam usum praebuisse censet. Denique cum ungi et pulvere conspergi res sint coniunctae, in Vitruvii vero descriptione loco distent, verba scriptoris luxata et suo loco mota censet. Quare *coryceum* migrare in sinistrum latus Ephebei, Elaeothesium in dextrum, ut Conisterio haereat, iubet.

Digitized by Google

conisterium — Sulpic. *conuisterium*, et statim *conuisterio*. Videtur esse quam Plutarchus cum Polluce κονίστραν dicunt. Sunt qui apothecam pulveris luctatorii interpretentur.

λοῦτρον — Sulp. Guelf. *litron*. Cotton. *lytron*. Wrat. *licron*. Balneum palaestrae adiunctum semper fuisse videtur. Ciseranus in versione posuit λοετρον, in annotatione memoravit ex libris λαυρον, λοετρον, πσιπρον, λαυτρον, λυτρον. Me maxime advertit varietas πσιπρον, in quo ψυχρὸν latet.

Ephebei — Sulp. *ephoebei cleothesium* — *cleothesium*. Wrat. *elaeoctasium* — *alaeoctesium*. Suspicor Vitruvium elaeothesii nomine intelligi voluisse cellam eam, quae in balneo ἀλειπτήριον dicebatur, de quo Pollux 7, 166. Video opinionem eandem fuisse Iungermanno ad Pollucem, qui posuit locum Theophrasti de Sudoribus p. 459 καὶ ἐν τοῖς ἀλειπτηρίοις ἐὰν μὲν εὐθὺς ποιήσῃ τις πολὺ πῦρ, ἧττον ἱδρώσειεν· ἐὰν δ' ὕστερον ἐπεισενέγκῃ, μᾶλλον. In eadem re Aristoteles Problem. 2, 10 et 2, 29 ubi miror Theophrasti locum a Septalio non comparatum fuisse. Aut igitur ἀλειπτήρια fuerunt eadem, quae alii πυριατήρια vocarunt, aut genus utrumque cellae usum eundem habuit. Quae quidem posterior opinio mihi magis probatur. Vossius ad h. l. *elaeothecium* scribendum censuit. In pictura antiqua in thermis Titi reperta iuxta frigidarium cella conspicitur cum titulo Elcothes. pluribus ordinibus lecythorum referta. Sed titulos illos singulorum membrorum ab antiquo picturae auctore adscriptos fuisse non puto. *Frigidarium* Galiani h. l. pro *tepidario* positum putat, ubi primum ex caldario redeuntes, paulatim refrigerarentur homines. Perraltus cum Mercuriali apodyterii locum obtinere putavit.

iter in propnigeum — Wratisl. *inter* — *propnigium*. Sulpic. *propigneum*. Vatic. 1 Fran. *prognigeum*. Ciseranus in versione *propigneo* posuit, in annotatione ex libris commemoravit: *propingeo cioe antefurnio*, προκνιγαῖον. Vocabulum posui idem ex Plinio ad Caput antecedens. Veteres graeci ἐσχάραν, focum, in balneo dixisse videntur, de qua Pollux 7, 166. κάμινον dixit Aristo-

Digitized by Google

phanes Pollucis l. c. vaporiferas fornaces Statius Silv. I, 3. Praefurnium cum Mercuriali interpretatur Perraltus; contra in Plinio *progymneon* scribi et apodyterii locum obtinere voluit Marquez.

proxime — Sulpic. Guelf. Wrat. *proxima.* Voss. *proximam.* Deinde *quam latitudo* Fran. Guelf. Wrat. Sequens *quae* omittit Sulp. Denique *habeant* Wrat.

uti supra — Vatic. Guelf. Wratisl. *uti quam supra.* Cotton. *utiq supra.* Postea *in palaestri* Voss. Denique *perfecta et distributa* Fran. dedit; *perfecta distributa* Guelf. Wrat. Vulgo erat *perfecte distributa.*

3.

peristylio — Cotton. *peristylo*, Wratisl. *epistilia.* Exitum non accurate designavit Vitruvius, hinc tanta diversitas in picturis virorum doctorum; sed videtur in parte, quae septentrionem spectabat, fuisse.

alterae simplices ita factae — Suadente Perralto vulgatum *altera simplex ita facta* mutavit Rodiana, eam maxime ob causam, quod sequitur *habeant.* Sed brevior via erat *habeat* scribendi, nisi reliqua Vitruvii oratio mutationem poscere videretur. Tres omnino porticus ille nominat extra peristylium ita dispositas, ut una ex peristylio exeuntibus occurreret; (exitum tamen non accurate designavit Vitruvius) duae stadiatae essent dextra, altera sinistra. Sequitur: *ex quibus una, quae spectaverit ad septentrionem, perficiatur duplex.* in quo aberrarunt plures viri docti, cum verba *ex quibus* referrent ad proximas duas porticus, dextram ac sinistram, cum potius sint referenda ad *tres* porticus, quarum primum situm designare voluit Vitruvius; deinceps formam earum perscribit. Igitur duplex porticus et ad septentrionem spectans videtur fuisse in ea parte, quae exitum habebat ex peristylio; nisi plures exitus fuisse statuas. At ita inutilis et vana esset designatio lateris dextri ac sinistri, si iisdem etiam in partibus exitus fuissent e peristylio relicti. Igitur relinquitur, ut scribamus *alterae simplices ita factae*, ut duae reliquae, dextra ac sinistra,

Digitized by Google

porticus nunc absolvantur. Hae quidem solae stadiatae fuisse dicuntur. De significatione vocabuli postea dicetur. Habebant utrinque margines vel semitas altiores, pedum denum latitudine, ubi consistebant et ambulabant, qui spectabant athletas in medio loco depresso et excavato se exercentes. Medius hic locus depressus et excavatus planitiem habebat pedes XII latam. Semitarum vel marginum situm ita designat Vitruvius: *uti in partibus quae fuerint circa parietes et quae erunt ad columnas margines habeant uti semitas.* Parietes intelligendi sunt, quibus tectum incumbit ad summas columnas pertingens, ut porticus tecta efficiatur; hinc sect. 4 *tecta stadia* audiunt. Sed statim Vitruvius subiicit verba, quae difficultatem magnam habent et vulgatam lectionem *altera simplex ita facta* defendere videntur: *Haec autem porticus ἔυστὸς apud Graecos vocitatur, quod athletae per hiberna tempora in tectis stadiis exercentur.* Sed Perraltus etiam hic a Vitruvio scriptum aut scribendum fuisse censet: *Hae autem porticus ἔυστοὶ apud Graecos vocitantur.* Fortasse tamen alii breviorem viam hanc optabunt, ut *haec porticus* dictum generatim interpretentur pro *eiusmodi porticus.* Iterum tamen Vitruvius: *Proxime autem xystum et duplicem porticum designentur hypaethrae ambulationes:* denique *post xystum autem stadium.* ubi ex Perralti ratione *xysti* plurali numero dicendi fuissent. Perralti opinionem adiuvare etiam hoc forte videbitur, quod xysta, id est *παραδρομίδας* vel hypaethras ambulationes, *inter duas porticus* fieri vult Vitruvius, ubi duae porticus tectae vel xysti intelligi debere videntur. At paulo antea erat: *proxime xystum et duplicem porticum designentur hypaethrae ambulationes — in quas per hiemem ex xysto athletae prodeuntes exercentur.* In quibus locis Perraltus *xystum* pro *xystos* dictum interpretatur. Galiani unicum xystum in pictura designavit et nominavit, sed hypaethras ambulationes intra quatuor porticus conclusit, ita ut quartae porticus locum obtineat stadium, ultimo loco a Vitruvio nominatum. In hac difficultate dum omnia circumspicio, quas explicare dubitationem nostram aliquo modo possint, occurrunt

Digitized by Google

iterum verba: *duae dextra atque sinistra stadiatae* porticus, quae stadiorum tectorum locum mihi obtinere videntur, quae graece xystos (ξυστοὺς δρόμους) vocari ipse Vitruvius annotavit. Itaque etiam hinc argui posse videtur, xystos duos voluisse Vitruvium dicere, et *alterae simplices ita factae* scribendum fuisse. Vocabulum *stadiatae* Philander ita interpretatur: *Porticus stadiatae dictae sunt, quod in iis ceu tectis stadiis per hiemem coelo non sereno athletae exercerentur aut spectantibus hominum copiis certarent: non a passuum numero, sicuti milliariae a Suetonio in Nerone, quas Vopiscus in Aureliano milliarenses vocat.* Baldus nihil attulit novi. Philandrum sequuntur Perrault, Galiani et Rode. Quod vero ultimo loco nominavit Vitruvius stadium, omnes praeeunte Mercuriali de Re Gymnast. I cap. 10 interpretantur *locum, ubi populus athletas certantes spectabat, hemisphaerium quoddam multis gradibus constructum, unde commode poterant spectatores certatores intueri.* Mihi res nondum ad liquidum perducta videtur in loco isto, ubi *porticus stadiatae* dicuntur. Possunt enim *stadiatae* etiam dici, quae post se stadium habent tale, quale figurari voluit Vitruvius in extremo capite. Contra erunt fortasse qui margines et semitas xystorum comparent cum stadiis Graecorum, de quibus Pausanias 2, 27, 6 καὶ στάδιον, οἷον Ἕλλησι τὰ πολλὰ, γῆς χῶμα. Idem 6, 20, 5 τὸ μὲν δὴ στάδιον γῆς χῶμά ἐστι· κεκοίηται δ' ἐν αὐτῷ καθέδρα τοῖς τιθεῖσι τὸν ἀγῶνα. Denique 9, 23, 1 καὶ στάδιον κατὰ ταὐτὰ τῷ ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ τῷ Ἐπιδαυρίων, γῆς χῶμα. Stadium igitur graecum fere ubique aggere vel aggesta terra constructum fuit. Inscriptio Wheleriana repetita a Muratorio p. 137 καὶ τὴν στοὰν τὴν πρὸς τῷ σταδίῳ σὺν τοῖς κεκαμαρωμένοις οἴκοις καὶ προσκοσμήμασιν ἀγορανομίας ἀνέθηκεν, nescio quis Corinthi dedicaverat.

et quae erunt — Voss. Guelf. Wratisl. *erit.* Deinde *medium quam* Wrat. Sequens *bini* omittunt Sulp. Guelf. Wrat. Vatic. Voss. Postea *sunt in decessu* Vatic. 2.

a marginibus sesquipedem ad — Ita hunc locum exhibent Sulp. Vatic. Voss. Fran. Guelf. Wrat. nisi quod *resquipedem* Guelf.

Digitized by Google

sesquipede Fran. Contra vulgo ex correctione Iocundi legitur: *sesquipedali a marginibus ad planitiem.* Praepositionem tamen, quam omittunt libri laudati, addendam censui.

non minus pedum duodecim — Vulgatum *ne minus lata pedum* debetur Iocundo. Sulp. Vatic. Fran. Voss. Guelf. Wrat. *non minus* omisso *lata* dant; deinde *pedes XII* Sulp. Vatic. Voss. Wratisl.

mediumque excavatum — Scamma intelligi recte monuit Dominicus Aulisus, de quo vide dicenda in fine annotationum ad hoc Caput.

ab unctis — Salmasii emendationem vulgato *ab cunctis* (Sulp. *a cunctis* habet) recte praetulerunt Galiani et Rode.

4.

Ξυστὸς — Sulp. *xitos.* Wrat. *xistos aput — achelatae.* Deinde *tectis studiis* Voss.

Proxime autem xystum — Haec vulgo alieno loco posita et reiecta legebantur post illa verba: *Faciunda autem xysta — signino stationes.* Sed recte Philander locum luxatum esse animadvertit; *neque enim*, inquit, *xystorum id est subdialium ambulationum ante rationem redderet quam memoraret.* Cuius tamen admonitioni nemo paruit.

hypaethrae — Guelf. *hypetrocae.* Wrat. *hypetroee.* Franeck. *hypetrohae.* Cotton. *hypetrohe.* Deinde *peradromidas* Sulpic. *paradromidas* Vatic. Fran. Cotton. *parthromidas* Guelf. *pathomidas* Wrat. Pessime *περιδρομίδας* cum Iocundo Editiones omnes dederunt. Vide dicta ad VI cap. 10. ubi est: *Ξυστὸς enim graeca appellatione est porticus ampla latitudine, in qua athletae per hiberna tempora exercentur: nostri autem hypaethras ambulationes xysta appellant, quas Graeci παραδρομίδας dicunt.* quem locum similiter vitiarunt Editiones recentiores scribendo *xystos — περιδρομίδας.* De vitio utriusque loci iam olim admonuit Salmasius ad Tertullianum de Pallio p. 272 cuius annotationem si perlegisset, non ausus esset statim *xystos* pro *xysta* scribere Rode.

Digitized by Google

ex xysto — Wrat. *ex isto — adletae.* Deinde a verbis *Faciunda autem xysta* Wrat. exorditur Capitulum XXIII.

Faciunda — Wrat. *facienda autem ex asta.* Cotton. *fixta* dat. Deinde *platanona* Sulp. *plata non esset in his* Franeck. Wratisl.

Post xystum — Fran. *Post sixtum.* Deinde *adletas* Wrat. De xysto nunc primum videamus, de quo iam olim disputavit Salmasius loco antea laudato. Graece ξυστὸς δρόμος proprie dicitur, et absque δρόμος a Xenophonte in Oeconomico c. 11 sect. 15, ἐν ᾧ αἱ ἀσκήσεις, in quo athletae exercebantur, teste Polluce 3, 148 et 9, 43. Hesychius: ξυστὸς, ἀνειμένος ἀθληταῖς τόπος. Idem in ξυστόν· — τόπος ἔνθα οἱ ἀθληταὶ γυμνάζονται. Hinc ξυσταρχέω, cuius exemplum posuit Suidas cum Photio in Lexico MSto, ξυσταρχεῖς interpretatus τοῦ γυμνασίου ἄρχεις. Et sic Hesychius γυμνασιάρχης explicat per ἄρχων τοῦ ξυστοῦ. Xystarchen nominat Ammianus Marcellinus initio libri XXI *cum inter exordia principatus adsumpti vili corona circumdatus erat, xystarchae similis purpurato.* Unde xystarchae insigne fuisse coronam discimus. Xystarchen nominat etiam Tertullianus in libro ad Martyres cap. 3 et inscriptio graeca inscripta basi statuae erectae Demetrio patri ab Hermodoro Hermopolitano, memorata a Philandro ad Vitruvii hoc caput. *gymnasii xystique* iungit Cicero ad Attic. 1, 8. *cum pauca in xysto* (villae) *locuti essemus* Academ. 4, 3. *cum inambularem in xysto et essem otiosus domi* Bruti cap. 3. Proprie est in libro de optimo genere oratorum cap. 3 *ut palaestrice spatiari in xysto iis liceat, non ab Olympiis coronam petant.* Seneca de Ira 3, 18 de Caio Caesare: *ut in xysto maternorum hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulares.* Suetonius Augusti cap. 72 *praetoria sua non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu quam xystis et nemoribus excoluit.* Reliqua scriptorum latinorum loca posui in Annot. ad Varronem p. 509 et in Indice p. 419. Graeca nunc addo. Plutarchus in Praeceptis sanit. tuendae p. 397 ed. Hutten. ἀλείπτας δὲ καὶ παιδοτρίβας πελεύσομεν ἀκιόντας ἐν τῷ ξυστῷ ταῦτα καὶ ταῖς παλαίστραις διαλέγεσθαι

Digitized by Google

τοῖς ἀθληταῖς, οὐδ — τοῖς ἐν γυμνασίῳ νίοσιν ὁμοίως λιπαροὺς πεποιήκασι καὶ λιθίνους. Locum Aristei comici posuit Poll. 9, 43 ἦν μοι παλαίστρα καὶ δρόμος ἔυστὸς πέλας. Idem 3, 154 τὰ δὲ χωρία τῆς ἀσκήσεως ἀποδυτήριον, γυμνάσιον, παλαίστρα, καὶ κονίστρα. Idem 9, 43 inter loca publica commemorat ἀποδυτήριον. et Xenophon de Republ. Atheniensium cap. 2 sect. 10 ὁ δὲ δῆμος αὐτὸς αὑτῷ οἰκοδομεῖται ἰδίᾳ παλαίστρας πολλὰς, ἀποδυτήρια, λουτρῶνας. ubi annotatione digna sunt, quae verba ibi praecedunt et his opposita sunt: καὶ γυμνάσια καὶ λουτρὰ καὶ ἀποδυτήρια τοῖς μὲν πλουσίοις ἐστὶν ἴδια ἐνίοις. Vides λουτρὰ privata divitum opponi λουτρῶσι, deinde γυμνάσια respondent παλαίστραις publicis; ἀποδυτήρια utrisque communia sunt. Plato in Euthydemi initio p. 7 de Lycei ἀποδυτηρίῳ sic narrantem facit Socratem: ἔτυχον καθήμενος ἐν τῷ ἀποδυτηρίῳ· καὶ ὀλίγῳ ὕστερον εἰσέρχεσθον τούτω — εἰσελθόντε δὲ περιεπατείτην ἐν τῷ παραστέγῳ δρόμῳ. — καὶ εἰσέρχεται Κλεινίας — ἰδὼν οὖν με ὁ Κλεινίας ἀπὸ τῆς εἰσόδου μόνον καθήμενον, ἀντικρὺς ἰὼν παρεπαθέζετο ἐκ δεξιᾶς. Vides xystum Platoni esse δρόμον παράστεγον, in quo Dionysodorus et Euthydemus inambulabant; qui cum Cliniam Socrati assidentem conspexissent, πρῶτον μὲν ἐπιστάντε διελεγέσθην ἀλλήλοιν, ἄλλην καὶ ἄλλην ἀποβλέποντες εἰς ἡμᾶς· ἔπειτα ἰόντε ὁ μὲν παρὰ τὸ μειράκιον ἐπαθέζετο, ὁ Εὐθύδημος, ὁ δὲ παρ' αὐτόν με ἐξ ἀριστερᾶς. Unde situm apodyterii statim ab introitu positi, ubi considentes conspici possent ab ambulantibus in xysto, cognoscere licet. Hoc eodem loco Platonis utar etiam paulo post ad παραδρομίδας Vitruvii illustrandas. Alter est locus Platonis in Lyside p. 4 sect. 2 de palaestra recens aedificata, ubi Hippothales cum adolescentibus sociis audiebat docentem Miccum; in eadem adolescentes cum pueris Ἑρμαῖα, festum Mercurii diem, agebant. p. 11 sect. 8. Intrans palaestram Socrates reperit adolescentes et pueros ludentes: οἱ μὲν οὖν πολλοὶ ἐν τῇ αὐλῇ (inter peristylii porticus) ἔπαιζον ἔξω, οἱ δέ τινες τοῦ ἀποδυτηρίου ἐν γωνίᾳ ἠρτίαζον. Menexenus ibi sect. 10 p. 14 dicitur ἱεροποιὸς, curam sacrificii gerere, quem avocat παιδοτρίβης, magister palae-

Digitized by Google

strae ibidem. Tertius est locus initio Charmidae, ubi Socrates: ἦμα ἐπὶ τὰς συνήθεις διατριβάς, (Lyceum et Academiam, publica gymnasia) καὶ δὴ καὶ εἰς τὴν Ταυρέα παλαίστραν τὴν καταντικρὺ τοῦ τῆς βασιλικῆς ἱεροῦ εἰσῆλθον, καὶ αὐτόθι κατέλαβον πάνυ πολλούς. Palaestrae igitur Atticae pleraeque omnes privatae fuisse videntur. Cicero ad Q. Fratrem 3, 1, 3 *iam ἀποδυτηρίῳ nihil alsius, nihil muscosius.* ubi balnei locum interpretantur. Varro R. R. 2 Praef. 2 *ac ne Graecorum urbana desiderarent gymnasia, quae nunc vix satis singula sunt: nec putant se habere villam, si non multis vocabulis retineant Graecis, cum vocent προποιτῶνα, παλαίστραν, ἀποδυτήριον, περίστυλον.* Qui locus docere videtur gymnasium esse publicum, *παλαίστραν* privatam. Nescio hunc an alium Varronis locum respexerit H. Mercurialis de Arte Gymnastica I, 6 p. 18 ubi ait: *Romani postremi omnium gymnasia palaestras vocata in urbe ad Graecorum aemulationem Varrone teste (in libro de antiquis nominibus) aedificare coeperunt.* Vellem mihi monstrari locum, ut certior fiam, num vere Varro dixerit a Romanis gymnasia sub nomine palaestrarum fuisse in urbem introducta. Frustra eum hucusque in Fragmentis Varronis quaesivi. Contra Dominicus Aulisus primum Neronem Gymnasium Romae aedificasse arguebat ex loco Suetonii cap. 12. *Dedicatisque thermis atque gymnasio, Senatui quoque et Equiti oleum praebuit.* Graeca gymnasia extra urbium pomoeria fuisse aedificata non solum exempla docent Academiae, Lycaeique Attici, Cranei Corinthii, itemque Rhodiensium gymnasium, de quo Praefatio sequentis libri memorat, ante oppidum fuisse videtur, sed demonstrat etiam locus Aeneae Tactici cap. 23 qui *γυμνάσιον ἱερὸν πάνδημον* nominat inter loca, ad quae cives universi egredi ex urbe solent. Plinius Epist. 5, 6, 25 *apodyterium balinei laxum et hilare* nominat, quoniam apodyterium etiam palaestrae est, ubi vestes exercitaturi et lavaturi deponebant. Idem Varro R. R. I, 55, 4 *olea dominum et in balneas et gymnasium sequitur.* unde plane constat gymnasium esse locum. Nam Varronis aevo *balineae* vel *balneae* dicebantur publicae, *balneum*

Digitized by Google

privstum, ut ex locis duobus Varronis docui ad superius caput. Sed praeterea aliam notionem gymnasio subesse arguit locus Quinctiliani 2, 8, 3 *ut si quis palaestrae peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omni modo corpus animumque, discernat, cui quisque certamini sit praeparandus.* Alter eius locus 12, 2,-8 *studia sapientiae non iam in actu suo atque in hac fori luce versantur, sed in porticus et gymnasia primum, mox in conventus scholarum recesserunt:* pertinet ad consuetudinem sophistarum et philosophorum in porticibus, palaestrarum et gymnasiorum apodyteriis disputantium inprimis Athenis. Diversitatem palaestrae et gymnasii a Quinctiliano indicatam explicat locus Plutarch. in Quaest. Sympos. 2 Quaest. 4. ubi cum conviva aliquis posuisset **πάλην** antiquissimum genus exercitii fuisse argumento **παλαίστρας** inde appellatae, regerit Plutarchus palaestram ita vocari, quod **πάλη** sola **πηλοῦ καὶ κονίστρας καὶ πηρώματος** egeat: neque enim cursum neque pugilatum (**πυγμὴν**) in palaestris exerceri, sed luctam solam et pancratii eam partem, quae versetur in volutationibus. Pausanias Eliacorum Poster. c. 21 refert in gymnasio Olympico exerceri solitos pentathlos et cursores; contra athletis palaestras a sinistra introitus ad gymnasium fuisse dicatas: **καὶ αἱ παλαίστραι τοῖς ἀθληταῖς εἰσὶν ἐνταῦθα.** Vides igitur palaestram luctae soli fuisse discendae et exercendae dicatam; quod et Vitruvii descriptio docet; gymnasii usum fuisse ad plura certaminum genera. Atque hoc apparet omnium clarissime ex loco Pausaniae Eliacorum Poster. cap. 23 ubi Eliacum gymnasium describitur. Intra parietes gymnasii platani altae inter curriculorum spatia dispositae erant, (**διὰ τῶν δρόμων πεφύκασι**) et omne istud septum (**ὁ σύμπας δὲ οὗτος περίβολος**) vocabatur **ξυστὸς** ex eo quod Hercules olim operam suscepisse hanc tradebatur, ut locum quotidie a sentibus, quibus erat obsitus, purgaret et raderet. (**ἀναξύειν**) Habes simul etymologiam vocabuli. Intra hoc septum locus curriculo, seu stadium, erat designatus, **δρόμος ἱερὸς** dictus; alter cursorum et pentathlorum exercitiis simul serviebat; alius

Digitized by Google

πλίνθριον vocatus, luctatorum exercitationibus variis dicatus. Septum alterum minus intra illud maius, τετράγωνον a figura appellatum, palaestrae luctatorum minus perfectorum, tertium, Μαλακὸν a soli mollitie dictum, epheborum usibus constitutum erat. Habes Vitruvii ephebeum! Xenophon de Rep. Lacedaemoniorum cap. 2, 1 pueros ait mitti μαθησομένους καὶ τὰ ἐν παλαίστρᾳ. ubi potest esse publicus et privatus locus. Ad idem refert Aulisus locum Dionis Chrysostomi, ubi adolescentulum athletam, Iatroclem nomine, in exedra Herculis, quae erat in gymnasio Neapolitano, sese exercuisse memorat: ὁρῶ μὲν οὖν πάνυ πολλοὺς ἑστηκότας πρὸς τῇ ἐξέδρᾳ τοῦ Ἡρακλέους. deinde inscriptionem veteris lapidis hanc: *Silvano Sancto C. Austrunius Medicus ludi Gallic. Portic. et Exedr. et Sign. aen. voto suscepit L. M. D.* De exedris plura dicentur infra ad libri 6 cap. 3 sect. 8.

Denique de *scammate* dicendum adhuc videtur, quod in *medio excavato* sect. 3 acute agnovit Dominicus Aulisus in Dissertatione de Gymnasii constructione, edita Neapoli 1693 quam repetitam inseruit Tomo III Novi Thèsauri Antiquitatum Romanarum A. H. de Salengre p. 907. qui novam et a Perralti reliquorumque Interpretum formis diversam instituit Palaestrae Vitruvianae eiusque partium descriptionem. Is igitur apposuit Tertulliani locum libri ad Martyres cap. 3 hunc: *Itaque epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu unxit et ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore conditione seponere, ut vires corroborarentur in vobis.* Budaeus addit locum Hieronymi Epist. ad Pammachum: *Quum ergo ista quaerantur, cur tu omissis super quibus pugna est, de scammate et loco certaminis egrediens in peregrinis et longe alienis disputationibus immoraris?* deinde Dionem Chrysostomum in Comment. ad Epistol. ad Romanos cap. 11 εἴσω τοῦ σκάμματος ἑστηκὰς καὶ δύνασαι καὶ ἰσχάτης κάλης κάσας ἀναπαλέσαι τὰς ἥττας. postea ex eodem affert: εἰς μείζονα σκάμματα καλεῖν, id est ad maiores agonas vocare: denique locum Caelii Aureliani

Digitized by Google

Chronic. 2, 1 p. 364. *Ordinat praeterea* (Asclepiades) *in harenae spatio deambulationem, et quod appellant scamma.* quem locum male interpretatur Reinesius Var. Lect. p. 666. Recte corrigit P. Faber Agonistici 2 c. 1 et 7 *in arenae spatio, quod scamma appellant, deambulationem.* Isidorus in Glossis: *Scammata, arenae, ubi athletae luctant.* Hesychius σκάμματα interpretatur ἀγῶνες, στάδια. De eadem re Caelius ibidem p. 361. *tunc etiam perfectis in terra lacunis deambulationem imperabimus.* et p. 364 de Erasistrato: *Vexat etiam deambulationibus harenosis in locis.* Accedat nunc Polybii locus 40, 5, 5. οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τοῦ σκάμματος ὤν, τὸ δὴ λεγόμενον, ἐδύνατο λῆξαι τῆς περὶ τοῦτο τὸ μέρος ἀναισχυντίας καὶ παρανομίας. quem locum nec Valesius nec nuperus Interpres, quanquam Budaeum et Stephanum in testimonio adhibens, recte interpretatus est. Metaphoricum vocabuli usum a scriptoribus Ecclestiasicis frequentatum illustravit P. Leopardus Emend. I, 22. et postremus T. Hemsterhusius in Lennepii Etymologico p. 885 quem video iam ante me acutissime animadvertisse diversitatem dictionis τὰ ἐσπαμμένα, de qua ita Pollux 3, 151 de pentathlo: τὰ δὲ μέτρα τοῦ πηδήματος κανών, ὁ δὲ ὅρος τὰ ἐσπαμμένα· ὅθεν ἐπὶ τῶν τὸν ὅρον ὑπερπηδώντων οἱ παροιμιαζόμενοι λέγουσι πηδᾷν ὑπὲρ τὰ ἐσπαμμένα. Huc respiciens Pindarus Nem. 5, 37 μαπρά μοι αὐτόθεν ἅλμαθ' ὑποσπάκτοι τις. i. e. si quis finem mihi certum praescribat, atque intra eum me coerceat. ubi Scholia recte, metaphoram a pentathlis ductam esse, quibus σπάμματα σπάκτονται, ὅταν ἅλλωνται. ἐκείνων γὰρ κατὰ τὸν ἀγῶνα πηδώντων ὑποσπάκτεται βόθρος, ἕκαστον τὸ ἅλμα δεινύς.

Gymnasiorum graecorum notitiam et descriptionem hanc Anacharsis Scytha retulisse ad suos dicitur a Dione Chrysostomo oratione 32 p. 674. ἔστιν ἐν ἑκάστῃ πόλει τῶν Ἑλλήνων ἀποδεδειγμένον χωρίον, ἐν ᾧ μαίνονται καθ' ἡμέραν. Ἐπειδὰν γὰρ ἐλθόντες ἀποδύσωνται, χρίονται φαρμάκῳ· τοῦτο δ' ἔφη πιεῖν αὐτοῖς τὴν μανίαν. Εὐθὺς γὰρ οἱ μὲν τρέχουσιν, οἱ δὲ καταβάλλουσιν ἀλλήλους, οἱ δὲ τῷ χεῖρε ἀνατείναντες μάχονται πρὸς οὐδένα ἀνθρώπων, (hi sunt οἱ χειρονομοῦντες) οἱ δὲ παίονται. Ταῦτα δὲ ποιήσαντες

Digitized by Google

ἀποξυσάμενοι τὸ φάρμακον αὐτίκα σωφρονοῦσι καὶ φιλικῶς αὐτοῖς ἤδη ἔχοντες βαδίζουσι κάτω ὁρῶντες, αἰσχυνόμενοι τοῖς πεπραγμένοις. Idem in encomio Melancomae Orat. 28 p. 531 de gymnasio Neapolitano haec refert: ἐκεῖ δὲ πρὸς τῷ γυμνασίῳ ἦμεν, τοὺς μέν τινας ἐωρῶμεν ἐν τῷ δρόμῳ ἔξω τρέχοντας, καὶ πραυγὴ τῶν παραπελευομένων ἦν· τοὺς δὲ καὶ ἄλλως γυμναζομένους. τούτοις μὲν οὖν οὐκ ἐδόκει προσέχειν· ὅπου δὲ πλεῖστον ὄχλον ἴδοιμεν, ἐκεῖ ἐβαδίζομεν. ὁρῶμεν οὖν πάνυ πολλοὺς ἑστηκότας πρὸς τῇ ἐξέδρᾳ τοῦ Ἡρακλέους, καὶ ἑτέρους ἀεὶ προσάγοντας, τοὺς δὲ καὶ ἀπιόντας, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἰδεῖν. — καὶ μόλις ἐωρῶμεν τοῦ γυμναζομένου τὴν κεφαλὴν καὶ τὰς χεῖρας ἀνατεταμένας. Vides in δρόμῳ extra gymnasium curriculo et aliis certaminibus exerceri solitam iuventutem, in exedra vero intra gymnasium lucta exercebatur Melancomas. Igitur graece δρόμος dicitur, quod latine *stadium* Vitruvius appellavit. Ceterum Ignarra de Palaestra Neapolitana opinatur Vitruvium palaestrae exemplum ex gymnasio Neapolitano desumsisse, cum Romae et in romanis oppidis gymnasia nulla essent. Idem *Numidium* vel *Numisium* architectum theatri Herculanensis eundem esse censebat, de quo Vitruvius loquitur.

AD CAPUT XII.

De opportunitate — Wrat. *si de oportunitate.* Sulp. etiam *oportunitate* hic et ubique habet.

sed quibus — Sulp. *sed non quibus.* Voluisse videtur *sed nunc quibus* dare.

si sint bene positi — Ex Sulpic. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *bene* restituit recte Rode, sed iam olim Perraltus ex libro suo ita h. l. correxit. Deinceps *habeant quam* Wrat. *promuntoria* Guelf. Wrat. Voss. *promunturia* adeo Guelf.

curvaturae — Supra 2, 8, 11 de portu Halicarnassensi: *Is autem locus est theatri curvaturae similis. Itaque in imo secundum portum forum est constitutum, per mediam autem altitudinis curvaturam praecinctionemque platea ampla latitudine facta.* Aeneas Tacticus cap. 11 de Chio: τοῦ τε λιμένος τὸ πλεῖ-

Digitized by Google

ξρον (ligneum scilicet) εἰς γῆν ἀνασπάσαντας ἐηρᾶναι δεῖ καὶ πισσαλοιφῆσαι, καὶ τὰ παλαιὰ τῶν νηῶν ἄρμενα ἀποδίδοσθαι, τῶν τε νεωρίων ἐπεσπευάσθαι τὰ στάζοντα καὶ τὴν ἐχομένην αὐτῶν στοὰν καὶ τὸν πύργον, ἐν ᾧ διητῶντο οἱ ἄρχοντες, ἐχόμενον τῆς στοᾶς. ubi Casaubonus apposuit Ammiani locum 26 c. 8 de Cyzico: *claustrum per catenam ferream valde robustam ori portus insertum, quae, ne rostratae irruerent naves hostiles, erat altrinsecus colligata.* Dio Cassius de Byzantio 74 cap. 10 οἵ τε λιμένες ἐντὸς τείχους ἀμφότεροι πλεισταὶ ἁλύσεσιν ἦσαν, καὶ αἱ χηλαὶ αὐτῶν πύργους ἐφ' ἑκάτερα πολὺ προέχοντας ἔφερον, ὥστ' ἄπορον τῷ πολεμίῳ τὸν πρόσπλουν ποιεῖν. Idem 51, 9 de Paraetonio ab Antonio oppugnato: ἁλύσεις γάρ τινας ὑφύδρους νύκτωρ διὰ τοῦ στόματος τοῦ λιμένος ὁ Γάλλος διατείνας et cet. Syracusarum portum geminum ita describit Appianus Punicorum c. 96. Sic erant dispositi, ut naves ex altero in alterum per commune ostium intrare possent; ab alto introitus patebat latitudine pedum LXX ferreis catenis clausus. Prior patebat mercatoribus, et in eo erant crebra et varii generis κείσματα, retinacula vertunt. Intra minorem portum erat insula; eamque et portum magnae crepidines discriminabant. Hae crépidines refertae erant navalibus, (νεωρίων) quae naves CCXX recipiebant. Supra navalia erant structae cellae condendis armamentis triremium. Ante unamquamque stationem navis (νεωσοίκου) stabant columnae duae Ionicae, ita ut portus cum insula porticus speciem circumpositam haberent. Circa navalia duplex murus erat ductus cum porta, quae mercatores portum maiorem ingressos in ipsam urbem admittebat, ita, ut per navalia non transirent. Quae descriptio plane convenit cum loco Diodori 14, 7 deinde ponendo. Ferreas catenas in portu Carthaginensium Mandracio memorat Procopius B. Vand. I, 20.

ex loci natura — Editio Tornaesiana anni 1552 et 1586 cum Laetiana male dederant *locis.*

sive navalia — Wrat. *si venalia.* Cotton. *sive venalia.* Deinde *aditus emporia* omissa praepositione Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Pro *porticibus* in Codd. aliquot esse *portubus* annotavit Philander.

Digitized by Google

Navalia sunt, quae Graeci *νεωσοίκους* dixerunt. Homerus Odysseae 6, 265 *πᾶσιν γὰρ ἐπίστιόν ἐστιν ἑκάστῳ.* ubi *ἐπίστιον* interpretantur *νεώσοικος.* Insulae Atlantidos navalia in ipso saxo excisa memorat Plato Critiae p. 54 *τέμνοντες δὲ τοὺς λίθους ἀπειργάζοντο νεωσοίκους κοίλους διπλοῦς ἐντὸς, κατηρεφεῖς αὐτῇ τῇ πέτρᾳ.* Aeneas Tacticus cap. 11 ubi Chiorum portum et navalia commemorat: *τοῦ τε λιμένος τὸ κλεῖθρον εἰς γῆν ἀνασπάσαντος ἔξωθεν καὶ κισσαλοιφῆσαι καὶ τὰ παλαιὰ τῶν νεῶν ἅρμενα ἀποδόσθαι, τῶν τε νεωρίων ἐπεσκευάσθαι τὰ στάζοντα, καὶ τὴν ἐχομένην αὐτῶν στοὰν καὶ τὸν πύργον, ἐν ᾧ διητῶντο οἱ ἄρχοντες, ἐχόμενον τῆς στοᾶς.* Dionysius tyrannus Siciliae *κύκλῳ τοῦ λιμένος νεωσοίκους κολυτελεῖς* exstruxit, *τοὺς πλείστους δύο ναῦς δεχομένους,* auctore Diodoro 14, 42. Thucydides 3, 74 ubi Corcyraeorum obiter portum memorat, primum domos, quae forum cingebant, (*τὰς οἰκίας τὰς ἐν κύκλῳ τῆς ἀγορᾶς καὶ τὰς ξυνοικίας*) commemorat, in quibus emporia etiam fuisse videntur, quia addit, iis incensis *καὶ χρήματα πολλὰ ἐμπόρων κατεκαύθη,* multas mercatorum merces fuisse concrematas. *νεωρίου* unius tantum fit mentio, *μὴ ὁ δῆμος τοῦ τε νεωρίου κρατήσειεν ἐκελθών;* unde patet diversitas *νεωρίου* et *νεωσοίκων,* quanquam *navalia* etiam ibi interpretentur. Plurali numero *καλαισὺς νεωσοίκους* in portu memorat Thucydides 7, 25. item 8, 1 *ναῦς οὐχ ὁρῶντες ἐν τοῖς νεωσοίκοις ἱκανάς. τὰ τέγη τῶν νεωσοίκων* Xenophon Hellen. 4, 4, 12. Aristophanes Acharn. 96 *περὶ ἅλμαν πάμπτων νεώσοικον σκοπεῖς.* Xenophon Hellenic. 6, 5, 32 Gythii narrat *τὰ νεώρια* fuisse Lacedaemoniorum. Polybius 36, 3, 9 singulare navis *ἐκπαιδευτήρους νεώριον* dicens, in quo captivi fuerunt conclusi, intelligere videtur *νεώσοικον.* Aristophanes Acharn. 552 *νεώριον* refertum memorat *κωπέων κλατουμένων, τύλων φοφούντων, θαλαμιῶν τροπουμένων, αὐλῶν, κελευστῶν, νιγλάρων, συριγμάτων.* Iterum versu 918 *αὕτη γὰρ ἐμπρήσειεν ἂν τὸ νεώριον.* Plurali numero *τὰ νεώρια* commemorantur in Avium versu 1540. Scilicet *νεώριον* complectitur etiam ipsos *νεωσοίκους,* ut apparet ex loco Demosthenico p. 184. De Atticis *νεωσοίκοις* locus est memorabilis Isocratis

Digitized by Google

Areopagitici p. 239 ed. Lange, ubi de tyrannis 30: *τοὺς δὲ νεωσοίκους ἐπὶ καθαιρέσει τριῶν ταλάντων ἀποδιδομένους, εἰς οὓς ἡ πόλις ἀνήλωσεν οὐκ ἐλάττω χιλίων ταλάντων.* Plato Gorgiae sect. 10 tradit suadente Themistocle *τὰ νεώρια ταῦτα καὶ τὰ τείχη καὶ τὴν τῶν λιμένων κατασκευὴν* factam fuisse. Idem sect. 25 post *νεώρια* nominat *τριήρεις καὶ τὰ πλοῖα πάντα δημόσια καὶ ἴδια.* Magistratus curam *νεωρίου* gerens *νεωρὸς* Athenis audiebat. Harpocratio ceterique Grammatici discrimen nullum utriusque vocabuli tradiderunt, sed errarunt. Navalia Romana trans Tiberim fuisse suo tempore narrat Livius libro 3. Prima urbis moenia navalia, *τὸ νεώριον*, fuisse tradit Plutarchus in Catone minore. Plinius 36 c. 5 feras Africanas navalibus inclusas memorat. Diem quo mari clauso naves omnes subducebantur, Aeneas cap. 17 *τὰς πανδήμους νεωλκίας* vocat, Vegetius autem 5, 9 natalem navigationis solenni certamine publicoque spectaculo multarum gentium celebrari ait. Diodorus minorem portum Syracusarum ubi narrat a Dionysio coniunctum fuisse cum acropoli 14 cap. 7 ita tradit: *συμπεριέλαβε τῷ ταύτης τείχει τὰ πρὸς τῷ μικρῷ λιμένι νεώρια. ταῦτα δὲ ἐξήκοντα τριήρεις χωροῦντα πύλην εἶχε πλειομένην, δι' ἧς κατὰ μίαν τῶν νεῶν εἰσπλεῖν συνέβαινε.* Navalia igitur navium triremium LX capacia portam habebant, qua aperta singulae tantum naves ingrediebantur.

2.

naturalem — Sulp. *naturaliter.* Deinde *confirmandae* Sulp. uti supra sect. 1. *fuerint confirmatae* dat Wrat. hic vero Wrat. habet *formandae* scriptum.

si nullum flumen — quod terra aggesta portum complere possit, cuius purgandi occasionem aestus maris optimam affert, sed eum mediterraneum mare, de quo solo loquitur Vitruvius, aut nullum aut valde exiguum habet. In litoribus Oceano expositis flumina portum vicinum non impediunt, monente Perralto, qui vocabulum *statio* vertit *la profondeur suffisante*, Galiani *una spiaggia adatta.*

Digitized by Google

Eae autem — *Hae* Sulpic. Wrat. Hinc Capitulum XXIIII exorditur Wrat.

videntur — Wrat. *audentur*, idem deinde *a Camis;* postea *promunturium* Guelf. Wrat.

isque misceatur — Sulp. *hisque misceantur.* Wrat. *hiisque.*

3.

arcae — Wrat. *artae.* Vatic. 1. Voss. *archae.* Deinde *robustis* Sulp. Eadem scripturae varietas est in Varrone de R. R. I, 38, 3 ubi libri ante Victorium editi *robustea* dabant.

demittendae destinandaeque — Fran. Wratisl. *dimittendae.* Sulp. Guelf. Wrat. *destinandae*, sed Guelf. *distinandae.* Iocundus primus dedit *distinendae*, quod corrigi iussit Philander. Verum dedit Laetus et Galiani, Iocundeam interpolationem revocavit Rode.

inter eas — Ita Franeck. cum Iocundo. *interea* Sulp. Vatic. Guelf. Wrat. Deinde *trastilis* Sulp. Fran. *trafilis* Cotton. suprascripto *trastilis.* Guelf. Wratisl. *trastillis.* Verba *ex transtillis* omisit Laetiana. De iis dicetur ad sect. 4 accurate.

exaequanda — Wrat. *exaequenda.* Sequentia *et purganda* omittit Wrat.

congerendum donicum — Sulpic. *congerendo deinde.* Vatic. Franeck. Cotton. Guelf. Wrat. *denique* dant pro *donicum*, sed in Guelf. super *de* positum est *di*, et sequentis *ni* litera iota puncto subdito damnatur.

compleatur — Voss. *compleantur.* Deinde *archas* Wratisl. Sequebantur hinc vulgo verba: *Hoc autem munus — scripta sunt*, quae praeeunte Rodio transtuli ad initium sectionis 5.

aut impetus — Sulp. *et impetus.* Deinde *destinae arcas — continere* dedi ex Guelf. Wrat. Franeck. Cotton. probante etiam Wesselingio Observ. p. 198. Eandem scripturam ex Codice apposuit Laet, sed in eius Editione Philandro adscripta legitur ea annotatio. Sulp. habet *destinatas arcas non potuerunt continere.*

Digitized by Google

Wrat. *archas non poterunt.* Iocundus dedit *destinatae arcae non potuerint contineri.*

pulvinus quam — Cotton. *pluinus.* Voss. *quamquam.* Deinde *planitia* Guelf. Wratisl. Postea *reliquum quidem proxime* Voss. Pro *ab ipsa terra* Perraltus scribi voluit *in ipsa terra.* Sed Galiani recte monuit *ab ipsa terra* esse dictum pro *secundum ipsam terram.*

4.

et latera — Wratisl. *et latam.* Deinde *ex planitia* Sulpic. Guelf. Wrat. nisi quod Sulp. *planitie.* Etiam Fran. *ex* dat, Cotton. *ex planitiaque est supra.* Wratisl. etiam *planitia quae est supra.* et sequens *est* omittunt.

et exaequetur — Voss. haec omittit. Deinde *in planitia* Argentor. 1543 et 1550. *et planitie* Sulp. Fran. *ex planitia* Vatic. *et planitia* Voss. *Proclinatio* est latus proclinatum quod antea dicebatur. Vocabulum idem est infra 5 c. 11 de structura, quam Italis hodie *a scarpa* vocari ait Fabretti de Aquaeduct. p. 171. Hinc Gallorum *escarpe.*

exaequationem — Sulp. *exaequatione.* Deinde *relinquantur* Guelf. Sulp. sed in Guelf. manus secunda verum dedit.

ne minus duos — Ita Sulpic. Fran. Voss. Guelf. Wrat. nisi quod *duas* Wrat. Vulgo est *ne minus quam duo.* Deinde *quotienscunque* Sulp. Suetonius Claudii cap. 20 *Portum Ostiae exstruxit — mole obiecta: quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit — congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari.* Plinius 36 sect. 14 no. 4 de eodem opere: *Claudius navem qua Caius Caesar importaverat,* (obeliscum) *turribus Puteolano ex pulvere exaedificatis, perductam Ostiam, portus gratia mersit.* Virgilius Aeneidis IX, 710 *Qualis in Euboico Baiarum litore quondam saxea pila cadit, magnis quam molibus ante constructam ponto iaciunt: sic illa ruinam prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit: miscent se maria et nigrae attolluntur arenae.* Plinius Epist. 6,

Digitized by Google

51, 16. *in ore portus insula adsurgit, quae illatum vento mare obiacens frangat, tutumque ab utroque latere decursum navibus praestet. Adsurgit autem arte visenda. Ingentia saxa latissima navis provehit; haec alia super alia deiecta ipso pondere manent, ac sensim quodam velut aggere construuntur. Eminet iam et apparet saxeum dorsum, impactosque fluctus in immensum elidit et tollit. Saxis deinde pilae adiiciuntur, quae procedenti tempore enatam insulam imitentur.* Inscriptio Muratoriana p. 1107 no. 4 de Traiano: *quod super cetera beneficia ad huius — etiam tutelam portus — pilarum viginti novem cum sumptu fornicum reliquo ex aerario suo largitus est* (Puteolanis.) alia p. 453 no. 5 de iisdem Puteolanis et eodem imperatore: *opus pilarum VI maris conlapsum a divo patre suo promissum restituit.* Rationem hanc pluribus illustravit doctissimus Gallus *Mongez* in Vol. II. *Mémoires de l'Institut national.* Nos ad Vitruvium illustrandum quae pertinent, pauca nunc subiungemus. Primum igitur *arcas* Perraltus interpretatur *des poteaux rainés*, secutus Philandrum et Barbarum. Nam Philander: Id genus, inquit, aquarii septi vulgus vocat catarractas. Figuntur excavata et sulcata a summo ad imum tigna, pari interspatio. Ubi obfirmata sunt tam longe quam magnum est intervallum et aliquanto plus, sed pro ratione cavi, crassae comparatae tabulae induntur in summis canalibus, ut ad infimas usque partes descendant, induntur aliae super alias, uti bene cohaereant, dum ad eam altitudinem septum erectum sit, quae erit necessaria: post haustoriis machinis inclusa septo aqua exinanitur. I. Martinum civem suum improbat Perraltus, qui arcas interpretatus est *coffres*, easque caementis et mortario impletas demittebat in mare. Praeterea Perraltus in hoc diversus abit a ceteris Interpretibus, quod arcas in mari firmatas exhauriendas esse neget; aquam enim inde ipsam extrusam mole caementorum et mortarii ingesti redundare, nec opus esse opera humana. Denique *catenas*, quae Martinum videntur in errorem induxisse, Perraltus interpretatur ita: *des pieces de bois mises en travers*

Digitized by Google

sur le bout d'en haut des poteaux rainés pour les lier ensemble. Addo Martinum ducem in errore habuisse Iocundum et picturam ab eo positam. Sequentia verba *deinde inter eas ex transtillis* ita vertit Perraltus: *remplir les entredeux avec des ais après avoir égalé le fond et ôté ce qui pourroit nuir.* Verum haec non sunt in Vitruvio, nec vel fidiculis possunt ex verbis extorqueri. Galiani locum sic vertit: *si formeranno nell' acqua reciuti di pali di querce bene incatenati, che si ficcheranno nel sodo. Si spianerà poi, e si netterà la parte inferiore, che è sott' acqua da sopra delle zatte, e vi si getterà il materiale* et cet. In annotatione subiecta contra Perraltum pugnat *catenas* esse proprie intelligendas, argumento eo maxime nixus, quod arcae dicuntur *inclusae.* Quod autem putabat offensurum quosdam, quod arcae dicuntur *demitti*, hanc difficultatem ita censet tolli posse, ut credamus ita Vitruvium locutum esse, cum proprie dicendum fuisset, *demittere stipites, quibus fiunt arcae.* Non immerito deinde queritur de obscuro sensu verborum *ex transtillis*, quibus interpretandis Philander addidit: *tigillis, asseribus.* Perraltus transtilla stipitibus robustis, utrinque canaliculatis, indit, atque alia super alia indendo parietem perpetuum struit inter arcas, id est stipites. Sed verba latina eum sensum plane non habent. Galiani monet Barbarum *ex transtillis* aliter intellexisse: *pare che l'ex transtillis l'intenda che stando gli uomini sopra travicelli o palate o foderi o zatte cavino l'acqua dalla chiusa, e questo parmi il senso meno obscuro.* Lepidum est commentum, homines supra transtilla consistentes, partem inferiorem arcarum sub aqua exaequare et purgare. Sed, nisi fallor, Barbarus cum Cesàriano et Caporali in tam ridiculum errorem inciderunt, quod *aqua exaequanda* in suo libro legerunt aut legisse sibi visi sunt. Mihi, ut breviter dicam, quod sentio, verba *ex transtillis* non solum sensu omni hac quidem in parte orationis plane carere videntur; quod demonstrant etiam versiones Interpretum omnium aut plane a verbis alienae aut obscurae: sed sunt etiam illa ab hoc loco plane aliena, et in suum restituenda ita:

Digitized by Google

arcae stipitibus robustis et transtillis inclusae. Glossa occupavit locum veri vocabuli, quod deinde in alienum locum fuit reiectum. Annotat enim Barbarus ad libri 4 cap. 2 *transtra sunt transversae trabes, catenae vulgo dicuntur.* Librarius Italicus appositum margini vocabulum *catenis* arripuit textuique orationis inseruit; alius, nisi idem homo, animadverso demum errore, verba *et transtillis* alieno loco repetiit, ne quid Vitruvio velut suum deperiret. Catenas Vitruvius 7 c. 3 longe diverso sensu dixit, ut et catenationes libri 2 cap. 9. Sed quoniam sect. 5 *arcae duplices relatis tubulis et catenis colligatae* iterum nominantur, possunt etiam catenae sensu proprio dictae retineri, sed *transtilla* etiam ob hunc locum inserenda sunt; quoniam tabularum locum obtinent, quae nullo modo omitti potuerunt.

5.

Hoc autem — scripta sunt — Haec supra sect. 3 post verba *structurae spatium quod fuerit inter arcas* vulgo inserta legebantur, loco plane alieno. Quare recte fecit Rode, qui huc ea revocavit. Sulpic. ita habet: *hoc autem minus.* Sic etiam Wrat. Cotton. Deinde *loco* Wrat.

In quibus — Hinc Capitulum XXV exorditur Wrat. qui deinde *hiis rationibus* dat.

relatis tabulis et catenis colligatae — Wrat. *colligato.* Philander *remissis* interpretatur *commissis*, scilicet per canales incisos arcis vel stipitibus. Perraltus vertens locum ita: *On mettra deux rangs de poteaux accommodés, comme il a été dit, et bien affermi avec des liens*, difficultatem vocabuli vitavit. Galiani vertit: *doppie chiuse ben congiunte con tavole e catene.* Hoc prudentiae exemplum in interprete non valde laudabile secutus est Rode, qui miratur *tabulas* nunc commemorari, cum antea *stipites* fuissent positi. Ceterum Budaeus Annotat. Prior. ad Pandectas p. 595 ubi verba legis: *ante domum mari iunctam molibus iactis pilam constituit*, interpretatur, recte loca Virgilii et Vitruvii comparat, atque obiter ad hunc nostrum locum haec annotat:

Digitized by Google

Fiunt et alia ratione intra aquam circumdatis tabulationibus, quas arcas Vitruvius appellat ab arcendis aquis ab opere. Alii aquaria septa vocant, nostrates fabri et structores bastardellos dicunt: cuiusmodi dudum in ponte Parisiensi vidimus suscudatis lignis ad perpendiculum depactis, ne aqua per rimas erumpere posset. Easdem arcas creta impletas et calcatas *bastardeaux* vocari monuit ad h. l. Perraltus.

Rationem, qua Aegyptii fundationes aedificiorum in ripis Nili vel litore maris exstruendorum fecerint, pilis pluribus supra palationes, sensim demittendas et suo pondere descendentes in fundum, structis descripsit Abdallatif in Compendio historiae Aegypti edito a I. White libri 1 cap. 5. quem locum accurate vertit doctissimus Gallus S. de Sacy in Ephemeride: *Magasin Encyclopedique* Année 8 No. 24 p. 471. Aegyptii opus eiusmodi *Zarbiga* vocabant, quod Abdallatif Arabice *mosannât* interpretatur, i. e. molem, χῶμα. Denique locus est Procopii de Aedificiis Iustiniani I c. 11 de portu Byzantiaco: *τὰς πιβωτοὺς καλουμένας ἀναρίθμους τε καὶ παμμεγέθεις πεποιημένος ἀμφοτέρωθέν τε αὐτὰς τῆς ἠϊόνος ἐπὶ πλεῖστον ἐγκαρσίας ἀποῤῥιψάμενος, ἀεί τε τῶν προτέρων καθύπερθεν ἑτέρων ἐν τάξει ἐπιβολὴν ἐντιθέμενος, τοίχους πελαγίους ἀπεναντίους ἀλλήλων ἀνέστησε δύο ἐκ τῶν τῆς ἀβύσσου πρηκίδων μέχρις ἐς τὸ ὕδωρ, ᾧ δὴ αἱ νέες ἐναπερειδόμεναι πλέουσι· πέτρας τε τὸ λοιπὸν ἀποτόμους ταύτῃ ἐμβέβληκεν· ὧν δὴ πρὸς τοῦ ῥοθίου ἀρασσομένων ἀποπρουομένων τε τὴν τοῦ κλυδωνίου ἐπίθεσιν καὶ ἀνέμου χειμῶνος ὥρᾳ καταβάντος σκληροῦ, διαμένει τὰ ἐντὸς ἡσυχῇ ἅπαντα τῶν τοίχων.* quae sic vertuntur: *Cum arcas, quas appellant, fecisset innumeras et quidem maximas, hinc atque illinc ex littore transversas longe in altum iecit, aliisque super alias continenter aggestis, maritimas moles inter se oppositas excitavit geminas, ex imo gurgite ad undas usque superiores, quibus sustentatae naves aguntur: dein saxa abrupta imposuit, quae fluctibus tunsa vim eorum repellunt; hyeme, cum furunt venti, intra illos parietes tranquilla sunt omnia, unó in portum relicto navibus aditu.* Ceterum idem Procopius

Digitized by Google

portuum conclusiones eiusmodi arte structis aggeribus factas vocabulo graeco προβόλους vocat de Aedificiis 4, 10 πρὸς τὴν ἑκατέρωθε τοῦ ἰσθμοῦ θάλατταν προβόλους τειχηνάμενοι βραχεῖς τε καὶ φαύλους, οὔσπερ παλεῖν νενομίκασι μώλους. Paulo diversa notione προβόλους posuit Demosthenes et Arrianus, quorum loca posui ad Xenophontis Anabasin 7, 1, 17 p. 383.

inter destinas — Ita Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wratisl. et Vossianus Laeti. Vulgatur *destinatas*.

eronibus — Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat. *meronibus* dant. Nostrum dedit Rode. Quosdam Codices *peronibus* habere scriptum testantur Ciseranus et Caporalis, quod amplectitur ipse Philander propter locum Plinii 36 c. 14 *id consecutus est ille peronibus harena plenis*. Cuiacius Observat. 7 c. 40 *eronibus* vel *heronibus* scribi voluit, secutus Donatum ad Terentii Phormionem, ubi ait: *Phormio a phormione sparteo dicitur, quem nos eronem*. Addit Graecos Iurisconsultos herones interpretari cophinos. Turnebus Advers. 24 c. 2. *eronibus* item corrigit, iisdem argumentis usus. Addit veterem Criticum κόϊνα dicere eronem. Esse autem κόϊνα vas farinarium Antiphani. Baldus non *factis* sed *farctis* scribi voluit, de altera scriptura nihil decrevit. Salmasius Exercitat. in Vitruvio et Plinio scripturam *eronibus* e Codd. scriptis praetulit, comparans graecum κόϊξ, quod Glossae *ero* interpretantur. Proprie ἄϊρων, *aeron* fuisse dicendum monet, a verbo ἄϊρω, tollo; fuisse enim sportam vel fiscinam ita dictam, quod ea tollitur et fertur quicquid volueris. Bonav. Vulcanius ad Glossar. Philoxeni p. 7. in Vitruvio *destinas* — *heronibus* corrigi voluit. Nescio cuius sit commentum a Laeto memoratum: *et intergerinis e creta veronibusque ex ulva palustri factis*. — Denique *lacustri* dat Wrat. In Ciserani versione video *peronibus* expressum, sed is alteram scripturam *meronibus* et deinde *farctis* commemorat.

cochleis — Wrat. *cloceis*, voluit *cocleis* dare, quod est in Sulp. *trocleis* ex libro aliquo Ciseranus annotavit. Sequens *in* ante *ea* omittunt Guelf. Wrat. Postea *erit* pro *fuerit* Sulp.

Digitized by Google

quam murus qui — Fran. Voss. Vatic. 1. Guelf. Wrat. *quam qui murus.* Vatic. 2. *quam si murus.* Sequens *tunc* omittitur in Sulp. eoque carere facile possumus.

6.

locus erit — Guelf. Wrat. *locus fuerit — ustilatis.* Deinde *oleaginis.*

[*aut robusteis*] — Seclusi haec verba, quae in Sulp. Guelf. Wrat. Voss. desunt. Deinde *configantur* Guelf. Wrat. Postea *compleantur* Guelf. Wrat. Voss. De re cf. dicta ad 3, 4, 2.

iuncturis quam — Wrat. *iuncturisque.* Deinde *metli* Wrat. *contineatur* Voss.

7.

ea erit ratio — Wratisl. *erit ea ratio — constituatur — tuneam.* Postea *materiandae — incendiam* Voss. Denique *sed facienda* Wrat.

in civitatibus — Sulpic. *civitatum et* omisso *in.* Deinde *poterunt* Franeck.

AD LIBRI VI. PRAEFATIONEM.

Rhodiensium — Wratisl. *Rodiensium.* Guelf. *litus.* Deinde *animadvertisse* Sulp. *scemata* Guelf. Wrat. Galenum de naufragio Aristippi prope Syracusas facto referre annotavit Perraltus.

contendit — Wrat. *conscendit et recte.* Etiam Guelf. *recte.* Sequens *est* omisit Voss.

eis — fuerant — Wrat. *eius — fuerint.* Fran. Guelf. *fuerunt.* Deinde *et vestitum* Fran. Guelf. Wrat. Denique *praestarent* Cotton. *renunciare* Wratisl.

2.

vitae — Wrat. omittit. Deinde *non minus etiam* Cotton.

Digitized by Google

Postea *hortando* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Barth Advers. 24, 12 *fortunatos* corrigebat, quod magis ferri potest, quam vulgatum.

ponit — Wrat. *potuit*. Cotton. *exponit*. Sequens *locis* post *alienis* omisit Wrat.

casus; at qui — Voss. *casus* omittit. Cotton. *Ad qui*. Deinde *doctrinarum praesidiis sed felicitatis* Wrat. Postea *se putaret* Sulp. *se* omittit Voss. Denique *stabilis* Cotton.

3.

ait — Cotton. Guelf. Wratisl. *aut*. Cicero Tuscul. Q. 5, 9. Epicuri refert sententiam: *fortunam exiguam intervenire sapienti*. de F. B. I, 19. *Optime Epicurus, quod exiguam dicit fortunam intervenire sapienti, maximasque ab eo et gravissimas res consilio ipsius et ratione administrari*. Graeca verba posuit Diogenes Laertius X, 144. Stobaeus Eclog. Moral. p. 354 edit. Heeren.

Haec ita esse — Wrat. *Hic*. Deinde *ita etiam* Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat.

non minus [*etiam*] — Seclusi postremum vocabulum, quod omittunt Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat.

easdem sententias — *et easdem s.* Iocundus dedit, quam scripturam servarunt omnes Edd. usque ad Rodianam, quae tacita veterem restituit. Deinde *scema* Wrat.

Eucrates — Sulp. Fran. *Euchrates*. Iocundus *ut Euchrates* dedit, quam scripturam deseruerunt Argentor. 1550, Laetiana et Galiani, qui *Eucrates* cum Laeto dedit: *ut Eucratès* cum Guelf. Cotton. *ut Crates* corrigit Bondam p. 83 quia Eucrates ignoretur. Mihi aeque est ignotus poeta, sed *Eucrates* servavi, omisso *ut*, quoniam ex ea scriptura commodius effici censeo *ceu Crates*.

maxime etiam — Fran. Cotton. *maxime autem*. Deinde *ait oportere ideo laudari* Guelf. Wrat.

cogunt — *ali* — Cotton. *colunt*. Sequens *ali* omittunt Fran. Vatic. 2. Voss. Wrat. Post *Atheniensium* Vatic. 2 inserit *adorari*. Ceterum *nisi* infrequens est pro *sed*. Postea *liberis artibus* Wrat.

Digitized by Google

Omnia enim — Voss. *enim* omittit; deinde *a fortuna* ex Fran. et Voss. restitui pro *fortunae.*

ab ea facillime — Barth l. c. *ab eadem* scriptum malebat. *faciliter* Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Postea *aduntur* Wrat.

4.

Itaque ego — Hinc Wrat. exorditur Capitulum II. Deinde *habeo atque ago* Sulp. Postea *litteratae encilioque* Cotton. *litteraturae* Fran *litterature* Guelf. Quam nunc encyclopaèdiam dicimus, Graeci ἐγκύκλιον παιδείαν, intelligi monet Philander.

et parentum — Wratisl. *ad.* Guelf *parentium*, sed manus secunda literam vocalem postremam puncto supposito damnavit.

auctas haberem — Wrat. *auctoritas.* Deinde *habere* Guelf. Wrat. Postea *philothechmis* Wrat. *philosechinis* Cotton. Sequens *est* omittit Voss.

nullas plus habendi — Cotton. *nulla*, Guelf. Wrat. *nullas*, Vatic. *nulli.* Deinde *esse necessitates* Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. Unde vulgatum *nullam p. habendi necessitatem* correxi.

putant eos esse — Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. *putantes.* Sequens *esse* omittunt Vatic. et statim *tantum* deest in Vatic. Fran. Voss. Wrat. Denique *eam notitiam* Fran.

5.

sequendam — Omittit Wrat. Deinceps *notitiae* Sulp. Postea *sed cum* Wratisl. Denique *etiam posteris* Guelf. Wrat. *etiam* omittit Voss.

Neque est — Vatic. 2. *Neque enim.* Deinde *ambigunt* Cotton. *architectent* Vatic. Guelf.

suspiciosam — Sulp. *suscipiendam* dedit, credo ex emendatione non necessaria. Eadem negationem ante *accipientes* omisit.

sumptus — Wrat. *sumptos.* Deinde *petentes* Guelf. Wrat. Post *nisi* inseruit Iocundus *quod* omissum in Sulpic. Fran. Voss. Guelf. Wratisl. Igitur seclusi.

Digitized by Google

6.

opera — Ita Sulp. sed *operam* Vatic. Fran. Guelf. Wratisl. Deinde *ingenio pudore* Wratisl. Postea *permittendum* Cotton. Guelf. *permittentes* Wrat. Denique *bonos* omittit Wrat.

quibus tantarum rerum fidei — Ita Sulp. Guelf. Wrat. et Edd. omnes. Deinde *permitteretur* Wratisl. *permittentes* Franeck. Vitium vulgatae animadvertens Perraltus *fidei* in *peritis* mutari voluit; Rode temere edidit: *quorum fidei tantarum rerum pecuniae — permitterentur.* Expecto, dum quis explicet quid *tantarum rerum pecuniae* significent; nam de interpretatione ne cogitavit quidem vir doctus, nisi quod vertit locum: *deren Ehrlichkeit man ohne Bedenken die Gelder zu ansehnlichen Gebäuden anvertrauen könnte.* Sed aliud est reddere id, quod animo conceperis, aliud verba scriptoris interpretari.

iactari — Perraltus *tractari* scriptum maluit; sed non animadvertit *iactari* dici ab hominibus ea, quae non habent, nec sciunt.

non possum — Cotton. *non possunt.* Deinde *patres familiarum* Vatic. Fran. Voss. Guelf. Wratisl. Postea *aedificationes* Cotton. Denique *ipsos populis digniores* Wrat. Varro de L. L. 7 p. 112. *Da patri familias, dicere non debuerunt, si analogias sequi vellent: quod est ut Atiniae, Scatiniae, familiae; sic una Atinia, Scatinia, familia. Item plures patres familias dicere non debuerunt, sed, ut Sisenna scribit, patres familiarum.*

7.

domi facere — Wratisl. *domificare.* Sequens *vel* omittit Fran. Guelf. Wrat. Postea *Architecturarum* Sulp. Denique *quod qui qui* Wrat.

id munus — ingratum — Cotton. Guelf. *in munus.* Wratisl. *ingratis.*

quoniam — Sulp. *cum.* Deinde *oportunitate* Sulpic. Guelf. Wrat. Postea *opera* Wrat.

Digitized by Google

AD CAPUT I.

ita — disposita — Wrat. omisso *ita* habet *dispositae.* Deinde *aliter* ante *Hispania* omisit Sulp.

tellus — Sulp. *terra.* Deinde *in inclinatione* Vatic. Cotton. Guelf. Wrat.

ad eundem — Sulp. *et ad eundem modum ad regionum.* Deinde *Sub septemtrione.*

2.

conclusa — Wrat. *exclusa.* Deinde *et meridianis* ex Fran. corrigit Bondam p. 85.

quod premuntur — Cotton. *quo prementur.* Deinde *septemtrionem* Sulpic. *facienda* Wrat.

ultro — Cotton. *ultra.* Deinde *inclinationes* Sulp.

3.

Haec autem — Hinc Capitulum IV exorditur Wratisl. qui postea *observenda* habet.

vapores — Sulp. *calores.* Deinde *deflagrant* Cotton. Guelf. *deflagrarant* Wrat. Postea *excurgendo* Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Arundel. Guelf. Wrat. Eadem est scripturae varietas in Plauti Rudente 4, 3, 69 Catone de R. R. 87 ubi vide annotata p. 147 et ad cap. 156, 3.

a caloribus — Franeck. *coloribus.* Deinde Cotton. *fundans.* Postea *caloribus*, *derecto* Wrat. Posterius dat etiam Guelf.

caesiis — Voss. Franeck. *caesis.* Sequens *quoniam* omittit Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat. *planitate* postea Cotton.

4.

subiectique — Sulp. copulam omisit; deinde *cursu* Wratisl. Sequens *invalidis* debetur Iocundo. Sulpic. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *validis.*

Itaque etiam — Alteram vocem omittunt Sulp. Wrat. Deinde *et febres* Sulp. Postea *sustinent* Sulp. *subferunt* Cotton. *suffuserunt* Wrat. Denique *tumore* Cotton.

Digitized by Google

febri sunt — Wrat. *febre.* Argent. Tornaesiana et Laetiana *sunt* omittunt.

5.

gentium dispares — Wrat. ordinem invertit. Deinde *varia* Cotton. Postea *liberationem* Voss. Denique *videtur habere* Sulp.

circuitionem — Guelf. *circumitionem.* Arundel. *terminationem* dat, quam scripturam equidem praeferrem, si plures libri darent. *Finientem* Cicero aliique interpretati sunt graecum ὁριζοντα. Wrat. *orizontam.* Vatic. 2. *vocant.*

Igitur quoniam — Wratisl. exorditur hinc Capitulum V, sed *quoniam* omittit. Pro eo est in Sulp. Fran. Guelf. *cum.* Pro *certum* Sulp. habet *centrum*, Wrat *etiam.* Postea *ab labro* Wrat. *du bord de l'horizont* vertit Perraltus.

ad id, quod est super — Perraltus vertit: *vers l'autre endroit du même horizont qui est au Midy.* Galiani: *al centro dell' asse meridiano o sia equatore.* Rectius Rode: *von dem mitternächtlichen Rande — zu dem über der südlichen Hälfte der Weltachse.* Verba enim Vitruvii redire cogunt lectorem ad labrum antea nominatum. Deinde *supra* Sulp. Guelf. Vatic. 1. Cotton.

altera obliqua in — Veterem Sulp. et Codd. lectionem *alteram obliquam* revocaverat Rode, sed in Addendis rediit ad emendationem positam in Laetiana. Galiani *alteram obliqua* edidit, operarum, credo, errore. Sequens *in* omisit Voss.

esse schema trigoni mundo — Cotton. *est.* Deinde *trigonii* Sulp. Wrat. *mundi* Sulp.

σαμβύκην — Wratisl. *sambucem.* Vatic. *sambucen.* Cotton. *sambuce.*

6.

imo cardini — Wrat. *uno.* Deinde *cardine* Fran. et Wrat. *cardines* Cotton. Deinde *corda* Wrat.

eam autem — Sulpic. *artem*, Wrat. *autem* omittit. Deinde Cotton. *gratiam.* Postea *remissionibus* Vatic. 2. Cotton. Guelf. Wrat. *remissioribus* Sulpic. Vatic. 1. Fran. Denique *cantiones*

Digitized by Google

Sulpic. Vatic. Cotton. Fran. *cassiones* Guelf. *remissionis* est in Iocundeis.

septentriones — Omisit Wrat. qui deinceps *altitudines c. nationem* dat. Etiam Guelf. a prima manu *altitudines* scriptum habet.

spiritus sonitibus gravioribus — Sulpic. *sonitu graviori.* Guelf. Fran. *spē sonitus gravioribus.* Wrat. *spī sonitus gr.* Cotton. etiam *sonitus.* Deinde *a natura* Sulp. Guelf. Wrat. Denique *exprimitur* Sulpic.

tota — Omisit Cotton. Deinde *compositam* Wrat.

7.

ac septentrionalis — Ita cum Fea correxi vulgatum *et.* Sulp. Wrat. *ad*, Guelf. Cotton. Fran. *ab* dant. Deinde *media* Sulpic. Sequens *uti* omisit Wrat.

progredientes — Ita cum Sulp. Fea scribi voluit. *progredientibus* cum Guelf. Wrat. primus edidit Iocundus.

mundum, spiritus — Cotton. Guelf. Wrat. *mundi spīs.* Deinde *habente* Guelf. a prima manu. Postea *humorem* Fran. Guelf. Wratisl.

repulsos — Hanc Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. scripturam praeeunte Fea restituit Rode. Vulgo erat *repletos.*

hypatas — Sulp. Iocundeae, Guelf. Wrat. *hypatos et proslambanomenos.*

coguntur uti. Eadem — Vulgo distinguebatur: *coguntur: uti.* Correxit vitium monente Fea Rode. Cotton. *utuntur* dat.

e medio progredientes — Praepositionem *e* omissam in Sulp. Guelf. Wrat. et Edd. addidit praeeunte Fea Rode. Deinde *medium* Sulp. Cotton. Sequens *progredientes* debetur eidem Fea, cum antea legeretur *progredientibus*, quod et libri scripti tenent.

paranetarum netarumque — Sulpic. Cotton. Guelf. Wratisl. *paranetarumque.* Quod dedimus cum Rodio, excogitavit Fea. Iocundus *paranetarum* primus edidit. Deinde *sonitus* Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Ceterum qui nugas a Vitruvio propositas subtilius investigare atque explicare suscipiet, (quod quidem ipse facere

Digitized by Google

nec potui nec volui) materiem is amplam reperiet in Claudii Ptolemaei Harmonicorum libri tertii cap. 8 p. 250 et cap. 9. 10. 11 et 12. quibus inspectis vereor, ut viri docti doctrinam Vitruvii recte picturis repraesentaverint.

8.

et ex fervidis — Copulam omittit Wratisl. ut sequens *ita* Sulp. Postea *cocti* Wrat. Denique *dimittatur* Sulp. Guelf.

discrepabit — Cotton. *discrepant haeque que pondere non potuerunt.* Deinde *corpora hominum* Sulp. Guelf. Wrat.

una — coniunctione — Wrat. *yma — ζυιcc̃one.* Sequens *concepta* est pro comprehensa, συλληφθέντα, uti supra *conceptio* fuit pro collectio, comprehensio, colligatio.

regionis ardorem — Omittit Fran. ut sequens *propter.* Post *exprimunt* Wratisl. repetit *spiritum.*

9.

Item — Wrat. *Ipsae* per compendium scriptum habet. Deinde *qui per calorem* a secunda manu habet scriptum Guelf.

mutatione — refrigeratae — Cotton. Guelf. Wrat. *ab mutatione.* Deinde *refrigerata* Vatic. Fran. Wrat. Postea *immota* Voss. *immoti* Wratisl. *immota* a prima, *immoti* a secunda manu Guelf. Sequens *stupore* omittit Wrat.

hominum mentes — Omittit Wrat. qui a verbis sect. 10 *Cum sint autem* Capitulum VII exorditur.

10.

infinitaque — Wrat. *infinita consiliorum solertia.* Sequens *simul ut* debetur Guelf. Wratisl. *simul* omisso *ut* Sulpic. et reliquae Edd. *simulac ad* Rodiana dedit, auctoritatem Guelf. falso antestata.

exustas ab — Ita cum Arund. et Sulp. Rodiana, cum vulgo esset *exuctas.* Guelf. Wrat. *exutas* dant. Deinde *a sole* Sulpic. *animarum* Wrat.

Digitized by Google

Qui vero refrigeratis — Cotton. *Quia.* Wrat. *refr.* omisit. Deinde *ad animorum* Sulp.

magnis virtutibus [*sunt*] *sine timore* — Vulgatum *magnisque viribus ruunt* correxi. Sulpic. *magnis virtutibus suntque.* Sic etiam Vatic. Guelf. Wrat. Arundel. Fran. nisi quod *magnisque* Wrat. et *sunt* libri scripti omnes habent. Alterum hoc *sunt* ut inutile seclusi.

refragantur — Ita Sulp. Vatic. Arund. Cotton. Guelf. Wrat. Fran. *refringuntur* dedit primus Iocundus, quod etiam in Guelf. esse falso narrat Rode. Restitui Vitruvio verbum insolens significatione, quia talia ille amasse videtur.

Cum ergo — Sulp. *Cum ergo haec a nat. r. ita sint i. m. c.* Guelf. Wratisl. *Cum haec ergo ita sint ab nat. r. in m. col. et omnes.* Deinde *in moderatis* Wrat. *mistionibus* Sulp. Sequens *sint* omittit Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Postea *disperatae* Wratisl.

veros inter spatium totius orbis — Vulgavit primus Iocundus: *placuit ut inter spatia — regionumque — possideret.* Sulp. *disparatae inter spatium regionisque — possidet.* Vatic. 2. *verum inter — possidet.* Guelf. Wrat. Cotton. *vero inter spatium.* unde Is. Vossius *veros* recte effecit. *regionisque* Guelf. Wrat.

11.

ad utramque partem — Rode in Addendis hanc apposuit F. A. Wolfii annotationem: *Deleatur* partem *ut glossa: in duobus Codd. similis legitur glossa* potestatem. Quam equidem non intelligo, sed ad locum similem Vitruvii pertinere puto.

eadem ratione — Wrat. *eademque ratione.* Deinde Cotton. *ab utroque parte.*

Itaque refringit — Sulpic. Wrat. *Itaque consiliis refr.* sed Wratisl. *restringit* habet. Sic et reliquae Edd. omnes quas vidi praeter Rodianam, quae cum Guelf. omisit *consiliis.* Sequens *virtutes* revocavi ex Sulp. Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. *vires* dedit primus Iocundus.

Digitized by Google

consiliis meridianorum — Vulgatum *vires, forti manu merid. cogit.* ita correxit Rodiana, assentientibus hac quidem in parte Sulp. Guelf. Wrat. sed in anteriore membro Sulp. et Wrat. habent *Itaque consiliis refringit.* ut suspicer in Codicibus vetustissimis geminam loci scripturam fuisse, alteram, quae virtutibus consilia, cogitationibusque fortem manum; alteram, quae virtutibus fortem manum, cogitationibusque consilia Romanorum opponeret. Lectionem quidem Rodianam ut probabiliorem mihi visam adsumsi, sed erunt fortasse, qui alteram praeferant. Acumen sequitur Vitruvius alienum ab ingenio suo.

populi romani — Wrat. *romani populi.* Deinde *egregiam temperatamque regionem* Sulpic. Fran. Cotton. Guelf. Wratisl. probante Bondam p. 84 qui *in* inserit ante *egregiam.* Postea *urbis* Wrat. *imperii* Franeck. Cotton.

12.

et ut — Copulam Guelf. Wrat. *ut* omittit Sulp. Deinde *dubitemus* ex Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Vatic. revocavit Rodiana. Vulgo erat *dubitamus.* Guelf. tamen a prima manu *dubitemur* scriptum habet. Denique *quorum rationes ad nationem* Wratisl.

distribuere — Ita Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Iocundus primus *distribui debere* edidit. Deinde *ipsam* Wrat. qui verba *et expeditam — ab natura rerum* omisit. Cotton. *solerertam* dat.

ab natura — Sulp. *a natura*, Cotton. *ad natura.* Deinde *disposite* Fran. Cotton. Postea *figura* Cotton.

Itaque nunc — Hinc Capitulum VII exorditur Wratisl. qui deinde *et breviter* dat.

AD CAPUT II.

Nulla — maior cura — Guelf. Wratisl. *nullo.* Deinde *cura maior* Sulpic. Postea *rationem exactiones* Wrat.

Cum ergo — Vatic. 2. *Cum autem.* Deinde *tum etiam* Guelf. Franeck.

Digitized by Google

et detractionibus vel — Haec verba omittunt Sulpiciana, Guelf. Wrat. Vossianus et Franeck. Sequens *uti* pariter omittunt Sulp. Guelf. Wrat. Vossianus cum Cottoniano, et transponunt post *adiectum*, videlicet *uti id videatur recte esse formatum.* Postea solus Cotton. *sit*, Wratisl. vero *aut* ante *adiectum* omittit. Primum verba *detractionibus vel* recte addidisse videtur Iocundus; ea enim desiderantur a sententia et sequentibus. Sed male videtur Iocundus inseruisse copulam *et*, cum deberet potius *eas.* Quid enim est *providere ad naturam loci aut usum aut speciem?* Si esset *pervidere naturam loci*, tum valeret Iocundi ratio. Itaque Vitruvio restituenda sua latinitas, dura sane atque inusitata, sed digna homine sane non diserto, et qui graeca magis ex verbo quam sententiam secutus transferre solebat. Fuit, puto, in graeco προνοεῖν τοῦ ποιῆσαι, quod vertit ille *providere efficere.* Ceterum huc pertinet locus Philonis in Mathematicis Graecis p. 51 de architectura et domibus antiquis: τινὰ γὰρ τῶν κατὰ μέρος ἐν αὐτοῖς ὑπαρχόντων ἰσοπαχῆ τε ὄντα καὶ ὀρθὰ, ἐδόκει μήτε ἰσοπαχῆ μήτε ὀρθὰ εἶναι, διὰ τὸ ψεύδεσθαι τὴν ὄψιν ἐπὶ τῶν τοιούτων, μὴ τὸ ἴσον ἔχουσαν ἀπόστημα. διὰ τὸ τῆς πείρας οὖν προστιθέντες τοῖς ὄγκοις καὶ ἀφαιροῦντες καὶ μύουρα ποιοῦντες καὶ παντὶ τρόπῳ πειράζοντες κατέστησαν ὁμόλογα τῇ ὁράσει καὶ εὔρυθμα φαινόμενα.

Magis etiam huc et ad doctrinam Vitruvii illustrandam pertinet locus ex Heliodori vel Damiani Larissaei Opticis cap. XIV, unde locum de scenographia huc integrum transferam. Sed antea de libro ipso quaedam monenda habeo. Synopsin libri Romae primum editam repetiit Lindenbrogius Hamburgi anno 1619. Integrum deinde librum Bartholinus annotationibus suis auctum prodidit anno 1657. Fuit tamen homo ineptus, *Antonius Matani*, qui non ipsum integrum librum, sed Synopsin eius typis repeteret Pisauri anno 1758 forma octuplicata, epistola nugacissima auctam. Quod monendum putavi, ne quis indicio Saxii in Onomastico falsus pro thesauro carbones emere forte cupiat; nec magis hanc ipsam Matani Editionem inspexisse videtur Gallus *Montucla*, Hi-

Digitized by Google

stoire des Mathematiques I p. 319. Ibi igitur haec leguntur de parte tertia Opticae scientiae:

Τὸ σκηνογραφικὸν τῆς ὀπτικῆς μέρος ζητῶν, πῶς προσήκει τὰς εἰκόνας γράφειν τῶν οἰκοδομημάτων. Ἐπειδὴ γὰρ οὐχ οἷά ἐστι τὰ ὄντα, τοιαῦτα φαίνεται, ποιοῦσιν ὅπως μὴ τοὺς ὑποκειμένους ῥυθμοὺς ἐπιδείξονται, ἀλλ' ὁποῖαι φανήσονται, ἐξεργάζονται. Τέλος δὲ τῷ ἀρχιτέκτονι τὸ πρὸς φαντασίαν εὔρυθμον ποιῆσαι τὸ ἔργον, καὶ ὁπόσον ἐγχωρεῖ, πρὸς τὰς τῆς ὄψεως ἀπάτας ἀλεξήματα ἀνευρίσκειν, οὐ τῆς κατ' ἀλήθειαν ἰσότητος ἢ εὐρυθμίας, ἀλλὰ τῆς πρὸς τὴν ὄψιν στοχαζομένῳ. Οὕτω μὲν οὖν τὸν μὲν κύλινδρον οἷον, ἐπεὶ κατεαγότα ἔμελλε θεωρήσειν κατὰ μέσα πρὸς ὄψιν στενούμενον, εὐρύτερον κατὰ ταῦτα ποιεῖ. Καὶ τὸν μὲν κύκλον ἔστιν ὅτε οὐ κύκλον γράφει, ἀλλ' ὀξυγωνίου κώνου τομήν· τὸ δὲ τετράγωνον προμηκέστερον· καὶ τοὺς πολλοὺς καὶ μεγέθει διαφέροντας οἷονας ἐν ἄλλαις ἀναλογίαις κατὰ πλῆθός τε καὶ μέγεθος. Τοιοῦτος δέ ἐστι λόγος καὶ τῷ πολοσσοποιῷ, διδοὺς τὴν φανησομένην τοῦ ἀποτελέσματος συμμετρίαν, ἵνα πρὸς τὴν ὄψιν εὔρυθμος εἴη, ἀλλὰ μὴ μάτην εἰργασμένη κατὰ τὴν οὐσίαν σύμμετρος· οὐ γὰρ οἷά ἐστι τὰ ἔργα, τοιαῦτα φαίνεται ἐν πολλῷ ἀναστήματι τιθέμενα. Quae latina lectoribus reddam, sed veluti Heronis Alexandrini conversa a Conr. Dasypodio in Lexico Mathematico ex diversis collecto antiquis scriptis Argentorati 1579 ubi p. 16. b. et sequentibus haec leguntur: *Scenographia tertia Opticae generalis pars investigat, quomodo conveniat imagines aedificationum pingere, et quae non qualia sunt, talia tamen esse appareant; docet etiam, quomodo aptitudines et rhythmos, qui in aedificationibus non sunt, esse tamen videantur. Architecti enim finis est opus exstruere, quod ad speciem et imaginationem concinnum sit et sibi conveniens; investigare etiam, quoad fieri potest, omnia ea, quibus visus decipere possit et oculos hominum fallere, non quidem verae et essentialis aequalitatis aut concinnitatis rationem, sed tantum coniecturalem et apparentem quoad visum. Exempli gratia: Cylindrum hac ratione dum pingit, efficit illum, ut inspiciatur columna ad medium*

Digitized by Google

angusta, unde et visus latius funditur et aliena parte eductum et latum efficit; etiam circulum, cum tamen circulus non sit, sed tantum coni segmentum habens angulum. Sic quoque quadratum facit quadrangulum oblongum; multas denique et magnitudine differentes columnas efficit in aliis atque aliis proportionibus tam numero quam magnitudine differentibus. Eadem est ratio delineationis ei, qui colossum facit. Is enim colosso dat apparentem perfectionis symmetriam, ut ad visum tantum concinna videatur descriptio, ita tamen ne ipsa essentia symmetriae sit frustranea; neque enim cuiusmodi sunt opera ipsa, talia etiam apparent esse, si in alto collocata sunt loco. Apparet Dasypodium verba quaedam aliter scripta in suo libro legisse, velut ab initio *ἐπειδὴ γὰρ οὐκ οἷά τε ἐστὶ τὰ ὄντα τοιαῦτα φαίνεται, ποιοῦσί πως μὴ τοὺς ὑποκειμένους ῥυθμοὺς ἐπιδείξονται, ἀλλ' ὁποῖαι φανήσονται, ἐξεργάζονται.* quae ita edidit scripta Bartholinus, ego vero parum mutata posui. Dasypodius vero ita scripta reperisse videtur: *οἰκοδομημάτων, καὶ ἃ οὐκ οἷά ἐστιν, τοιαῦτα ὄντα φαίνεται. ἔπειτα διδάσκει, πῶς οἱ μὴ ὑποκείμενοι ῥυθμοὶ τῶν οἰκοδομημάτων τοιοῦτοι φανήσονται.* Deinceps Dasypodius vertere debebat, *quod fieri potest, remedia contra omnia ea, quibus — fallere, quaerendo non quidem verae* et cet. Postea sententia plane aberravit. Debebat enim scribere: *Exempli gr. cylindrica columna quoniam aspicienti e longinquo contractior in medio apparet, latior ibi fit: etiam circulum est ubi non circulari forma pingit, sed sectionem coni acutanguli.* Denique in colosso rectius dixisset *apparentem operis perfecti symmetriam, ut — nec ipsa essentia symmetriae frustra sit efficta.* Ceterum locus Damiani vel Heliodori memorabilis est etiam propterea, quod exemplum habet *ἐντάσεως* in medio columnarum altiorum addendae ex doctrina scenographiae et artificum graecorum, quam secutus est Vitruvius supra libri 3 cap. 3 sect. 9.

in adspectuque — In locum lectionis Iocundi *sicut in aspectu* recte scripturam Sulpic. Guelf. Wrat. Vatic. Fran. Cotton. resti-

Digitized by Google

tuit Rode. Quam diligentiam utinam in gravioribus argumentis et vitiis servasset!

2.

ad manum species esse — In Cotton. est *speci*, in Fran. *se* pro *esse* proditur esse. Vossius *manum* mutari voluit in *planum*. Male. Vulgata enim scriptura significat *in propinquo*, *prope nos in terra*.

iudicii est opera — Idem quod antea dixerat *acuminis est proprium*. Deinde *sit faciundum* Sulp. Guelf. *sit faciendum* Wrat.

veros videtur habere — Sulpic. *vires* dat. *videtur* omittit Wratisl.

saepius iudicio ab eo mens — Vulgo *saepe ab eius iudicio mens* legitur, cum Sulpic. Fran. Guelf. Wratisl. Cotton. habeant scriptum *iudicio ab eo mens*. Rectius etiam est in Guelf. Wrat. Cotton. *saepius*. Nullum enim oculorum est iudicium, sed mentis, quae saepius a visu fallitur in iudicio de rebus visis.

etiam in scenis — Sulpic. *etiam* omisit: et nemo desideraret, si abesset. De *ecphoris* vide ad libri 3 cap. 3 dicta.

ad regulam plana — In libri 3 cap. 3 est *si ad libellam columna dirigetur* de eadem re.

liquoris apparent — Post *liquoris* comma erat ponendum.

dimissi — Wrat. *demissi;* deinde post *raritatem* comma erat tollendum. Postea *a suis corporibus* Sulpic. Ceterum Vitruvius *naturae raritatem perlucidam* dicit pro *maris naturam raram et perlucidam*. At aeris est maior et raritas et pelluciditas, quae efficit, ut radii lucis a remis enatantes ad oculos, cum ad aerem pervenerint, a via priore deflectant, eoque flexu fit, ut remi ipsi oculis infracti esse videantur.

hae ibi commotae — i. e. de priore via deflexae imagines, id est radii lucis. Ceterum male Sulpic. Edd. Iocundi duae, Philandri utraque, Tornaesiana et Laetiana *hae* omittunt, quod pronomen qua auctoritate addiderit, non dixit Rode. Extat autem in Vatic. Guelf. Wrat. Cotton. nisi quod *haec* est in Cotton.

Digitized by Google

3.

videmus, utraque ratione — Vulgatum *videamus* ex Sulpic. Guelf. Wrat. Cotton. correxi. Deinde Sulp. Fran. Guelf. Wratisl. *utramque rationem.* Postea pro *videtur* est in Sulp. *ut dicitur.*

iudicia oculorum habeat aspectus — Sulpiciana dat transposita *oculorum iudicia*, Wrat. *habeant.* Sed *iudicia* non pertinent ad *oculorum*, sed *aspectus* iungendus est cum vocabulo *oculorum.*

4.

quin ad — Vaticani *quam* dant, *quod* Cotton.

aut necessitates — Dixerat ante detractiones et adiectiones fieri *ad naturam loci aut usum aut speciem*, nunc vero naturam loci et *necessitates* nominat, quae graece sunt χρεῖαι. Sic iterum est X c. 12. *reliqua quae non sunt ad necessitatem sed ad deliciarum voluptatem*, est pro χρείαν. Itaque non indigemus emendatione Meisteri, qui *excelsitates* scribi voluit in Commentariis Novis Goetting. Vol. VI p. 139.

ut nihil — Recte Wratisl. et Cotton. *uti nihil* dant.

Haec autem etiam — Sulpic. *etiam* omisit.

5.

Igitur statuenda — Capitulum hinc VIII exorditur Wratisl. *statuenda* est pro *constituenda.*

a qua sumatur — Sulpiciana cum Wratisl. *e qua.*

et locorum inum — Cotton. Wrat. copulam *et* omittunt; deinde *unum* dant Cotton. Guelf. Wrat.

et latitudinis — Haec verba omisit Sulpiciana, Fran. Cotton. Guelf. Wratisl.

cum semel fuerit constituta — Male Cotton. cum Franeck. omittit *cum;* deinde *constituta fuerit* Sulpic. Guelf. Wrat. dant. Postea *ut non sit* Sulpic.

Digitized by Google

AD CAPUT III.

Cava aedium — Cotton. *Cavae* dat; deinde *ita* ante *figurae* omittit.

De cavaedio, atrio et vestibulo cum variae et diversae fuerint atque etiamnunc sint opiniones atque interpretationes virorum doctorum, necesse est hic omnem iis de vocabulis disputationem explicare; quo facto apparebit diversam diversis romani imperii temporibus, cum locus fuisset in aedibus mutatus, atrii et vestibuli significationem fuisse. Quod cum Grammatici eosque secuti multi Vitruvii interpretes non animadvertissent, multa Vitruvii aliorumque scriptorum loca male sunt interpretati et descriptione figurarum ineptarum doctrinam Vitruvii obscurarunt potius quam illustrarunt.

Primum igitur ponam locum classicum Varronis de Lingua Latina libro 4 p. 45 edit. Bipont. quem sequentur loca Grammaticorum veterum, partim inde ducta, verum aliunde collectis veterum Grammaticorum opinionibus aucta et vitiata. Varro ita: *Cavum aedium dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem usum. In hoc locus si nullus relictus erat sub divo qui esset, dicebatur testudo a testudinis similitudine, ut est in Praetorio in castris: si relictum erat in medio, ut lucem caperet, deorsumque quo impluebat, impluvium dictum, et sursum, qua compluebat, compluvium: utrumque a pluvia. Tuscanicum dictum a Tuscis, posteaquam illorum cavum aedium simulare coeperunt. Atrium appellatum ab Atriatibus Tuscis; illinc enim exemplum sumtum. Circum cavum aedium erant uniuscuiusque rei utilitatis causa parietibus dissepta, ubi quid conditum esse volebant; a celando cellam appellarunt, penariam, ubi penus: ubi cubabant, cubiculum, ubi coenabant, coenaculum vocitabant. — Posteaquam in superiore parte coenitare coeperunt, superioris domus universa coenacula dicta. Posteaquam ibi coenabant, plura facere coeperunt, ut in castris ab hieme hiberna, hibernum domus vocarunt: contra aestivum.*. Caetera ibi desunt; et

Digitized by Google

quae supersunt, nondum satis expolita habemus Criticorum diligentia. In Editione Parmensi anni 1480 nihil varietatis reperi, nisi quod habet *Praetorio et castris — lucem caperent — dictum, susum, qua compluebat, — erat uniuscuiusque — posteaquam ubi coenabant.* Turnebus ad hunc locum annotavit in urbe compluvium et impluvium esse, quod in villa cohortem, et in Glossariis compluvium reddi *καταύλυστρον καὶ μέσαυλον.* Contra Scaliger cavum aedium interpretatur Graecorum *τὴν μέσαυλον*; de qua videbimus infra ad Vitruvium. Quod ad Turnebi annotationem attinet, lectorem admonebo, etiam in villae cohorte compluvium memorari a Varrone R. R. I, 13, 3. *cohortes in fundo magno duae aptiores, una ut interius compluvium habeat lacum, ubi saliat aqua.* ubi Edd. primae habent *interdius*, quod nisi probes, interius compluvium erit explicandum de cohorte interiore in compluvio. Sed *interdius* est h. l. positum ut *sub divo* in priore Varronis loco. Ceterum lectorem recordari velim Varronem primo loco de cavo aedium, altero vero deinde de atrio docere; plane eundem docendi ordinem Vitruvius hoc loco tenuit.

De atrio Festus ita tradit: *Atrium proprie est genus aedificii ante aedem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit. Dictum autem atrium, vel quia id genus aedificii Atrii primum in Etruria sit institutum, vel quia a terra oriatur, quasi aterreum.* Quorum pars a Varrone translata est, altera aliunde accessit, utraque plane falsa, ut recte animadvertit Scaliger, qui *atrium* docet ex graeco *αἴθριον* factum esse, quo vocabulo atrium significat praeter Dionysium Halicarnassensem Iosephus Antiquit. libro 3, 10, 3. 3, 6, 2 et 19, 1, 3.

Servius in Commentariis ad Virgilii Aen. I, 730 ubi convivium celebratur et est: *vocemque per ampla volutant atria*, ita tradit: *Nam, ut ait Cato, et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui. — Ibi etiam pecunias habebant: unde etiam qui honoratiores servi erant, liminum custodes adhibebantur. — Ibi et culina erat: unde et atrium dictum est: atrum enim erat ex*

Digitized by Google

fumo. Alii dicunt Atria Etruriae civitatem fuisse, quae domos amplis vestibulis habebat, quae cum Romani imitarentur, atria appellaverunt. Alii atria magnas sedes et capacissimas tradunt: unde atria Licinia et Atrium Libertatis. Vides atrium a Catone in interiore aedium parte poni, ubi antiqui coenarent. Etymologiam vocabuli alteram a Varrone sumsit Servius, alteram ineptissimam nescio unde attulit. Tertiam interpretationem ex usu recentiore traxisse videtur, ad quem pertinet etiam *atrium auctionarium* in Inscriptione Muratoriana p. 482 no. 2. Ibidem p. 314 no. 2 est: *atrium refecerunt et vermiculum straverunt, item pavimentum spicam straverunt et sedilia circumitum refecerunt.*

De atrio et servo atriensi idem Servius repetit ad 9, 648 verba *fidusque ad limina custos* haec: *aedituus fuit, quod, ut supra diximus, in ingenti honore apud maiores fuit. Illic enim et epulabantur et deos colebant. Census etiam omnis illic servabatur; quod et Plautus docet in Asinaria, in qua inducit Sauriam servum atriensem in tota familia plurimum posse.* Servius *aedituum* pro atriensi posuit; aut potius quaedam de atrio interposita a Servio exciderunt, sine quibus locus non poterat intelligi, nisi redieris ad illum superiorem, positum ad Aen. 1 vers. 730. Atriensis servi munus Plautus Asinariae II, 1, 16 *atriensem Sauream* nominans in reliqua fabula significavit; in Pseudoli II, 2, 14 est: *condus promus sum, procurator peni. Quasi te dicas atriensem. Imo atriensi ego impero.*

Plinius libri 17 cap. 24 sect. 21 *compluviata vitis*, inquit, *dicta a cavis aedium compluviis. Dividitur in quaternas partes totidem iugis.* quam Harduinus *Treille à quatre pentes* interpretatur. Varro R. R. 1, 8, 2. *iugationis species duae, una directa, altera compluviata, in longitudinem et latitudinem iugata vite.* ubi iugationi compluviatae opponitur directa vel erecta, uti Vitruvius cavaedio displuviato assignat compluvia erecta. Columella 4, 26, 3 et 4, 28, 14 eadem *iugorum compluvia* in vite accurate descripsit.

Digitized by Google

Alter Plinii locus de cavaediis compluviatis est libri 19 c. 1 *rubent vela in cavis aedium et muscum a sole defendunt.* Tertius est libro 17 sect. 1. ubi refert *columnas quatuor marmoris Hymettii in atrio domus Crassi statutas.* Vides hic atrium esse et dici, quod Vitruvius cavum aedium tetrastylon vocavit. Idem Plinius 36 s. 2. Lucullei marmoris statuas duodequadragenum pedum in atrio Scauri positas memorat; et sect. 3. *quis enim*, inquit, *tantarum hodie columnarum atrium habet?* Antea libro 35 s. 2. *Aliter*, inquit, *apud maiores in atriis haec erant, quae spectarentur, non signa externorum artificum nec aera aut marmora; expressi aere vultus singulis disponebantur armariis. — Tablina codicibus implebantur et monumentis rerum in magistratu gestarum.* Idem de frequentia statuarum Romanis positarum 34 sect. 9 *mox forum et in domibus privatis factum atque atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos.* Idem denique 34 s. 13 statuam equestrem in vestibulo Superbi domus memorat; ubi vestibulum notione antiqua dictum videtur.

Verum de atrio L. Crassi oratoris tetrastylo illo addere oportet locum alterum Plinii 36 sect. 3. *Iam L. Crassum oratorem illum, qui primus peregrini marmoris columnas habuit in eodem Palatio, Hymettias tamen nec plures sex aut longiores duodenum pedum, M. Brutus in iurgiis ob id Venerem Palatinam appellaverat.* Eundem numerum posuit sect. 24 no. 7. *in ea civitate, quae sex Hymettias non tulerat sine probro civis amplissimi.* et in hoc seno cum Plinio consentit Valerius Maximus IX, 1, 4. Post haec scripta reperi locum Asconii Pediani ad Ciceronis Orat. pro Scauro p. 176 ed. Lugd. 1675. *Demonstrasse vobis memini me, hanc domum* (Scauri) *in ea parte Palatii esse, quae cum a sacra via descendens, et per proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est. Possidet eam nunc Longus Caecina, qui Consul fuit cum Claudio. In huius domus atrio fuerunt quatuor columnae marmoreae insigni magnitudine, quae nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur: usus erat iis Aedilis, ut ipse quoque significat, in*

Digitized by Google

ornatu theatri, quod ad tempus perquam ampla magnitudine magnum fecerat. ubi *regiam* interpretatur basilicam Ernesti Excursu V ad Suetonii Aug. c. 31. Denique locum apertum cavaedii significat atrium manifesto in loco Plinii 14 sect. 3. ubi memorantur *vites improbo reptatu pampinorumque superfluitate, amplo discursu atria media complentes.*

In Livii historia romana dum vestigia atriorum mentionis eorumque usus ex antiquissima aetate persequerer, hi mihi loci annotatione digni visi sunt. Primus est I, 57 de Lucretia: *sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt.* Cum quo loco recte iam olim Lipsius Electorum I c. 17 comparavit Asconii annotationem ad Orationem Ciceronis pro Milone cap. 5. ubi est: *Omni vi ianua expugnata et imagines maiorum deiecerunt et lectulum adversum uxoris eius Corneliae, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt, itemque telas, quae ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt.* Idem testatur Arnobius adv. Gentes 2 p. 91 *matres familias vestrae in atrio operantur domorum, industrias testificantes suas.* Apparet atrium in medio aedium collocari a Livio.

Alter locus est 24 c. 16 ubi Libertatis aedem a patre Ti. Gracchi factam in Aventino memorat; huic deinde atrium additum, de quo idem 25, 7 *custodiebantur* (obsides Tarentini) *in atrio Libertatis minore cura.* De quo est etiam locus Ovidii Tristium III, 1, 71.

Nec me, quae doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere passa sua est.

Idem atrium refectum et amplificatum memorat 34, 44. atrium publicum in Capitolio 24, 10. alia duo privata 39, 44. ubi est: *Cato atria duo Maenium et Titium in Lautumiis et quatuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quae Porcia appellata est.* De domorum privatarum atriis Livium loqui docet locus Asconii ad Ciceronis Divinationem c. 16. *Maenius*, inquit, *quum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut*

Digitized by Google

ibi basilicam aedificarent, exceperat ius sibi unius columnae, super quam tectum proiiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri eius spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Sed miiari licet, cur atria Maenii et Titii Livius non domos nominaverit. Causam in sermone antiquo requirere debemus, qui partem domus praecipuam, cui adiuncta erant cubicula, cellae et coenacula ita, ut aditus ad omnia ea membra ex atrio pateret, pro tota domo frequentasse videtur. Atque hinc esse suspicor, quod Livius *atrium regium* nominat 26, 26 de quo iterum 27, 11 *locaverunt reficienda quae circum forum incendio consumta erant, septem tabernas, macellum, atrium regium.* quod viri docti interpretantur de regia domo Tarquinii Superbi, quae collocatur in regione urbis octava.

Suspicor huc pertinere fragmentum libri Varroniani apud Nonium in verbo confuto, ubi est: *Harum aedium summa atria confutabant architecti omnes.* Nonius verbum interpretatur *confundebant, committebant.* Postremus locus Varronis de atrio est de L. L. 7 p. 110 ed. Bip. *in aedificiis quod non videmus habere atrium περιστυλον similitudinem, et cubiculum ad aequale.* quae Scaliger ita scribenda esse censuit: *In aedificiis quid? non videmus habere atrium peristylii similitudinem et cubiculum aediculae?* Sed postrema verba nondum mihi persanata videntur; vel sic tamen atrii similitudinem cum graeco peristylio Varro agnovisse videtur.

Ciceronis est locus in Epistola ad Quintum fratrem 3 Ep. 1. *Quo loco in porticu te scribere aiunt ut atriolum fiat, mihi, ut est, placebat magis; neque enim satis loci esse videbatur atriolo. Neque fere solet nisi in his aedificiis fieri, in quibus est atrium maius: nec habere poterat adiuncta cubicula et eiusmodi membra.* Apparet ex hoc loco Ciceronis etiamnum aevo atrium fere significasse id quod ait Varro, sed hic circa cavaedium cellam, cubicula et coenacula fuisse ait, Cicero vero atrium maius et minus adiuncta habuisse cubicula, cellas et coenacula, quae vocabulo *membra* designat. Deinde ex Varronis primo loco conficitur facili argu-

Digitized by Google

mentatione, locum in cavaedio qui esset sub divo, *compluvium* fuisse dictum, *Tuscanicum* etiam a Tuscis, *atrium* vero ab Atriatibus Tuscis. Ita Plinius *cava aedium compluvia* nominavit, quae eadem esse videntur, quae Varro in fragmento dixit *aedium* (addo *cavi*) *summa atria confutata* ab architectis omnibus. Vitruvius quinque genera structurae cavi aedium edit, *Tuscanicum*, vetustissimum, *Corinthium*, *Tetrastylum*, *Displuviatum*, *Testudinatum*, quorum primum et postremum agnovit et nominavit Varro. Cavum aedium Vitruvius prius nominat et structuram eius absolvit, deinceps vero atrium aggreditur, postea alas, tablinum et peristylium; in ipsa tamen cavi aedium Tuscanici tractatione atrii meminit et trabium *in atrii latitudinem traiectarum.* Similis est locus sect. 6. *Compluvii lumen latum latitudinis atrii ne minus quarta, ne plus tertia parte relinquatur, longitudo uti atrii pro rata parte fiat.* ubi temere Iocundus contra fidem librorum scriptorum Vatic. Guelf. Wrat. et Sulp. *impluvii* dedit; quo facto dubitationes virorum doctorum movit et auxit; qui atrium rem plane diversam a cavo aedium putaverunt. De qua opinionum diversitate ordine tradam, posteaquam Virgilii locum expediero.

Virgilius igitur, ubi Priami regiam aggressus Pyrrhus portam effregerat, de interiore regia ita narrat libri II versu 483 seqq.

> *Apparet domus intus et atria longa patescunt,*
> *Apparent Priami et veterum penetralia regum,*
> *Armatosque vident stantes in limine primo.*
> *At domus interior gemitu miseroque tumultu*
> *Miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes*
> *Femineis ululant.*

Irrumpenti igitur Pyrrho primum occurrebant et apparebant *longa atria ante Priami regiam et penetralia*, quorum in limine, id est ad fores, armati stabant Troiani: interiora domus designat vocabulis *cavae aedes*, quae *cavaedium* vel *cavum aedium* significant, quanquam Servius *tecta camerata* non satis proprie

Digitized by Google

interpretatur. Vides igitur *atrium longum* primo loco, *cavum aedium* posteriore et in interiore domo commemoratum a Virgilio, cum Varro et Vitruvius contra cavum aedium priore, atrium posteriore loco nominent. Poeta igitur aut mutatam cum loco et novam atrii significationem secutus est, aut potius morem Graecorum aedificiorum respexit. Nam Graeci, auctore Vitruvio 6, 10. *atriis non utuntur neque romanis moribus aedificant, sed ab ianua introeuntibus itinera faciunt latitudinibus non spatiosa.* Haec igitur itinera poeta possit videri *atria longa* vocasse. Idem in regia Didonis *ampla atria* nominat 1 v. 729. Priami filius sauciatus a Pyrrho *Porticibus longis fugit et vacua atria lustrat* 2, 528. Ex loco 4, 665 *it clamor ad alta atria: concussam bacchatur fama per urbem*, nihil certi licebit arguere de positione atriorum; quanquam etiam ibi primam et anteriorem aedium partem occupare videntur. Libri 7 versu 379 est de turbine: *quem pueri magno in gyro vacua atria circum intenti ludo exercent.* ubi nuperus Interpres *ante domum* explicat verba *vacua circum atria.* Libro denique 12, 473 est: *nigra velut magnas domini cum divitis aedes pervolat et penitus alta atria lustrat hirundo, pabula parva legens nidisque loquacibus escas; et nunc porticibus vacuis nunc humida circum stagna sonat:* ubi poeta villae atria potius quam urbanae domus cogitasse videtur. Morem Graecorum poeta magis sequitur 3, 354. *Illos porticibus rex accipiebat in amplis: aulai in medio libabant pocula Bacchi, impositis auro dapibus, paterasque tenebant.* Graeci enim in aula coenare solebant, ut infra ad cap. 10 demonstrabo, ut Romani antiqui in atrio. Servius igitur ad h. l. annotavit: *Aula proprie dicitur, quae concluditur porticibus quatuor: unde superius porticibus dixit.*

Nunc redeo ad enarrandas Interpretum Vitruvianorum opiniones diversas. Et primum Philander de atrio posuit loca Festi, Servii et Gellii 16 cap. 6 ipse suam de similitudine aut diversitate atrii et cavi aedium opinionem non prodidit, nisi quod annotationem ita exorditur: *Statim ab interiori ianua introeunti-*

Digitized by Google

bus occurrit atrium, aedificium continens aream, in quam collecta (inquit Sextus Pompeius) ex omni tecto pluvia descendit.

Hoc item initium annotationis suae fecit Dan. Barbarus, tum ita pergit: *Tectum autem est atrium, in medio primariam ianuam habet* et cet. *Habet atrium dextra ac sinistra alas, quae Graece pteromata dicuntur. Quod vero atrium sit proximum aedificium, quod anteriori ianua introeuntibus occurrat, ostendit Vitruvius octavo huius voluminis, cum dicit: atria in urbe proxima iannis esse solent. Quod autem atrium tectum esset, similiter superiore capite innuit, cum dicit: trabes in atrii latitudine traiectae. Quod demum atrium et cavaedium idem fere sint, pari ratione inferius significabit, cum dicet: loca esse quaedam in aedibus communia, quibus etiam invocati suo iure de populo possunt venire, id est vestibula cava aedium, peristylia, quaeque eundem possunt habere usum. Et sequitur: Igitur his qui communi sunt fortuna, non necessaria magnifica vestibula nec tablina neque atria. Ecce quod hic atria dicit et non cava aedium, ut supra.*

Hucusque Barbarus, qui tamen non dixit, quid simile et commune aut dissimile et diversum habeat atrium cum cavo aedium. Posuerat enim *quod — idem fere sint.* Sed idem lectorem inducit in errorem, dum statim ab initio verbis Philandri usus affirmat: *Atrium statim ab interiore ianua introeuntibus occurrit;* deinde vero de suo subdit: *quod atrium sit proximum aedificium, quod anteriori ianua introeuntibus occurrat.* Quae sententiae duae invicem sunt contrariae.

Baldus de cavo aedium posuit locum Varronis de L. L. sed non integrum, quem cum doctrina Vitruvii bene congruere ait. Addit cavaedium, si compluviatum sit, nempe sub divo, *cortile* Italis dici, si vero testudinatum, *anditum* appellari; illud magnificis aedibus, hoc vero privatis domibus familiare esse. *Quid sit atrium,* inquit, *vix liquet. Arbitrāmur nos, vetera atria nostrarum aedium parti illi respondere, quam vulgo Anditum dicimus, Audatam Caminatamve; quae quidem prima post*

Digitized by Google

ingressum ostii introgredientibus occurrit, eaque non quidem subdivalis, sed tecta et concamerata. — Multi quoque pro vestibulo accipiunt; et sane inter atrium et vestibulum grandis affinitas intercedit.

Hucusque Baldus, qui locum Varronis recte interpretari atque inde proficere non potuit, sed posteriori Barbari sententiae accessit, lectore non admonito de ea re, qua simile sit aut differat a cavo aedium atrium.

Perraltus diversam opinionem secutus est eamque exposuit p. 208 his verbis: *Les raisons qui m'ont fait croire que Cava aedium étoit chez les Anciens, ce que nous appellons la Cour dans nos maisons, sont premièrement que le nom latin exprime fort bien la chose; parceque supposé qu'il y ait plusieurs corps de logis qui enfermant un quarré ou quelque autre figure, composent une maison, il est vrai de dire que le milieu qui est enfermé entre ces corps de logis qui tous ensemble forment la maison, est le creux, le cave ou le vuide de la maison; ce qu'une salle ou un vestibule couvert, tels que sont ceux que Barbaro et Palladio donnent pour des Cavaedium, ne sçauroient signifier: parceque la cavité de cette salle ou vestibule, n'est point la cavité de la maison plutôt qu'une grande chambre, ou qu'une salle de bal: mais la cour qui est environnée de tous les corps de logis, et qui est découverte, est une cavité et un creux à l'égard de tous les corps de logis, et qui est découverte, est une cavité et un creux à l'égard des corps de logis qui s'élevent tout à l'entour. En second lieu il faut considerer que les differences qui font les cinq espèces de Cavaedium que Vitruve décrit, sont prises du medium compluvium ou chêneau qui dans le Cavaedium Toscan est sur des poutres qui font un auvent; dans le Cavaedium Corinthien, sur des poutres soutenues par des rangs de colonnes; dans le Cavaedium Tetrastyle, sur des poutres soutenues par quatre colonnes; dans le Cavaedium vouté, sur le mur d'un appartement soutenu sur des arcades; et dans le Cavaedium decou-*

Digitized by Google

vert, sur le mur même qui fait la face interieure du Cavaedium, lequel n'a point d'autre saillie que celle de son entablement. Or il est évident que ce chêneau ne sçauroit être dans un vestibule couvert, tels que sont la plupart des Cavaedium selon Barbaro et Palladio, qui font entendre par leurs figures, que le medium compluvium étoit un grand reservoir posé sur le plancher du vestibule.

Deinde ad verba Vitruvii *in atrii latitudinem* ita commentatur: *Atrium est ici mis generalement pour tout le dedans des maisons et il est aisé d'entendre à quelle partie de la maison il le faut particulierement appliquer: c'est pourquoi je n'ai point fait de difficulté d'expliquer Atrium, la Cour, quoique particulièrement et proprement il signifie autre chose, comme il sera dit ci-après. Virgile a pris ce terme dans la même signification que Vitruve, quand il a écrit* porticibus longis fugit et vacua atria lustrat. *et ensuite:* apparet domus intus et atria longa patescunt. *Car il est aisé de voir que Virgile en cet endroit entend par atria tout ce qui se peut voir au dedans d'une maison par la porte, quand elle est ouverte, qui est la cour et les vestibules.* De atrio vero p. 212 ita tradit: *J'ai choisi le mot (vestibule) qui est en usage en françois, que j'ai pris pour traduire le mot Atrium. Car notre mot de vestibule signifie quelque autre chose que le vestibulum des Latins, et je crois que nos vestibules sont proprement ce qu'étoit l'Atrium que Vitruve decrit ici. — Scamozzi brouille encore davantage tout cela; car il ne distingue point les Atrium de Vitruve de ses Cavaedium, en sorte qu'il attribue au Cavaedium les proportions qui sont ici données à l'Atrium, sans dire sur quoi il se fonde. Barbaro et Palladio après lui croient que Cavaedium et Atrium sont deux espèces de Vestibules, en sorte que Atrium est un Vestibule couvert, et Cavaedium un vestibule qui est quelquefois couvert et quelquefois découvert: ce qui ne peut être vrai dans le sens de Vitruve, qui après avoir parlé des cinq espèces de Cavaedium fait un chapitre à part pour l'Atrium dont la description est tout-à-fait differente de celle des Cavaedium: parcequ'à toutes*

Digitized by Google

les espèces d'Atrium, il met deux rangs de colonnes, qui forment deux ailes, c'est à dire trois allées, une large au milieu et deux étroites aux côtés; ce qui n'a aucun rapport avec les figures des cinq Cavaedium qui sont décrits dans ce chapitre.

Diversitatem igitur cavaedii et atrii bene quidem animadvertit Perraltus, sed in eo, quod facit discrimen, definiendo aberravit; collocavit enim in Tabula LIII, orthographiam cavaedii et atrii sistente, cavaedium in loco anteriore B, atrium vero in posteriore regione separatim CCCC cum compluvio medio DD. Idem fecit Iocundus in pictura p. 63 apposita, ubi vestibulum in ipso domus aditu positum conspicitur; sequitur atrium, ex eo patet iter in cavaedium multo maius columnis circumdatum seu peristylum.

Galiani primum de eo queritur, qui Caput vulgo IV separaverit a tertio, et errori occasionem praebuerit virorum doctorum, qui cavaedium diversum putarent ab atrio, cum res sit una eademque. Pergit ita: *Ma è da riflettersi, che siccome nel capitolo antecedente aveva l'Autore distinte le cinque diverse spezie d'atri, passa saviamente a darne le proporzioni, e sono quelle, che si trovano con questa falsa divisione di capitoli esposte in questo separato. Vi voleva poco a comprendere questo, e a conoscere, che atrium e cavaedium sieno una stessa cosa.* Deinde utitur iis locis, quae posuerat Barbarus, ut demonstret, cavaedium ab atrio non esse diversum. In orthographia aedium Tabulae XIX vestibulum primo loco, deinceps atrium sive cavaedium, tertio loco interius peristylium multo maius collocavit, plane uti fecerat ante Iocundus, nisi quod is partem eam, quam Galiani peristylium voluit esse, cavaedium peristylum vocavit. Galianum sequitur Rode, qui capitum sublata vulgari distinctione, quae post Iocundum demum fuit facta, locum ita vertit: *Toscanische Höfe sind diejenigen, wo in die Balken, welche nach der Breite des Hofs hervorspringen, Stichbalken eingezapft und Kehlrinnen angebracht sind.* Locum vero sect. 6 ita pervertit: *der Oefnung des unbedeckten mittlern Hof-*

Digitized by Google

raums (impluvii) *Breite sey weder kleiner als ein Viertel noch gröſser als ein Drittel der Hofbreite: die Länge derselben sey verhältniſsmäſsig der Hoflänge* (atrii) *gleich.*

Miror viros doctos Galianum, Rodium, et qui eos sequuntur, tam valido fuisse stomacho, ut ineptias istas concoquerent, aut tam ineptum habuisse Vitruvium, cui absurditatem dictionis tam enormem imputarent. Quid enim in architecto absurdius cogitari potest, quam in Tuscanico cavaedio iubere trabes *in atrii latitudine* traiicere, et in Corinthiis iisdem rationibus trabes collocare, si voluit atrii nomine ipsum cavaedium Tuscanicum intelligi. Quidni enim dixit *in sua latitudine traiectae?* Cur idem deinde sect. 3 atriorum longitudines et latitudines tribus generibus describit? cum, si res non est diversa, iam antea in cavaediorum descriptione satis sit definita latitudo. Ex latitudine et longitudine atrii porro definitur magnitudo alarum, tablinique; quarum partium mentio in cavaedio non est facta; denique compluvium in cavaedio aeque ac in atrio nominatur; igitur utrique commune esse debet. Breviter ut dicam, omnia loca loquuntur clarissime cavaedium esse habendum pro toto eo spatio, quod inter aedes medium est conclusum et superne tectum usque ad medium compluvium, quod sub divo recipit impluentem aquam coelestem; atrium est ea pars cavaedii, quae subiecta tecto incumbenti et ad medium usque compluvium procurrenti complectitur alas et tablinum. Hinc est compluvium commune atrio et cavaedio; hinc cavaedii trabium traiectarum latitudo ex latitudine subiecti atrii definitur.

Quod attinet ad loca Virgilii, iam olim in Epimetro ad Xenophontis Memorabilia p. 275 comparavi loca scriptorum Graecorum, qui aram in aula Iovis Hercei collocant, ad quam Priamus confugiens a Pyrrho fuit occisus. Hinc Virgilius Aeneidis 2, 512 *aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus incumbens arae, atque umbra amplexa Penates.* Ibi considens Priamus filium Politen saucium a Pyrrho insequente ante pedes suos concidere vidit versu

Digitized by Google

526 seqq. *Ecce autem Pyrrhi de caede Polites — per tela, per hostes porticibus longis fugit et vacua atria lustrat saucius.* Ubi porticus sunt Homeri αἴθουσα quae αὐλὴν cingit. In compluvio deorum Penatium propria sedes fuit apud Romanos; unde compluvium deorum penatium dixit Suetonius Augusti c. 92.

Domus Graecorum privatae cum romanis mihi convenire visae sunt ibidem p. 277 peristylio seu peristoo in mediis aedibus concluso; sed differebant partium et cubiculorum descriptione et distributione in andronitin et gynaeconitin; hinc graeca domus duplex peristylium, romana unum habebat. Deinde maxime romana differebat tablini et atriorum in cavaedio dispositione et usu ad imagines maiorum collocandas, ad clientes patronum suum colentes et ad populum magistratus et optimates salutantem aut iuris consultos consulentem admittendum. Hinc esse puto factum, ut Diodorus Siculus nescio quo auctore 5 cap. 40 Etruscis peristylii usum quasi peculiarem assignaret: ἔν τε ταῖς οἰκίαις τὰ περίστοα (eadem sunt περίστυλα) πρὸς τὰς τῶν θεραπευόντων ὄχλων παραχὰς ἑξεῦρον εὐχρηστίαν παρέχοντα. ubi versio latina male habet: *porticus ad avertendum turbae servorum et clientum strepitus et molestias.*

Cum atrio peristylium fuisse coniunctum praeter cubicula et exedras docet locus Quinctiliani Instit. Orat. XI, 2. 20 ubi de arte memoriae tradit: *Primum sensum vel locum vestibulo quasi assignant, secundum atrio, tum impluvia* (atrii) *circumeunt, nec cubiculis modo aut exedris, sed statuis etiam similibusque per ordinem committunt.* Ita enim pro vulgato *stratis* ex Gothani *status* vestigiis scribendum esse recte monuit Clavis Ciceroniana sub vocabulo *Impluvium.* In peristylio inter columnas signa statuebant opulentiores et elegantiores Romani, uti Verres, de quo Cicero Verrin. I, 23 *ne haec quidem duo signa pulcherrima, quae nunc ad impluvium tuum stant.* De iisdem signis Samiis, a Verre sublatis Samo, est cap. 19 *illa quaero, quae apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in silva denique disposita sub divo vidimus:* et paulo postea: *nullum*

Digitized by Google

signum domi reliquisti praeter duo, quae in mediis aedibus sunt, quae ipsa Samo sublata sunt. Columnas et peristylium cum impluvio coniungit locus cap. 56 *ostendam in aedibus privatis longa difficilique vectura columnas singulas ad impluvium, H. S. quadragenis millibus non minus magnas locatas.*

Superest locus Plinii iunioris II Epist. 17 sect. 4. *Villa usibus capax non sumptuosa tutela: cuius in prima parte atrium frugi nec tamen sordidum: deinde porticus in D literae similitudinem circumactae, quibus parvula sed festiva area includitur, egregium adversus tempestates receptaculum. Est contra medias cavaedium hilare: mox triclinium satis pulchrum, quod in littus excurrit.* Post pauca iterum: *a tergo cavaedium, porticum, aream: porticum rursus, mox atrium, sylvas et longinquos respicit montes.* Vides hic atrium a cavaedio loco et usu plane diversum, et quidem geminum utrumque, ita ut atrium utrinque sit extremum, quod excipit utrinque porticus. Hinc esse puto, quod idem V Epist. 6 sect. 15 *multa in hac villa membra: atrium etiam ex more veterum: ante porticum xystus concisus in plurimas species distinctusque buxo.* Apparet *atrium more novo* fuisse diversum a veteri atrio. Atrium Vestae commemorat VII, 19. *Nam virgines* (vestales) *cum vi morbi atrio Vestae coguntur excedere, matronarum curae custodiaeque mandantur.* Hoc atrium antiquo more fuisse structum videtur ad templum Vestae; ritum enim maiorum in aedibus sacris religionibus retinere cogebantur. In atrio igitur Vestae cubicula erant disposita, ubi habitarent virgines Vestales.

Constat igitur vel ipso Plinii iunioris testimonio, atrium aliter olim, aliter post Vitruvii aevum Plinii iunioris temporibus fuisse dictum et in aedibus collocatum, ita ut cavaedio demum plane esset diversum. Itaque non mirum est dubitationes et errores varios hinc esse subortos viris doctis, qui usum diversum loquendi non animadverterant. Idem error eademque dubitatio obvenit iam olim viris doctis. Si enim atrii locus et nomen idem semper mansisset, qui fieri potuisset, ut Grammatici dubitare possent, quae.

Digitized by Google

domus pars atrii nomine esset intelligenda. Attamen Gellius 16 cap. 6 refert nonnullos existimasse primorem partem domus, quae atrium vulgo diceretur, vestibulum esse.

Videtur igitur, mutato atrii loco, etiam vestibuli significatio locum mutasse. Olim Festus sub voce Forum annotavit haec: *Quarto modo forum dicitur, cum id forum antiqui appellabant, quod nunc vestibulum sepulchri dici solet.* Sic est sepulcri vestibulum in Cicerone de Legibus 2, 24. Nonius Grammaticus sub eadem voce ita tradit: *Vestibula quidam putant sub ea proprietate distincta, quod in primis ingressibus et in spatiis domorum Vestae hoc est arae ac foci soleant haberi.* (Cf. Ovidii Fastorum VI, 303.) — *Invenitur etiam apud veteres doctos vestibula ob eam significantiam dicta, quod in his locis ad salutandos dominos domorum quicunque venissent stare solebant, dum introeundi daretur copia: atque ob hanc cognitionem* (*constitionem* vel *constitutionem* corrigunt) *et quasi stabulationem primos ingressus domorum vestibula nominatos.* Subiunxit locum Ciceronis Oratoris cap. 15. *vestibula aditusque ad causam faciat illustres.* unde patet vestibula esse partem primam domus; alias enim illustris dici non poterat. Livius 5 c. 41 capta Roma a Gallis principes Romanorum *medio aedium in eburneis sellis sedisse* refert. Gallos contra ait, plebis aedificiis obseratis, *patentibus atriis principum*, maiorem prope cunctationem tenuisse aperta quam clausa invadendi: adeo haud secus quam venerabundos *intuitos in aedium vestibulis* (stantes) *sedentes viros.* Contra alii vestibulum non partem domus faciunt, sed locum ante aedes esse statuunt. Gellius l. c. Caecilio Gallo auctore refert: *Vestibulum non esse in ipsis aedibus nec partem aedium, sed locum ante ianuam domus, per quem a via aditus accessusque ad aedes sit, in quo quidem inter viam et fores loco salutatores et clientuli patronos praestolarentur, ut deducerent.* Sane locum ante fores esse docet locus Plauti in Mostellaria a Baldo positus 3, 2, 132.

Viden' vestibulum ante aedes et ambulacrum eiusmodi?

Digitized by Google

Addit locum Ciceronis pro Caecina c. 12 *non modo limine tectoque aedium tuarum sed primo aditu vestibuloque prohibere.* et cap. 31 *tam te in aedes restitui oportere si e vestibulo quam si ex interiore aedium parte deiectus sis.* denique locum ex quinta Verrina c. 67, ubi Sicilia Italiae vestibulum audit, ab Italia tamen divisa mari. Accedat locus Ciceronis pro Coelio c. 26 *si essent in vestibulo balnearum, non laterent: sin se in intimum conii-cere vellent, nec satis commode calceati et vestiti id facere possent.* ubi videtur apodyterium esse, ubi vestes deponebant. Pro Milone cap. 27. *parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, ut sororem non modo vestibulo privaret sed omni aditu et limine.* Varro de L. L. 6 p. 96 ed. Bipont. *qui exit in vestibulum, quod est ante domum, prodire dicitur.* Columella 8, 4, 6 *habeat tamen etiam clausa* (ornithone) *amplum vestibulum, quo prodeat et ubi apricetur, idque sit retibus munitum.* Idem tamen Columella 8, 3, 5 vestibula praeponit parietibus excavatis vel qualis vimineis, per quae gallinae ad cubilia perveniant. item 8, 8, 3. vestibula praeponit columbariis, per quae ad cubilia perveniant columbae. Denique 9, 12, 1. *vestibulum evadit apis*, foramini alvearii praepositum. Vitruvius vestibula utraque significatione posuisse videtur, ita ut in aedibus urbanis domus primorem partem, in villis autem locum ante aedes intelligi vellet. Ita enim cap. 5 (vulgo 8) est: *Communia autem sunt quibus etiam invocati suo iure de populo possunt venire, id est vestibula, cava aedium, peristylia, quaeque eundem habere possunt usum. Igitur his qui communi sunt fortuna, non necessaria magnifica vestibula nec tablina neque atria, quod hi aliis officia praestant ambiundo, quae ab aliis ambiuntur. Qui autem fructibus rusticis serviunt, in eorum vestibulis stabula, tabernae: in aedibus cryptae, horrea, apothecae. — Nobilibus vero — facienda sunt vestibula regalia, alta atria et peristylia amplissima, silvae, ambulationesque laxiores, ad decorem maiestatis perfectae. — praeterquam quod in urbe atria proxima ianuis esse solent, ruri vero pseudourbanis statim peristylia, deinde tunc*

Digitized by Google

atria habentia circum porticus pavimenta spectantia ad palaestras et ambulationes. Iterum *vestibula egregia* commemorat in domus graecae parte ea, quae andronitis audiebat. Capite enim vulgo X. *Habent autem eae domus vestibula egregia et ianuas proprias cum dignitate, porticusque peristyliorum.* Denique in Praefatione libri VII. *Eleusine Cereris et Proserpinae cellam immani magnitudine Ictinus Dorico more sine exterioribus columnis ad laxamentum usus sacrificiorum pertexuit. Eam autem postea — Philon ante templum in fronte columnis constitutis prostylon fecit: ita aucto vestibulo laxamentum initiantibus operique summam adiecit auctoritatem.* ubi vestibulum manifestum est poni pro pronao templi. Ita Cicero Verrin. II, 66 ante ipsum Serapim, *in primo aditu vestibuloque templi.*

Baldus in Lexico nihil de vestibuli situ formave definiit, sed positis locis variis scriptorum sibi invicem contrariis: *Quicquid*, inquit, *tamen sit, vestibulum extra domus seu aedium septa fuisse certum est.* Plinius iunior in eadem villae descriptione II Epist. 17 vestibulum semel omnino nominat s. 15. *Hac facie coenatio remota a mari fruitur: cingitur diaetis duabus a tergo, quarum fenestris subiacet vestibulum villae et hortus alius pinguior et rusticus.* ubi apertum esse videtur locum extra domum intelligi; quae videtur significatio Plinii aevo usu sola frequentata fuisse.

Desinam in mentione libri *D. Pietro Marquez* Romae editi 1795 *Delle Case di Città degli antichi Romani*, cuius auctor multa de cavaediis disputavit, quae partim repetita esse in libro ibidem 1796 edito: *Delle Ville di Plinio — con un appendice sugli Atrj della S. Scrittura, e gli Scamilli impari di Vitruvio*, didici e relatione Goettingensi anni 1798 No. 90 p. 893. ubi viri docti opinio nunciatur hic verbis: *Das Cavaedium ist kein Vorhof, sondern eine kleine Halle beym Eingange des Hauses nach Art der Pavillons der Neuern. H. M. giebt ihm die Gestalt eines Pavillons von 4 Säulen in einem Halbzirkel, dergleichen er auch beym Eingange zu den Bädern des Titus angegeben hat.* De atrio vero haec eius opinio refertur p. 895. *Was atrium ex*

Digitized by Google

more veterum bey Plinii Villa Tusculana sey. Bey den Alten war atrium nichts anders als ein cavaedium. Erst zu Vitruvs Zeiten ward atrium und cavaedium unterschieden. Der Verf. zeigt, dafs nach der angegebnen Einrichtung dieser Villa sich auch kein schicklicher Platz zu einem Vitruvischen atrium findet. De argumentis, quibus vir doctus opinionem firmare conatus est, nihil relatum reperi; quam ob rem iudicium ferre ea de re mihi lubricum videtur negotium. Hoc tamen videor mihi videre, virum doctum ultra vulgarem Interpretum Vitruvianorum doctrinam sapere non esse ausum, quae quam infirmis nitatur fulcris, docere hucusque conatus sum. Nunc ad Vitruvii reliquam orationem transeo explicandam.

interpensiva — Hermolaus Barbarus ait esse tigilla aut asseres ab angulis parietum ad angulos tignorum interclusos ad imbres in colliquias derivandos, vel alium quemvis ad usum, quasi ea quae Graeci vocant *κρεμαστήρια*. Interpensivos vero parietes esse, qui supra contignationem struantur, nec in solo fundamenta habeant. Philander eo nomine etiam dici credit ligna quaedam, fulcra stillicidiorum: aut quorum pars traiectas et alioquin veluti pensiles trabes sustinet, altera parieti infixa afflictave est. Dan. Barbarus Hermolao assentitur et Philandrum non nominatum refellit, docens fulcra non apte dici interpensiva, quibus quidem interpensivis trabes a Vitruvio onerentur. Ipse Italice vertit *travicelli pendenti*. Baldus interpensiva dici putat trabes trabibus a pariete in parietem traiectis ad stillicidia sustinenda impositas. Perraltus ita ad h. l. *Il n'y a pas lieu de douter que ce ne soient des potences ou liens: car il est dit qu'elles vont rendre des angles des murs aux angles que les poutres forment, ce qui ne peut être dit ny des Coyaux d'Hermolaus, ny des Solives de Philander, ny des Poutres de Baldus.* Collicias autem vertit *Coyers*, quas interpretatur *les chevrons qui sont en diagonale et qui soutiennent les noues.*

Galiani *interpensiva* interpretatus est *i traversi*, collicias *i canali;* in annotatione addit sibi idem fere videri, quod Baldo, de

Digitized by Google

interpensivis: *gli altri due travi che posando sopra i due primi chiudevano il quadrilatero.* Rode cum Stieglitzio interpensiva interpretatur *Stichbalken oder Wechsel*, colliquias *Kehlrinnen*, Unde Hermolaus Barbarus parietes interpensivos sit expiscatus. scire velim; equidem in Philoxeni Glossario reperio *Interpondia*, *παράλληλα*. Sed Salmasius Exercit. p. 708 inde posuit *interpendia*, idemque ait esse quod compendia.

collicias ab angulis — intercurrentes — Vulgatum *colliquias* correxi ex Vatic. 2. et Wrat. *collitias* Sulp. Vatic. 1. Fran. Cotton. Arundel. Guelf. Colliquias Philander interpretatur canales qui defluentem stillicidiis aquam recipiunt. Laetiana *ad* ante *angulos* omisit. Deinde *incurrentes* dant Franeck. et Cotton. Plinius 18 sect. 49. *in usu est et collicias interponere, si ita locus postulat, ampliore sulco, quae in fossas aquam educant.* Ita vocat etiam Columella 2, 8, 3. In Catone de R. R. cap. 14, 4. *conliciares tegulae quae erunt, pro binis putabuntur.* ubi ante Victorium *deliciares* legebantur. Festus: *Inlicium: unde colliciae tegulae, per quas aqua in vas defluere potest.* Idem: *Deliciae est tignum, quod a culmine ad tegulas angulares infimas versus fastigium collocatur, unde tectum deliciatum et tegulae deliciares.* Servius ad Georgica Virgilii I versu 264 ex Aelio Gallo posuit: *vallos, tegulas grandes, quae supra collicias infimae ponuntur.* Ex postremo loco videtur apparere, *collicias* proprie dici genus tigni, supra quod tegulae *colliciares* ponuntur, ut deliciae aliud est genus tigni, supra quod *deliciares* tegulae collocantur. Galiani *collicias* vertit *canali*, medium compluvium, *mezzo di cortile*; Rode *collicias* quidem *Kehlrinnen*, compluvium medium vero *Dachrinne im Mittel* reddidit. In annotatione versioni vel potius picturae addita p. 17 ita h. l. interpretatur: *Auf dem Dache waren Latten* (asseres) *befestiget, welche das Regenwasser nach der Dachrinne* (compluvium) *ableiteten, die sich in der Mitte einer jeden Seite des Dachs befanden.*

deiectis — Vulgatum *deiectus* ex Sulp. Guelf. Wrat. correxi: quam scripturam temere mutavit Iocundus, itaque fecit, ut inepte

Digitized by Google

verteret Galiani locum totum: *In questo hanno le acque lo scolo in mezzo del cortile per via di panconcelli.* Rode autem: *desgleichen Ableiter der Traufe nach der Dachrinne hin im Mittel.* Iunxit igitur Rode *stillicidiorum deiectus* una cum Galiano, qui asseres vertit *panconcelli*, quos putat sustinuisse colliquias; *i panconcelli*, ait, *posavano sugli angoli delle mura del cortile e sugli angoli formati dagl' incrocicchiamenti de' travi.* At vero primum structura verborum laborat; deest enim verbum *est* ad *deiectus;* deinde cur dicitur esse deiectus stillicidiorum asseribus, nec potius tegulis colliciaribus, impositis scilicet in asseribus? Contra librorum optimorum scriptura plana est et sententiae toti congruens: *et collicias ab angulis parietum ad angulos tignorum intercurrentes, item* (ab) *asseribus stillicidiorum in medium compluvium deiectis.* Sunt igitur *colliciae*, quae intercurrunt ab angulis parietum ad angulos tignorum, item ab asseribus stillicidiorum, qui sunt in medium compluvium deiecti. Infra 7 c. 3. *fastigiorum prominentes versuras coronasque leoninis capitibus ornatas, quae omnia stillicidiorum e tectis habent rationem.* Tertius est locus 4 cap. 7. *Supra id fastigium culmen, cantherii, templa ita sunt collocanda, ut stillicidium tecti absoluti tertiario respondeat.* ubi stillicidium tota inclinatio tecti fastigiati, quod pluviam excipit, et in compluvium derivat, dici videbatur Genello. Medium compluvium ita interpretatur Perraltus: *Barbaro entend que c'est un réservoir placé sur le plancher qui couvre le cavaedium. Ciseranus croit que c'est une cloaque ou cisterne qui est sous la cour, dans laquelle l'eau qui tombe des toits sur le pavé, s'écoule par un trou qui est au milieu de la cour. Mais il peut être pris avec plus de vraisemblance pour un chenau, qui étant à l'extremité des toits, fait un quarré composé de quatre canaux; de sorte que ce quarré de quatre chenaux, dans lequel toute l'eau de la pluie qui tombe sur les toits est reçue, peut être appellé medium compluvium. De plus Vitruve parlant des toits de la cour découverte, dit que leurs compluvia étant élevés sur les*

Digitized by Google

murs ne dérobent point le jour des fenêtres comme aux autres cours qui ont des auvent, sur l'extremité desquels les compluvia sont placés.

trabes et compluvia — Videtur nunc compluvia dicere, quae in Tuscanicis *colliciae* vocantur. *Le gronde* Galiani vertit. Perraltus: *poutres situées de même à l'égard du cheneau.*

trabes recedentes — Vatic. 1. Cotton. Franeck. *secedentes.* Deinde *circuitionem* Sulpic.

circa columnas componuntur — Galiani vertit: *posano sopra colonne:* idem *a parietibus recedentes* vertit *scostati dal muro.* Contra Rode: *die aus den Wänden hervorspringenden Balken ruhen ringsumher auf Säulen.* Recte Galiani *recedentes* interpretatus, verba *circa columnas* pessime vertit, quasi trabium fines columnis impositi quiescant. Putabat enim vir doctus cavaedium Corinthium amplius fuisse quam Tuscanicum, nec trabes tanta longitudine fuisse facile repertas, nec vel repertas tantum onus sustinere potuisse. Scilicet is tacitus approbavit Perralti coniecturam *supra columnas imponuntur* corrigentis et vertentis. Contra Vitruvius trabes compluviati cavaedii Corinthii vult non solum recedere a pariete et circuitionem quasi liberam facere, sed capita etiam trabium circa columnas cavaedium cingentes componi.

Tetrastyla — Sulp. *Tetrastilia.* Wrat. *tetrastilla.*

magnum impetum habere — Perraltus vertit: *ce qui soutient suffisamment les poutres et fortifie beaucoup les murailles: parceque cela se fait, lorsque les poutres ne sont pas fort grandes, et il arrive aussi que les murs ne sont point chargés par les potences qui portent sur les murs.* Scilicet is interpretationi suae interpensivorum opitulatus scribendum censuit: *et parietibus firmitatem — neque hi ab interpensivis onerantur.* Galiani vertit: *per la lunga tratto han a fare gran forza.* et separatim impetum interpretatur *la tirata di una lunghezza.* Pessime Rode: *denn diese brauchen nun weder von grofsem Umfange zu seyn.* Falso attulit vir doctus Lucretii locum V, 201. ubi coeli impe-

Digitized by Google

tum ingentem Creech interpretatur ambitum cum Lambino. Sed male. Cicero de natura deorum 2, 38 cum impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus. Vide dicta ad libri 5 cap. 3 sect. 1. Sed video Rodium sequi Perraltum, is vero Turnebum sequitur, monuit tamen impetum posse etiam alia ratione explicari: *parcequ'il n'y a pas beaucoup de charge à porter*, uti paulo post, ubi est: *ubi non sunt magni impetus*, vertit: *lorsqu'on ne craint point la trop grande poussée.*

2.

deliciae — Propter praecedens *colliciae* vulgatum *deliquiae* correxi. Wratisl. *dereliquiae archam.* Deinde *reiciunt* Guelf. Wratisl. Pro *arcam* in quibusdam Edd. *aquam* legi annotat Philandri Editio posterior. De arca videbimus ad sect. 4. *Deliciae* proprie dicuntur in cavaediis displuviatis seu compluviis erectis: contra *colliciae* in cavaediis Tuscanicis seu compluviatis, quae minore sumtu aedificantur et reficiuntur. Quare in Catonis cap. XIV, 4. *deliciares tegulas* recte a Victorio sublatas et *conliciares* substitutas fuisse censuit Pontedera in Postumis Annotationibus. (Cf. Editionis meae Tom. IV Partis III p. 10.) In Catone praeterea est: *conliciares quae erunt, pro binis* (tegulis) *putabuntur: in valus* (i. e. vallus, vallos) *quot erunt, in singulos quaternae numerabuntur.* Aelius Gallus apud Servium ad Georgica I, 264 habet: *vallos, tegulas grandes, quae supra collicias infimae ponuntur.* Perraltus haec ita vertit: *Les Cours découvertes sont celles où les Coyaux soutiennent le chêneau et ne forment point d'auvent.* Galiani vero: *ne' quali i travicelli che sostengono la gronda, danno lo scolo in dietro.* Unde satis intelligitur, quantum differant inter se picturae cavaedii displuviati ab utroque appositae.

quod compluvia erecta — Wratisl. *et compluvia.* Deinde *reeta* Sulpic. *gronde alzate* vertit Galiani, contra Rode: *die aufrechts stehenden Dachrinnen.* Idem *stillicidia reiiciunt* vertit *die Traufe rückwärts dicht an der Wand herableiten.* quorum

Digitized by Google

pars ex sequentibus fuit assumta. Philander displuviata cavaedia interpretatur fieri trabium iunctis capitibus, mutuo innixu paribusque contra se ponderibus, partibus imis divaricatis; putatque esse idem *tectum pectinatum* Festi, quod hic interpretatur dictum *a similitudine pectinis in duas partes devexum, ut testudinatum in quatuor.*

stillicidia confluentia — Ex Sulpic. vulgatum *defluentia* correxi. Sequens *opus* omisit Sulp. Fran. Guelf. Wrat. Fenestras h. l. interpretatur Philander.

ubi non sunt impetus magni — Perraltus vertit Turnebum secutus: *Les Cours voutées se font, lorsque l'on a peu de place: car par le moien des voutes les étages qui sont dessus sont rendus plus spacieux.* Scilicet is vult coenationes sustineri a testudinibus cavaedii; cum testudo solum cavaedium concludat et obtegat, recte monente Galiano, qui vertit: *ove non è grande la tratta.* Rode tamen: *wo der Hofraum nicht von grofsem Umfange ist.*

spatiosae redduntur habitationes — Sic Rode dedit ex Sulp. Guelf. Wrat. Cotton. Arundel. Ex Franeckerano laudatum reperio tantum *spatiosae.* Vulgatum erat a Iocundo: *spatiosa redduntur habitationibus.* Veram scripturam ex Veneta anni 1497 revocavit iam olim Galiani. Ceterum de usu testudinis hic locus est classicus. Addo igitur locum Servii ad Aeneid. I, 509. *tum foribus divae, media testudine templi, septa armis solioque alté subnixa resedit:* qui ita tradit: *Camera incurva vel fornicata, quae secundum eos, qui scripserunt de ratione templorum, ideo sic fit, ut simulacro coeli imaginem reddat, quod constat esse convexum. Quidam tradunt, apud veteres omnia templa in modum testudinis facta. At vero sequenti aetate divinis simulachris positis, nihilominus in templis factas esse testudines, quod Varro ait* (factum?) *ut separatum esset, ubi religio administraretur. Bene ergo, cum de templo loqueretur, addidit ei testudinem. Item Varro de Lingua latina ad Ciceronem: In aedibus locus patulus relinquebatur sub divo, qui erat relictus et contectus erat, appellabatur testudo. Cicero in Bruto: Commentatum in quadam testudine*

Digitized by Google

fuisse. Alii locum in parte atrii volunt adversum venientibus. Varronis locum e libro 4 p. 45 aliter scriptum supra posui; Ciceronis locus in Bruto est c. 22. *omnibus exclusis commentatum in quadam testudine cum servis litteratis fuisse — exisse in aedes eo colore* et cet. ubi videtur cavaedium testudinatum intelligi. Ciceronis Ep. ad Q. Fratrem III ep. 3 *nunc hoc vel honestate testudinis vel valde boni aestivum locum obtinebit.* ubi Manutius corrigebat: *nunc hoc vel aestate testudinis vel hieme aestivum* (malim *aestivi*) *locum obtinebit.* Quintus autem in portico atriolum fieri voluerat, cum atrium maius non adesset, nec satis spatii atriolo adesset.

3.

Atriorum — Capitulum IX exorditur hinc Wratisl. Iocundus recte hoc caput cum antecedente coniunxit, quem recentiores Editores male hic deseruerunt ducem, cum alibi nimis ei obsecuti essent faciles. Admonuit ea de re cum Galiano Rode.

longitudines et latitudines — Wrat. *latitudines ac long.*

diagonios linea — Pessime Iocundus mutavit lectionem Sulp. Franeck. Cotton. Guelf. Wrat. ubi est *diagonius*, melius etiam *diagonios* Arundel. Statim tamen *diagonii* est etiam in Sulpiciana, *diagonii* Guelf. Wrat. quae fuit Iocundo occasio corrigendi locum priorem. Edidit enim *diagonii.*

4.

reliquum lacunariorum et arcae — Sulpic. *ex arcae* habet. Philander interpretatur: cavi ipsorum laquearium, probante Baldo. Perraltus vertit: *et sans comprendre le reste de la hauteur qui vient de l'enfoncement des platfonds du plancher, où il y a des cavités qui le font élever au dessus des poutres, la hauteur de cet enfoncement se peut faire à discretion.* Vides eum sequi Philandri opinionem. Galiani: *quel che rimane si distribuisce per le soffitte e per lo tetto sopra i travi.* In annotatione addita queritur de neglecto ab Interpretibus vocabulo *reliquum.* Deinde

Digitized by Google

ex sect. 8 regulam a Vitruvio positam de altitudine tricliniorum, *uti longitudinis et latitudinis mensura componatur, et ex ea summa dimidium sumatur*, transferendam censet etiam ad altitudinem testudinati compluvii. Itaque Vitruvium dicere, si verbi causa atrium fuerit longum palmos 25, latum 15, debere altitudinem iustam esse palmorum 20; at vero ipsum velle tantum 18¾ tribui altitudini, atque hos respondere longitudini 25 palmorum, quarta scilicet demta. Rode vertit: *und das übrige zu den Feldern unterm Kranzleisten und zum Sammelkasten.* Is igitur arcam eandem dici recte censuit, quae sect. 2 adfuit. *Canales* ibidem dici videntur pro arca. Ceterum oratio Vitruvii nisi vitiosa est, certe dura et insolens mihi videtur. *Reliquum* enim non habet cum quo coniungatur, nec si spatium intelligas, structurae verborum ita consulitur. Videtur esse pro *ceterum* dictum.

Alis — latitudo — Aliis Cotton. Wrat. *latitudinis* Sulpic. Fran. Guelf. Wrat. Deinde Cotton. *a triginta — constituantur.* Scilicet idem liber antea *latitudines* dat, quod fortasse probandum, ut latitudinem utriusque alae simul sumtae tertiae et quartae parti longitudinis atrii respondere intelligamus cum Perralto et Galiano.

et dimidiam — Haec verba omittit Sulpic. Vatic. 1. Guelf. Wrat. *et ex his* Fran. Cotton.

pars quarta — tribuatur — Guelf. Wrat. *quarta pars.* Sulp. *distribuatur.* Deinde *A pedibus* Guelf. Wrat.

trabes earum liminares — Wrat. *eorum.* Perraltus vertit *les Architraves.* Galiani: *i travi liminari.* Rode: *die Gränzbalken, welche die Decke des Zimmers ausmachen.*

altae ponantur, ut altitudines — Vulgatum *alte* mutavi. Wrat. *alta* dat. Deinde *altitudine* Fran. Cotton. Guelf.

5.

Tablino — Sulp. *Tabulinum.* Iocundus *Tablinum* dedit, quod est etiam in Codd. Recentiores ab Argentoratensi anni 1550 inde

Digitized by Google

Tablino, quod iterum deseruit Rodiana. De tabulino locum Plinii supra posui; succedat nunc Varronis fragmentum apud Nonium sub voce Cohortes: *Ad focum hieme ac frigoribus coenitabant, aestivo tempore in propatulo, rure in cohorte, in urbe in tabulino, quod Maenianum possumus intelligere tabulis fabricatum.* In Demosthenis oratione contra Euergum p. 1155 est ἡ γυνή μου μετὰ τῶν παίδων ἀριστῶσα ἐν τῇ αὐλῇ. De tablino interpretor locum Iuvenalis Satyrae VIII, 6. *quis fructus generis tabula iactare capaci fumosos equitum cum Dictatore magistros?* quem vulgo de tabula picta intelligunt, in qua generis sui maiores omnes depictos romani nobiles in atrio habuerint.

Ceterum Tablinum Philander pro pinacotheca h. l. positum censuit, quem reprehendit Petavius ad Synesium p. 27 cuius annotatio digna est, quae apponatur tota. Ita vero ille: *Dixerat antea Vitruvius Alis dextra ac sinistra latitudinem, cum sit Atrii longitudo ab XXX pedibus ad pedes XL, ex tertia parte eius constituendam. Unde ego eam istiusmodi Atriorum structuram fuisse coniicio, ut longitudo, quae latitudinem superabat, in transversum dextra ac sinistra ingredientibus porrigeretur. Alas vero sive duas Peristylii porticus appellari puto, quae utrinque ab Impluvio et hypaethro spatio Atrii latitudinem adaequant, sive parietes ipsos secundum Atrii latitudinem porrectos. Id enim πτερὰ sive πτερώματα significant. Iam utraque in Peristylii parte secundum latitudinem gentilitia stemmata suis disponebantur armariis: eratque locus is laquearibus superne contectus. Hinc laqueata Atria ab Ausonio proprie etiam dicta, nec solum quia pro aedibus ipsis usurpentur, ut vir doctus existimat. Ac utrinque Bibliothecas, Pinacothecas, Tablina atque Exhedras construebant. Quo fit, ut Alarum nomine totum illud spatium comprehendatur. Glossae vet. Ala, εἴλημα, σχολή, ἐξέδρα. Corr. ἴλη, μασχάλη. Nam ἴλη Graece ala dicitur, etsi turmam potius esse Lipsius existimet. In voce ἐξέδρα, quae nonnullos torsit, nihil immuto. Dixi de quatuor imaginum sedibus: superest Bibliotheca: in*

Digitized by Google

qua eruditorum hominum, ut Philosophorum, Oratorum, Poetarum imagines positae, partim expressae ad vivum, partim confictae.

si latitudo — Vatic. 2. *altitudo.* Deinde *atrium* Cotton. Wrat. Postea *a pedibus* Sulp. Denique *tabulino* Sulp.

et ex his duae tablino — Copulam *et* omittit Sulpic. Cotton. Guelf. Wrat. *duo* iidem deinde libri dant. Pro *contribuantur* est in iisdem *constituantur.*

ac maiora — Franeck. *ad maiora* habet, quod vel simpliciter probandum vel in *ac maiora* mutandum censuit Wesseling. Observat. p. 197. cui sum obsecutus. Vulgo enim *cum maioribus* erat. Contra Oudendorp ad Suetonium p. 940 cum Vossiano priore *cum* omitti mavult. *ad maiores* Wrat. Guelf. *a maioribus* Sulpic. *ab maioribus* Cotton. Vatic.

Si enim minorum — Vulgatam et Sulpic. Guelf. Wrat. Cotton. scripturam *maioribus* admonente Lucenio correxit Philander. In Franeckerano libro est *minoribus*, propius a vero. Deinde *utamur* Sulp. Guelf. Wrat. Postea *minoribus* Sulp. Guelf. Wrat. Vitium correxit Philander. Recte tamen Fran. dat *maioribus.*

tablina — Sulp. *tabulina*, Fran. *tablinum*, Cotton. *tablino*, Guelf. Wrat. *tablini.*

maiorum in minoribus — Sulp. Cotton. Guelf. Wrat. *minorum in maioribus*, quod vitium correxit Philander.

Itaque generatim — Hinc Capitulum X exorditur Wratisl.

6.

tablini — adiecta — Sulpic. *tabulini*, Cotton. *tablinii.* Deinde *abiecta* Cotton. Guelf. Wrat.

Lacunaria eius — Guelf. Wrat. *ei.* Deinde *abiecta* Arundel. Pro *tertia* Perraltus *sexta* scribendum censuit, idque vertit, assentiente Galiano, nisi curva lacunaria intelligas.

Fauces — *La grande entrée* Perralto, *le bocche* Galiano, *die Flur* Rodio.

Imagines item — Sulp. Vatic. Franeck. Wrat. Guelf. *ita* dant.

Digitized by Google

Deinde *altae* Fran. *sunt* postea Sulpic. *ornamenta imaginum* Perraltus interpretatur baseś, (piedestaux) imaginibus cereis suppositas.

ostiorum — Sulp. Fran. Cotton. Vatic. Guelf. Wrat. *eorum.*

Compluvii lumen — Vulgatum *Impluvii* ex Sulpic. Guelf. Wrat. Cotton. Vatic. correxi. Sequens *latum* omittit Guelf. Male veterem scripturam mutavit Iocundus. *Impluvium* enim de solo atrii dicitur. — Denique pro *fiat* Cotton. *faciat* dat.

De compluvio lubet addere supra disputatis loca Plauti, unde locus et structura compluvii facile patebit. Militis II, 2, 3. *mihi quidem iam arbitri vicini sunt meae quid fiat domi; ita per impluvium intro spectant.* — *nunc edico omnibus, quemque a milite hoc videtis hominem in tegulis nostris* (compluvii) — *huc deturbate in viam. Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam dicat*, et cet. Ibidem Act. II Sc. 3 versu 1 servus Sceledrus ait: *Nisi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis, certo id pol scio me vidisse hic proxumae viciniae Philocomasium, herilem amicam, sibi alium quaerere.* Tum versu 13 narrat conservo: *Simiam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis.* Versu 16. *forte fortuna per impluvium huc daspexi in proximum, atque ego illa aspicio osculantem Philocomasium cum altero nescio quo adolescente.* II, 3, 70. *Scin' tu nullum commeatum hinc esse a nobis?* — *neque solarium, neque hortum, nisi per impluvium?* II, 4, 24. *quomodo haec hinc potuerit transire? Nam certo neque solarium est apud nos, neque hortus ullus neque fenestra nisi clatrata.* Hinc igitur satis appareret, quid sit *impluvium.* In Amphitruonis V, 1, 56 *devolant angues iubati deorsum in impluvium duo maxumi* — *postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi.* Apparet etiam hinc gynaeceum impluvio circumdatum fuisse.

7.

Peristylia — Galiani haec est annotatio: *Appresso al atrio, e al tablino avevano le case di città un altro atrio maggiore,*

Digitized by Google

o vogliam dire chiostro, *detto* peristylium, *per essere attorniato da un colonnato: e quivi attorno erano le abitazioni del padrone, come si vede nella figura della Tavola XIX.* ubi peristylium in diversa regione ab atrio positum conspicitur. Perraltus non solum atrium a cavaedio separat, sed peristylium etiam ab atrio distinguit. Iocundi pictura atrium post vestibulum, post atrium vero cavaedium cum peristylio collocat. Rodiana Forma VI vestibulum addit atrio et cavaedio, peristylium vero separat ab atrio.

in transverso — Perraltus vertit *en travers de la troisième partie qu'ils ne sont en avant.* Galiani ex vi oppositi: *che è per dritto.* Rode: *das Peristyl mache man ein Drittheil breiter als lang.* Sed quid causae esse dicamus, cur Vitruvius non latitudinem et longitudinem peristyliorum dixerit, sed transversum et introrsus, quae vocabula facilius de latitudine et longitudine interpretari liceret, nisi tertium atrii genus non esset oblongum, sed quadratum. Quare vereor, ne aliam significationem verborum Vitruvii quaerere oporteat.

columnae tam altae — Vossianus liber *columna ne minus.* Scilicet is omisit haec verba omnia usque ad sequens *intercolumnia.*

Peristylio — faciundae — Fran. Guelf. *peristylo.* Deinde *faciendae* Sulp. Wrat. Ceterum equidem non intelligo, cur Vitruvius subito nunc singulari numero peristylium dicat, cum antea pluralem usurpaverit. Perraltus utrobique plurali, Galiani singulari utitur.

et ad eos modulos — Ita ex Sulp. Cotton. Guelf. Wrat. pro *ut* scripsit Rode.

8.

conclaviorum — Fran. *conclavium*, Vatic. 2. *conclavorum.* Deinde *latitudinis et longitudinis* Sulp. *longitudines et latitudines* Vatic.

exedrae — Sulpic. hic et ubique *exhedrae* habet. Post *fue-*

Digitized by Google

rint Wrat. addit: *tantum altitudini detur*, quae sunt ex antecedentibus repetita. *Exedrae* sunt eaedem in graeco peristylio infra cap. 10. ubi Rodianus Index interpretatur *Gesellschaftszimmer*. Atque ita vertit Perraltus. Cicero de Orat. 3, 5 *in eam exedram venisse, in qua Crassus lectulo posito recubuisset.* Haec fuit privatae domus. At publica videtur esse Charmadae exedra, de qua Cicero de F. B. 5, 2. Exedria in porticula Tusculani instituta tabellis ornare voluit Cicero ad Div. 7, 23. De exedris posui quaedam ad libri 5 cap. 11 de Palaestra. Addo nunc locum Varronis de R. R. 3, 5, 8. *Laenius Strabo Brundusii primus in peristylo habuit exedra conclusas aves, quas pasceret obiecto rete.* Exedras ita designat Cicero de Oratore 2, 5. *porticus haec ipsa, ubi ambulamus, et palaestra, et tot locis sessiones gymnasiorum et Graecarum disputationum memoriam quodammodo commovent.* Cui respondet Crassus: *omnia ista ego alio modo interpretor, qui primum palaestram et sedes et porticus etiam ipsos Graecos exercitationis et delectationis causa non disputationis invenisse arbitror.*

latitudinis dimidia — Cotton. *latitudines.* Voss. *demedia.* Deinde *altitudine seducatur* Sulp. Etiam Fran. a prima manu *altitudine* habet.

Pinacothecae — Cotton. *Pinacithecae.* Sequens *uti* omittit Wratisl.

tetrastylique — De his quoniam non separatim docet Vitruvius, ad Corinthios aut Aegyptios pertinere censebat Galiani. Cum Corinthiis Barbarus, cum Aegyptiis coniunxit Galiani; quod per sermonis rationem et verborum structuram fieri non posse, manifestum est. Neutonus contra cum Perralto recte tetrastylos distinguit a reliquis praecipue numero columnarum, a quo reliqua structura pependisse videtur.

Aegyptii — Fran. *Aegypti.* Deinde *latitudines et longitudines* Sulp. Cotton. Guelf. Wrat.

propter columnarum interpositiones — Talem coenationem commemorat Plinius 36 c. 8 s. 12. *nos ampliores triginta columnas*

Digitized by Google

onychinas vidimus in coenatione, quam Callistus Caesaris libertus sibi exaedificaverat. Suetonius Neronis c. 31. *coenationes laqueatae tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Praecipua coenationum rotunda, quae perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur.* Athen. 5 p. 205 (290 Schweigh.) *οἶνος μέγιστος περίπτερος εἶναι πλίνας δεχόμενος.* p. 292. *συμπόσιον περίπτερον.* — *οἶνος Βαρχινὸς περίπτερος* — *συμπόσιον Αἰγύπτιον* intus columnis Aegyptium in morem ornatis fultum.

9.

Inter Corinthios — Hinc Capitulum XI exorditur Wratisl. Deinde *simplices habebunt columnas* Sulp. Contra Fran. et Cotton. *habeant*, probante Bondam p. 84.

supraque habent — Sulp. Fran. Cotton. *habeant.* Sequentem copulam *et* ex Sulp. et Codd. recte restituit Rode, a Iocundo et reliquis Editoribus omissam.

aut ex intestino opere — Haec Vossianus omisit: sequens *aut* Wrat.

curva lacunaria ad circinum delumbata — Philander interpretatur: curva quidem sed non ad perfectam rotundationem, humiliter conformicata. Vertit Galiani: *una soffitta concava girata a cerchio.* Propius ad Philandri opinionem Rode: *eine nach einem gedruckten Bogen gewölbte Decke.* Perraltus: *en voute surbaissée.* Ciseranus: *de perfilati seu distincti con il circino.* Plinius *delumbem* de ave debili vel mutilata, *delumbare* radices et quadrupedem pro debilitare, mutilare dixit.

In Aegyptiis — Wrat. *In Aegypcis.* Deinceps *supra coronas* Vatic. 2.

supra coaxationem pavimentum — Ita Sulp. Vatic. Franeck. Cotton. Guelf. Wrat. Iocundus et eum secuti Editores dederunt *supra eam coaxatio et pav.* In Sulp. tamen est *pavimento*, in Vatic. *pavimentorum.*

Digitized by Google

sub dio — Sulp. Fran. Cotton. Guelf. *sub diu.* Deinde *circumitus* Fran. Guelf.

imponendae — Fran. *impendendae.* Deinde *item basilicarum* Wrat. Ceterum de hoc genere oecorum Aegyptiorum post Italum Palladium quaedam disseruit H. Wottonus in Elementis Architecturae p. 20 editionis Laetianae, in quibus erronee quaedam poni video, veluti quod ait: *Super dictas columnas* (inferiores) *collocabatur epistylium, super quod adscendebat continuus paries, et in eo dimidiatae aut trientales columnae, exacte respondentes inferiori ordini, sed quarta parte minores; et inter has dimidias columnas totum conclave erat in ambitu fenestratum; deinde ab inferioribus columnis superstruebatur contignatio, sustentata ab exteriore pariete et capitibus columnarum cum meniano balaustrato, sub dio, inquit Magister; — quapropter Palladius qui relinquit hoc menianum in medio intectum, et balaustratum circumcirca, fortassis illum recte intellexit.* Falso enim paries continuus adscendens supra columnas inferiores cum pariete exteriore memoratur. Vitruvius enim illius nullibi meminit, nec paries praeter unum intra columnas erat ullus exterior.

10.

Κυζικηνοὺς — Veram scripturam dedit Galiani, *Κυζηκαινοὺς* Iocundus, *Cizicinus* Barbarus. Infra c. 10 est in domus graecae descriptione: *et in porticibus quae ad septentrionem spectant, triclinia Cyzicena.*

valvasque habentes — Rectius ita Guelf. Wratisl. *habent* Sulp. et ceterae praeter Rodianam. Deinde *sunt* ex Fran. Guelf. Wrat. posui pro vulgato *sint.* Postea *lati et longi* Sulp. Sequens *uti* omisit Cotton.

cum circuitionibus — Praepositionem omittunt Guelf. Wrat. *circumitionibus* Wratisl. Sequens *se* omisit Sulpic. Circuitiones locum ministrantibus opportunum ex ipso Vitruvio interpretatur Perraltus.

Digitized by Google

habentque — Cum antea ex libris *sunt ita longi* adsciverim, debebat etiam hic ex Fran. Cotton. Guelf. vulgatum *habeantque* corrigi. Verba sequentia Codices Sulp. Cotton. Fran. Guelf. Wrat. ita transposita habent: *viridia valvata uti de lectis parsp. fen. prospiciantur.* Sed Fran. Guelf. Wrat. cum Sulp. *tectis* habent: quod vitium iam olim correxit Philander. *viridia vallata valvata ut de tectis* est in Wratisl. *fenestrarum viridia prospiciantur* Guelf. Wrat. Tale triclinium describit Plinius 6 Epist. 6 §. 19. *A capite porticus triclinium excurrit: valvis xystum desinentem et protinus pratum multumque ruris videt: fenestris hac latus xysti et quod prosilit villae, hac adiacentis hippodromi nemus comasque prospectat.* Simile est in libri 2 Ep. 17 §. 5. *mox triclinium satis pulchrum, quod in littus excurrit, — undique valvas, aut fenestras non minores valvis habet; atque ita a lateribus et a fronte quasi tria maria prospectat.* ad quem locum bene Gesner valvas interpretatus est fores vel ianuas, quae ad solum vel pavimentum usque descendunt. Fuerunt hae fenestris non solum altiores sed etiam latiores. Perraltus interpretatur: *des fenestres qui n'ayant point d'appui s'ouvrent jusqu'en bas comme des portes.*

Nunc *viridia* videamus. Esse ea quae alii *viridaria* dicant, annotavit ad h. l. Philander, et locum Macrobii Saturn. I cap. 14. memoravit, ubi *viridia* genitivo casu *viridiorum* facere docet. Sequior aetas *viridaria* iisque praefectos *viridarios* vocavit, uti docent loca Suetonii Tiberii c. 60 et Phaedri Fabul. 2, 5, 14. ubi tamen metrum *viridia* flagitat. In loco Ciceronis ad Atticum 2, 3. *Cyrus aiebat viridiorum διαφάσεις latis luminibus non tam esse suaves*, contra Edd. pr. fidem cum Lambino et Bosio Ernesti *viridariorum*, alii multo peius *radiorum* posuerunt. Omnino considerandum videtur, num *viridarium* potius sit locus *viridia* habens, id est herbas, flores et arbusta certo ordine disposita; ita ut utrumque vocabulum significatione sit plane diversum. Ceterum istum Ciceronis locum in Praefatione cum hoc Vitruviano comparavi, quam adeant lectores.

Digitized by Google

constituuntur — Propter antecedens *sunt* et *habent* vulgatum *constituantur* etiam ex Sulp. Fran. Cotton. Guelf. correxi.

11.

loci fieri — Fran. Guelf. Wrat. Cotton. *locis.* Deinde *expedita* pro *explicata* habet Arundel.

Luminaque, parietum — obscurabantur — Varia horum verborum interpunctio in Editionibus sententiam mire variavit. Philandrea dedit: *Luminaque parietum altitudinibus, si non obscurabuntur, faciliter erunt explicata*, quasi lumina fenestrarum sint explicanda et definienda ex altitudinibus parietum. Rodiana dedit: *luminaque parietum altitudinibus si non obscurabuntur, faciliter* et cet. ubi facile potest *parietum* vocabulum copulari cum altero *lumina.* Equidem Galianum sequor, qui post *lumina* iterumque post *obscurabuntur* posuit incisum.

tum erit, ut ingenio — Sulpicianae scripturam *tenentur et ingenio* pessime Iocundus mutaverat in *tum opus erit ut ingenio.* Simile supplementum posuit ex Vatic. 2. Galiani, *necesse erit ut ingenio.* Contra Guelf. *tunc erit ut ingenio*, Wrat. *tunc erit ingenio — vetustates.* Intelligo *tempus*, ut sit *tum erit tempus illud, ut ingenio.* Similia sunt loca Plauti Captiv. 3, 5, 1. *nunc illud est quom me fuisse quam esse mavelim.* Rudentis 3, 3, 1. *nunc id est, quom omnium copiarum atque opum auxili praesidi viduitas nos tenet.* unde in Terentii Adelphis 3, 2, 1. *nunc illud est, quod si omnia omnes sua consilia conferant — auxili nihil afferant.* Guyetus non inepte *quom si* scribi voluit, quod dedit nuper Bothe in Berolinensi Editione. Sed plane ita Cicero pro Milone c. 13. *Quid enim odisset Clodium Milo? ille erat ut odisset* (Milonem). Auctor ad Herennium 4, 29. *Sed non erit, tanquam in plerisque, ut, quum velimus, ea possimus uti.*

AD CAPUT IV. (vulgo VII.)

Nunc explicabimus — Cotton. *explicavimus.* Hinc Wrat. Capitulum XII exorditur.

Digitized by Google

apte — spectare — Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *acte.* Deinde Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *exspectare.*

uti occidentem — Ita Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *uti* primus Iocundus omisit.

adversus habens — Ita Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wratisl. Iocundus *adversum* primus dedit. Deinde *tepidiorum* Voss. Ceterum *remittens* mihi mutandum videtur in *emittens;* nam *remissio* caloris non facit regionem vespertino tempore calidiorem, sed *emissio.*

usus enim — Arundel. Vatic. 1. *visus.* Deinceps *nam quaecunque humore libri vitiantur* ex Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. restitui, cum vulgo esset: *nam in his quae — humore vitiantur.* Omissum *libri* restituit etiam Arundel. *ab tineis* Cotton. Guelf. Wrat. quanquam Wrat. *cinis* habet.

procreant eas et alunt — Wratisl. *procreant advenientes eas alunt.*

2.

cum enim praetenta luminibus — Locum manifesto vitiosum et structura verborum laborantem ita corrigi voluit Perraltus: *cum enim praetentâ luminibus adversa.* vel: *nam cum praetenta — adversa.* ut *praetenta* pro *praetentura*, quo vocabulo Ammianus usus est, dicta significet velum vel clathros soli oppositos. Hanc ipsam coniecturam non admonito lectore vertit Galiani: *perche tenendosi chiuse le finestre, finchè la forza del sol trapassi.* Sic etiam Rode. Sed primum *praetenta* durum et insolens est pro *praetentura*, atque haec ipsa *praetentura* aevo Ammiani fuit peculiaris, non Vitruvii. Deinde *luminibus praetenta adversa* inepta tautologia dicitur, nisi luminibus solis contra usum sermonis velis interpretari. Breviter ut dicam, non opus est mutatione verborum nisi levissima, et transpositione locus facillime sanatur, quam audacter admisi in ipsa Vitruvii oratione; vulgatum annotationi praescripsi.

opus [solitum] est uti — Seclusi vocabulum *solitum*, quod

Digitized by Google

ex varietate lectionis ortum esse videtur. Sic est antea: *vespertino lumine opus est uti.* deinde: *usus matutinum postulat lumen.*

ad septentrionem — Wratisl. *ad septentrionalem.* Deinde *regione* Guelf. Wrat.

non ut reliquae per — Vulgatum *reliquae quae per* ex Fran. Cotton. Wrat. correxi. Sequens verbum *efficitur* effeci ex vulgato *efficiuntur*, quod ipsum omisit Sulpic. ex qua vulgatum *aestuosae* correxi.

eo quod est aversa a solis cursu — Vatic. 2. Guelf. *ea.* Deinde *quae est adversa* Vatic. 2. *ea quae est aversale solis* Wrat. Ante *semper* necessario videtur particula *sed* inserenda esse, ut sententia et structura verborum constet.

et plumariorum textrina — Copulam omittit Sulp. quae *pulvinariorum textrina* dat. Vulgatum *textrinae* mutavi, cum etiam Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *textrina* habeant, quanquam *extrina* sit in Fran. Cotton. Guelf. scriptum. Denique *constantia* Cotton. De plumariis nunc videamus. Locus classicus est Varronis in libro Cato vel de liberis educandis apud Nonium in voce Plumarium. *Etenim nulla quae non didicit pingere, potest bene iudicare, quid sit bene pictum a plumario aut textore in pulvinaribus plagis.* Quod apud Plautum Epidici 2, 2, 49 est vestimentum *cumatile aut plumatile*, obscurum est, an huc pertineat. Nonius *clavatum aut ex clavis factum* interpretatur. Publii Syri fragmentum *plumato amictus aureo Babylonio* habet. Qui plura desiderat, adeat Salmasium ad Vopiscum p. 507 seqq. qui in Varronis loco corrigit: *plumario textori*, comparans Firmici *tunicarum textores plumarios.* Primum opus plumatum acu factum fuisse, coniicere licet ex analogia loricarum plumatarum Iustini 41, 2. Virgilius Aen. XI, 771. *equum, quem pellis aenis in plumam* (i. e. modo plumae) *squamis auro conserta tegebat.* ad quae Servius posuit locum Sallustii: *Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae annexuerant.* Hinc nomen ad texturae varietatem translatum fuit.

Digitized by Google

AD CAPUT V. (vulgo VIII.)

cubicula — Sulpic. *cubilia*. Deinde *balneaque* Wratisl. qui sequens *que* omittit post *cetera*.

communia autem — Wrat. *autem* omittit, et deinde *possunt habere* dat.

tablina — Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *tabulina*. Deinde *nec* Sulp. Postea *atria quae* Wrat. Denique *in aliis* Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat.

ambiundo, quae — Wrat. *ambiendo*, Sulp. *ambiunda*. Locum ita vertit Perraltus, uti scribi voluit: *neque ab aliis ambiuntur*. Contra vulgatum Galiani sic reddit: *vanno essi a far la corte agli altri, che la ricercano*. Perraltum recte sequitur Rode. Nam officia salutantium non ambiuntur, sed ambiundo praestantur, ambiuntur potentiores et patroni. Perralti rationem nisi amplectaris, maiore opus erit mutatione, veluti *praestant ambiundo magis quam ab aliis ambiuntur*.

2.

cryptae — Wrat. *triptae*, Cotton. *scryptae*. Philander interpretatur fossas testudinatas subterraneas, aut concava loca, et scrobes, ubi triticum conditur, comparato Varronis loco R. R. 1 cap. 57. Alias cryptae sunt ambulationes tectae coenaculorum, ut apud Suetonium Calig. 58 Athenaeum 5 p. 205. Varro Nonii sub voce Sabulum: *Non vides in magnis peristylis qui cryptas domi non habent, sabulum iacere a pariete aut cryptis* (corrigunt *ut in cryptis*) *ubi ambulare possint?* Cryptam Saburrae mediae penetrare solitus lupus est in Iuvenalis Satyra 5, 106.

ceteraque quae — Wratisl. *quae* omittit. Deinde *eligantiae* Fran. Postea *feneratores* Cotton. Denique *spatiosiora* Sulpic. Arundel. Wrat.

disertis — Wrat. *desertis* — *excipiendos*. Postea *gerundo* Fran. Guelf. Pro *civibus* Wratisl. *cuilibet*; denique *faciunda* Guelf.

Digitized by Google

alta atria — Cotton. *alta adtrita.* Sequens *et* omittit Wrat.

bibliothecae, *pinacothecae*, *basilicae*, — *comparatae* — Ita scripsi pro vulgatis *bibliothecas*, — *thecas*, *basilicas*, — *atas.* qui casus non habent, quo referantur. Cotton. *balicas* dat. Denique *conficiunt* Guelf. Wratisl.

3.

si his — Cotton. *si is.* Deinde *non erunt* Wrat. Denique *explicationem* Fran.

ruri vero pseudourbanis — Sulp. Vatic. *ruri a pseud.* Guelf. Wrat. Fran. habent *ruri ab pseud.* Denique *habeantia* Cotton.

pavimenta spectantia — Ita Sulp. *pavimenta* habent etiam Vaticani, Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *spectantes ac* Cotton. Vulgo est: *pavimentatas spectantes.*

Quoad potui — Hinc Capitulum XIV exorditur Wratisl. Deinde *perscribere proposui* Vatic. Fran. Voss. Guelf. Wrat.

nunc rusticorum — Vulgatum *rusticarum expeditionum* vitiosum esse, vidit Philander, qui aut *rusticorum expeditiones* aut *rusticas expeditiones* scribendum, et verba haec priori capiti adiungenda esse monuit. Monito viri docti paruit solus Perraltus cum Galiano. Equidem ex Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *rusticorum*, ex Wrat. *expeditionem* scripsi; sed ita sequentia etiam verba *commodae* — *eas* mutari oportuit in *commoda* — *ea*, ubi tacent Codices scripti; nisi quod Wrat. habet *commodere* scriptum.

Ceterum dignus est Ciceronis locus de Officiis I c. 39 qui cum hoc loco comparetur. Igitur eum appono: *Dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis domum placeat esse, cuius finis est usus, ad quem accommodanda est aedificandi descriptio, et tamen adhibenda commoditatis dignitatisque diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio et plenam dignitatis domum, quae cum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus accessionem adiunxit aedibus.* —

Digitized by Google

Ornanda est enim dignitas domo, non ex domo tota quaerenda; nec domo dominus, sed domino domus honestanda est: et ut in ceteris habenda ratio non sua solum sed etiam aliorum: sic in clari hominis domo, in quam et hospites multi recipiendi, et admittenda hominum cuiusque modi multitudo, adhibenda cura est laxitatis. Aliter ampla domus dedecori saepe domino fit, si est in ea solitudo, et maxime si aliquando alio domino solita est frequentari: — quod quidem his temporibus in multis licet dicere. Cavendum autem est, praesertim si ipse aedifices, ne extra modum sumtu et magnificentia prodeas: quo in genere multum male etiam in exemplo est. Studiose enim plerique, praesertim in hanc partem, facta principum imitantur.

AD CAPUT VI. (vulgo IX.)

de salubritatibus — regiones aspiciendae — Dura oratio, pro *quod ad salubritatem attinet, regiones iudicandae.*

cortes — Guelf. *chortes*, Wrat. *cohortes.* Deinde *quod* Cotton. Guelf. Wrat. Postea *fuerint* Vatic. Cotton. Franeck. Guelf. Wrat. Deinde *chorte* Wrat.

culina — Varro apud Nonium h. v. *in postica parte erat culina dicta ab eo quod ibi colebant ignem.* De culina compara dicta ad Varronem de R. R. 1, 13, 2 p. 289 et ad Columellam 2, 14, 7 p. 110.

bubilia — Sulpic. *bovilia.* Deinde *fiant* Guelf. Wrat. Palladius I, 21. *stabula equorum et boum meridianas quidem plagas respiciant, non tamen egeant a septentrione luminibus, quae per hiemem clausa nihil noceant, per aestatem patefacta refrigerent. — Boves nitidiores fient, si focum proxime habeant et ignis lumen intendant.* Contra Ciseranus *horridi* interpretatur *spaventevoli seu umbrosi.*

regionum periti — Hanc Codicum non contemnendorum scripturam esse ait et probat Philander, quem sequitur Perraltus. Vulgo est *imperiti.*

Digitized by Google

ortum solis — Guelf. *hortum*, Cotton. *solus*. Deinde *bovilium* Sulp. *buvilium* Cotton. Denique *quinquedenum* Wrat.

2.

occupent pedes septenos — Guelf. *pedes occ. sept.* Deinde *sunt culinae* Sulp. Wrat.

lavationi — Ita Sulp. Guelf. Wrat. Fran. Arundel. Vossiani duo, teste Oudendorpio ad Sueton. p. 843. *lavatione* Cotton. Vulgo *lavationis*. Denique *erit non longe* Wrat.

Torcular — In Franeck. dicitur esse *Tarda* suprascripto *olearium*. Cotton. *torclar*. Sic etiam Guelf. suprascripto *u*. Pro *item* Wrat. *enim*. Budaeus Annot. prior. ad Pandectas p. 625 *autem* ex h. l. posuit.

ad septentrionem — Vatic. Cotton. *ab septentrione*. Deinde *quia sol* Wrat. *quae sol* Vatic. Cotton. Postea *calfacere* Guelf. Denique *a calore* Sulpic.

3.

ita est — Wrat. *ita esse* — *habeant*. Deinde *oleum debet* Sulpic. Postea *tempore caloris* Cotton. Guelf. Wrat. Denique *faciundae* Guelf.

cullearia — Wratisl. *culliaria*. Palladius I, 18, 2. *Si copia maior est, medium spatium cupis deputabitur*. Sed is de cella vinaria tradit.

cochleis — Cotton. Guelf. Wrat. *cocleis*. Deinde *premetur* Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. Sequens *enim* post *ita* omittit Wrat. qui *vectadorio* dat. De vectibus, prelis et cochleis ad vinum exprimendum satis dictum est in Commentariis ad Scriptores rei rusticae latinos. Dixit etiam quaedam Budaeus Annotat. prior. ad Pandectas p. 625. ubi *trochleis* corrupte impressum in Vitruvio esse ait.

prelis loco — Cotton. Fran. *lacii*, in quo num *lacus* torcularis forte lateat, videant alii.

Digitized by Google

4.

ita magna sunt — Sulpic. Guelf. Wrat. *ita sunt magna.* Deinde *uti* Cotton. Guelf. Wrat. Postea *non minus* Sulp. Copulam *et* post *quaternos* omittit Wrat.

sublimata — Franeck. *sublinata.* Sequens *et* omittit Sulpic. Deinde *si non poterunt* Cotton. Denique *ab flatu* Fran. Guelf. Wrat. *a flatu* Sulp.

reliquas — Vatic. 2. *ceteras.* Sequens *Equilibus quae* ex Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. restituit Rode in locum vulgati *Equilia quam — villa ubi loca.* Wrat. *equilibusque* omisso deinceps *fuerint.*

5.

in hieme — Praepositionem omittit Guelf. Wratisl. Deinde *fiunt mitiores* Wrat.

faciendum — Guelf. *faciundum.* Pro *urbanis* Cotton. *bonis.* Deinde *aedificantur* Voss. Ceterum Vitruvius singulari numero *si quid — fuerit*, pluralem subiunxit more Graecorum, apud quos saepe praecedit, εἴτις, εἴτι, sequitur vero pluralis numerus.

6.

ideo quod — Wrat. *id quod.* A verbis *In urbe autem* Capitulum XV exorditur Wrat. Postea *impediendo* Sulp. Wrat.

experiundum, ex qua — Sulp. *expediendum.* Wrat. *experiendum.* Verba sequentia cum his esse coniungenda videram antea quam Perraltum ea de re admonentem legeram. Vulgo enim est: *experiendum. Ex qua sumere, linea tendatur.*

cui [*lumen*] *oporteat* — *qui* Vatic. Cotton. *quo* Guelf. Wrat. Sequens *lumen* omittunt Sulp. Vatic. Voss. Wrat.

ab ea linea in altitudinem — Cum haec Perraltus male vertisset: *en regardant en haut le long de cette corde:* statim ipse vidit, inutilem operam sumi, ut ab imo in altum secundum lineam suspiciatur. Itaque recte censuit sensum loci esse debere eum, ut linea transversa tendatur ex altitudine parietis oppositi ad eum

Digitized by Google

locum, in quo limen fenestrae futurum est; deinde ut experiamur, num inter lineam et parietem oppositum spatium puri coeli satis amplum prospicere possimus. Ut hunc sensum ex verbis Vitruvii facile elicias, opus etiam fuit distinctionem vulgarem mutare; quam tamen reddiderunt Galiani et Rode.

et si ab ea linea — Sulp. ante haec repetit verba *linea tendatur*. Deinde *sine impeditum* Cotton.

7.

limina — Iocundus et sequiores aliquot Edd. *liminia* habent, quod vitium correxit Philander, qui superum limen interpretatur. Dicitur enim limen inferum et superum, etiam fenestrarum, a limo, quod significat transversum. Vatic. Guelf. Wratisl. *lumina* habent.

per eas — Vatic. Guelf. Wrat. *per ea*. Verba *sic enim — aedificia* omisit Wrat.

clivis scalisque — Cotton. *diuis*. Guelf. a prima manu *clavis* habet scriptum. Sequens *que* omittit Fran. Guelf. Galiani *clivos* interpretatur *calate*, Perraltus omisit, Rode *Rampen*.

alius alii — Ita ex Codd. Vossianis correxit vulgatum *alii aliis* Oudendorp ad Sueton. p. 145. *alius* ex Vatic. laudavit Galiani, ex Cotton. apponit Collatio Goettingensis.

nostratium — Sulp. *nostrorum*. Deinde *ut* Guelf. *aut* Wrat. Postea *aedificationes* Sulp. *aedificationibus* Fran.

Nunc etiam — Sulpic. *Nunc et*. Wratisl. hinc exorditur Capitulum XVI.

AD CAPUT VII. (vulgo X.)

neque aedificant — Verba Iocundo interserta *nostris moribus* omisi cum Sulp. Fran. Cotton. Guelf. Wrat.

equilia — Sulpic. Vatic. Fran. Guelf. *aequalia* dant. Deinceps *et ex altera* vulgabatur. Copulam cum Sulp. Guelf. Wrat. omisi. Postea *ostrearias* Sulpic. *ostearii* Guelf. Ceterum spatium inter duas ianuas, quod primum intrantibus occurrebat,

Digitized by Google

Graeci πλεισίον, penultima per accentum longa, dicebant, ut ipsas portas, per quas a platea intrabatur, πλεισιάδας. Eustathius ad Il. 9, 90 locum hunc posuit ex Lexico rhetorico Pausaniae: πλεισίον, θυρεὼν, ἐν ᾧ καὶ ζεύγη ἵσταται. praeterea: πλεισίαι, αὔλειοι πυλῶνες, πλατεῖαι θύραι, δι' ὧν καὶ ζεύγη εἰσέρχονται. Moeris Atticista: πλίσιαι (voluit πλεισία) δὲ, ὅπου τὰ ζεύγη ἵσταται. Eustathius ait πλισίον esse ἁμαξῶν καὶ ζευγῶν δεκτικόν. Poll. 4 s. 123 τὸ δὲ πλίσιον ἐν κωμῳδίᾳ παράπειται παρὰ τὴν οἰκίαν παραπετάσμασι δηλούμενον· καί ἐστι μὲν σταθμὸς ὑποζυγίων, καὶ αἱ θύραι αὐτοῦ μείζους δοκοῦσι καλούμεναι πλεισιάδες, πρὸς τὸ καὶ τὰς ἁμάξας εἰσελαύνειν καὶ σπευοφόρα. Locum addit Antiphanis comici de πλισίῳ hunc: ὃ πρότερόν ποτ' ἦν τοῖς ἐξ ἀγροῦ βουσὶ σταθμὸς καὶ τοῖς ὄνοις, πεποίηκ' ἐργαστήριον. Altero loco 9 s. 50 obiter πλεισίον et θύρας πλεισιάδας nominat et a verbo πεπλεῖσθαι derivat. Plura de πλεισίῳ, ubi equilia et spatia curribus servandis erant per latera disposita, lector olim tradita reperiet in tertia Lexici graeci Editione.

inter duas ianuas — inter exteriorem et interiorem. Deinceps Vatic. Cotton. Guelf. *thyroron* habent, *thiroron* Wrat. Isaac. Vossius *prothyroon* i. e. πρὸ θυρῶν coniicit, addens: „Omnino aut θυρὼν legendum aut διάθυρον. Scilicet noster paulo post ait: *Prothyra graece dicuntur quae sunt ante ianuas vestibula: nos autem appellamus prothyra, quae graece dicuntur* διάθυρα." Sed nullo modo conveniunt haec nomina, a Vossio proposita, loco inter duas ianuas intercepto; nec vulgata scriptura tentanda videtur. Pollux 1 cap. 8 cellam ostiarii πυλώριον ait appellari, post πυλώριον sequi πρόδομον et πρόαυλον, abhinc αὐλὴν ab Homero αἴθουσαν vocatam. Simile est Vitruvii θυρωρεῖον Pollucis πυλωρίῳ; qui enim πυλωρὸς, aliis θυρωρὸς dicitur. Locum cellae ostiarii definii ex loco Platonico in Epimetro ad Xenophontis Memorab. p. 291. Ceterum Ciseranus ad h. l. haec annotavit: *quale thyrorion seu diathyron in graeco si dice.*

peristylion — Non variant Codd. nec Sulpic. scripturam vul-

Digitized by Google

garem *peristylon*, cuius in locum *peristylion* restitui iussit Rode in Addendis. Sic statim etiam *peristylion* erat scribendum, quod est in Cotton. *peristylon*, ubi vulgo est *peristylum;* etsi Graeci pariter *περίστυλον* dicunt.

porticus: in ea parte — Wrat. *porticos.* Sequens *ea* omittit Sulp. *inque* Franeck. *in qua* Guelf. Wrat. Vossianus. *quarta parte* corrigi voluit Salmasius Exercit. p. 856.

trabes invehuntur — Perraltus scribendum censuit *trabes invehitur*, itaque h. l. vertit, quoniam supra duas antas non duae vel plures trabes, sed una trabs imponatur. Supra libri 4 cap. 2. *Trabes enim supra columnas et parastaticas et antas ponuntur.*

antas distat, ex eo — Wrat. *anthas.* Sulp. Fran. *distant.* Deinde *ex ea* Guelf. Wrat. Cotton.

dempta, spatium datur introrsus — Vatic. Fran. *adempta.* Verba sequentia Perraltus vertit: *le reste est égal à l'enfoncement de cette piece. Elle est appellée* et cet. Annotatio de loci obscuritate queritur, quam sublatam futuram fuisse ait, si Vitruvius dixisset prostadi tribuendam esse tantam longitudinem (*profondeur*) quantum est spatium inter duas antas tertia dempta. Pictura prostadem eadem in regione collocavit, qua Galiani, et quae in hac possunt reprehendi, eadem cadunt in illam. Galiani: *si forma un ritiro interiore per quanto è la distanza fra i pilastri.* Rode: *zwey Drittel des Raums zwischen den Eckwandpfeilern werden dem Raume nach innen zugegeben.* Galiani pictura oecum magnum matribus familiarum cum lanificis dicatum spatio inter antas vacuo statim subiunxit, sed partis tertiae demptae rationem nullam habuit. Sane repetitum statim a Vitruvio vocabulum *introrsus* arguere videtur, oecum magnum illum coniunctum eum voluisse cum spatio inter antas relicto.

apud — προστὰς — alios παραστὰς — Wrat. *aput — aliud.* Deinde Guelf. *partes* suprascripto *pastas*, quod ipsum habent Fran. Cotton. Wrat. et restitui iussit Salmasius Exercit. p. 856. b. Temere, uti equidem censeo. De porticu enim vel publica vel privata semper pastes, *παστὰς*, dicitur: cui hic locus nullus est.

Digitized by Google

Locus enim hic a Vitruvio descriptus ipsas duas antas et locum inter antas vacuum complectitur, graece προστὰς vel παραστὰς dictus. De pastade posui loca Scholiorum ad Homerum in Epimetro ad Xenophontis Memorabilia p. 278 quae pleniora dedit egregius Heyne in postrema Homericae Iliadis Editione Vol. 8 p. 663. Alia de pastade loca Grammaticorum et scriptorum graecorum, sed haec pauca, quae quidem hodie extent, posui ibidem p. 286 et 287. Recentiores Graeci παστὸν et παστάδα de thalamo usurparunt, et Apollonius I versu 789 παστάδα aperte de coenaculo dixit, ubi Hypsipyle morabatur. Plura vide in Heynii Annot. ad Iliad. Tom. V p. 636.

De parastade, ex qua quidam Grammatici contractam esse pastadem existimant, sed temere, uti censeo, ibidem dixi p. 286. Pertinent nempe παραστάδες ad portam vel ostium, et a poetis saepe pro ipsa ianua dicuntur. Sic est in Euripidis Phoenissis versu 426 Ἀδράστου δ' ἦλθον ἐς παραστάδας. In Andromache versu 1118 est: καὶ παραστάδοι πρεμαστὰ τεύχη κασσάλων καθαρπάσας. ubi de significatione potest dubitari. Singularis etiam numerus diversitatem videtur significare. In Chandleri Inscriptionum P. II no. 1 saepiuscule nominantur πρόστασις et παραστάς. Sic est p. 23 τῇ παραστάδι τῇ πρὸ τοῦ ἀρχείου. ubi παραστὰς porticum significare videtur. In Sexti Empirici Pyrrhon. Hypoth. 1 sect. 110 est: καὶ ἡ τοῦ βαλανείου παραστὰς τοὺς μὲν ἔξωθεν εἰσιόντας θερμαίνει, ψύχει δὲ τοὺς ἐξιόντας, εἰ ἐν αὐτῇ διατρίβοιεν. In balneo porticum nullam equidem novi; certe Vitruvius libro 5 cap. 10 non nominat, sed *scholam* habet inter labrum et alveum interiectum spatium, ubi circumstantes morari possint. Eam puto graece παραστάδα dictam fuisse; nam schola in porticibus Octaviae est apud Plinium 35 cap. 10 non ipsa porticus. Templa ἐν παραστάσιν pluries nominavit Vitruvius, ubi παραστάδες dicuntur eo sensu, quem Hesychius interpretatur: παραστάδες, οἱ πρὸς τοῖς τοίχοις τετραμμένοι κίονες. Locum Heronis Automatorum p. 269 addo: ἐξ ἑκατέρου μέρους τῶν θυρῶν παρὰ τοὺς στροφεῖς τύπους κενοὺς κατακεφραγμένους, ἐκ τοῦ κατὰ πρόσθεν

Digitized by Google

ἰδέαν ἀπεργαζομένου οἷον παραστάδων. Pollux postes ipsos hoc vocabulo significari annotavit 1, 76 σταθμοὶ δὲ τὰ ἑπατέρωθεν ξύλα κατὰ πλευρὰν τῶν θυρῶν, ἃ καὶ παραστάδας φασίν. Et sic Gregorius Nazianzenus αἱ τῶν ἡμετέρων θυρῶν παραστάδες dixit. Alium Heronis locum p. 158 posuit Hemsterhusius ad Pollucis 10 sect. 25 ἐν τοῖς Αἰγυπτίοις ἱεροῖς πρὸς ταῖς παραστάσι τρόχοι χάλκεοι ἐπίστρεκτοι γίνονται. alterumque Callixeni apud Athenaeum 5 p. 197 διέκειτο δ' ἐκὶ μὲν τῶν τῆς σκηνῆς παραστάδων ζῶα μαρμάρινα ἑκατὸν, ἐν δὲ ταῖς ἀνὰ μέσον χώραις et cet. ubi sunt columnae secundum parietem positae. Denique Cratinus Comicus apud Pollucem 10, 25 iunxit prothyra et parastadas ita: παραστάδας καὶ πρόθυρα βούλει ποικίλα; Diversae igitur videntur esse παραστάδες plurali numero dictae a παραστάδι, illaeque ad ostia pertinuisse, haec vero spatium amplius complexa videtur, seu porticus seu schola aliove nomine appellanda. Fortasse ex Euripidis loco in Andromache suspiceris παραστάδα dictum fuisse parietem porticus, in quo suspensa et dedicata fuerunt spolia et arma.

Superest προστὰς, quam Hesychius πρόστωον interpretatur. Idem πρόδομον Homericum explicat per προστάδα et πρόστωον. Plutarchus in vita Isocratis p. 241 ed. Hutten: ἀνάκειται αὐτοῦ καὶ ἐν Ἐλευσῖνι εἰκὼν χαλκῆ ἔμπροσθε τοῦ προστώου. ubi vertitur *ante vestibulum porticus*. inepte! Reliquorum Grammaticorum loca uno in loco posuit Heyne ad Iliadem Tom. V p. 634 sqq. ex quibus de significatione vocabuli nihil proficias. Nec ubi singulatim προστὰς nominatur in scriptoribus, licet inde argumentum certum ducere. Sed est locus Callixeni apud Athenaeum 5 p. 206 μετὰ δὲ τοῦτο αἴθριον ἐξεδέχετο, τὴν ἐπάνω τῆς ὑποκειμένης προστάδος τάξιν κατέχον. ubi tamen in praecedentibus non nominata est προστὰς aliqua, unde de situ et ordine iudicare liceat. Scilicet errore librariorum accidit, ut προστάδος antecedens mentio oblitteraretur, eamque egregie ex vestigiis scripturae antiquae manifestis restituit nuperus Editor Schweighaeuser. Duobus enim in locis nominatur προστὰς ita, uti significationem

Digitized by Google

et situm satis certo agnoscere liceat. Ponam ipsa Callixeni verba ex descriptione navigii thalamegi, constructi a Ptolemaeo Philopatore. Circum navem in tribus lateribus binae erant ambulationes, quarum inferior peristylo, superior cryptoporticui similis erat. Introeunti a puppe prima occurrebat προστὰς (vestibulum vertitur) a parte anteriore aperta, circum vero simplice columnarum serie circumdata (περίπτερος). In adversa prorae parte e regione huius constructum erat propylaeum, quod excipiebat similitudo proscenii superne tecti. Rursus similiter in medio latere navigii a postica parte apposita erat (παρέκειτο ὄπισθεν) prostas altera (προστὰς ἑτέρα) ad quam ferebat porta quadriforis (πυλὼν τετράθυρος). Cum his coniunctus erat oecus maximus, peripterus, triginta lectos capiens. Iuxta hunc oecum, qui symposii etiam nomine deinceps appellatur, erat cubiculum septem lectorum capax, quod attingebat angustum iter, transversum per latitudinem alvei navis ductum, quod gynaeconitin separabat. (σύριγξ στενὴ est graece, qui Vitruvio et Plinio *andron* dicitur.) In gynaeconiti inerat symposium seu coenatio novem lectorum capax, cultus magnificentia similis oeco magno, cum cubiculo lectorum septem capace. Tum exsequitur Callixenus dispositionem contignationis, quam nunc omitto. Architectus navigii videtur in dispositione spatiorum imitatus ordinem domus graecae oecorum: quare locus hic Callixeni facit egregie ad illustrandam descriptionem Vitruvianam aedificiorum graecorum. Constat igitur inde προστάδα fuisse dictum genus aliquod vestibuli, columnis in tribus lateribus circumdatum, (περίπτερον) in quarto vero apertum et patens. Ex hoc in navigio Ptolemaei transibatur ad maximum oecum seu coenationem. Quam similitudinem et significationem si ad Vitruvium transferimus, fit manifestum prostadis nomine Vitruvium non intelligi voluisse peristylum ipsum; prostas enim Ptolemaei in navigio erat non peristylos sed peripteros. Eandem formam vulgo prostades habuisse videntur. De ipso spatio inter antas relicto in quarta peristyli parte multo minus cogitandum est. Relinquitur ergo *spatium*

Digitized by Google

quod introrsus dari ex antis voluit Vitruvius. Hoc *spatium* statim deinceps *locum* appellat, eique vocabulum *προστὰς* et *παραστὰς* accommodat. Dubitationem potest facere aliquam, quod Vitruvius post mentionem prostadis, quam singulari numero *locum* dixerat, subito repetit: *In his locis introrsus constituuntur oeci magni.* Sed condonanda est Vitruvio negligentia sermonis, quae quidem hic lectorem non potest diu morari, dummodo de *spatio introrsum dato* et de *loco prostadis nomine vocato* constiterit. Prostas igitur in quarta peristylii parte intra et post antas collocata, tertia parte minus lata, quam distant antae, ad utrumque latus cubicula, id est thalamum et amphithalamum, habebat apposita.

2.

familiarum cum lanificis — Sulpic. *familias.* Solus Fran. vulgatum *lanificiis* correctum habet, probante Wesselingio Observ. p. 269. Verum iam olim viderat Salmasius Exerc. p. 857. Sequens *sessionem* pro vulgato *sessiones* dedi ex Sulp. Fran. Guelf. Wrat.

prostadis — Sulp. Fran. Cotton. Wrat. *prostadii*, atque ita ex h. l. laudavit Salmasius p. 857.

amphithalamus — Guelf. *amphitalamos.* Herm. Barbarus *antithalamus* coniecit, et Plinii iunioris *procoetion* est interpretatus; quam coniecturam probavit cum Perralto Rode.

et cellae familiaricae — Copulam omisit Sulp. Voss. Guelf. Wrat. Ceterum familiaricas cellas hinc in Varronem de R. R. 1, 13, 4. transtulerat Iocundus, ubi Edd. primae rectius habent *sellas familiares*, i. e. *ἀφεδρῶνας*, cloacas. Cellas familiae dixit Cato 14, 2. Perraltus h. l. *Garderobes* vertit.

3.

his domus — Sulp. *iis.* Guelf. *his* suprascripto *iis.* Deinde *lautiora* Vatic. Fran. Voss. Guelf. Wrat. Postea *porticos* Wrat. Ordinem verborum hunc tenet Sulp. *sunt quatuor pares porticus altitudinis.* Sic enim habet pro *altitudinibus.*

Digitized by Google

peristylium — Sulp. Guelf. et Iocundus *peristylum*, Wrat. *epistylium*. Sequens *habet* omittit Wrat. *habent* dat Argentoratensis anni 1543.

Rhodiacum — Cotton. *Rhodaicum*, Wrat. *Rhodiaticum*. Deinde *dicitur* Sulp. Vatic. Wrat.

Habent autem eae — Cotton. *Habet enim ea*. Sulpic. *hae* cum Guelf. Wrat.

vestibula egregia — Haec vestibula respondere mihi videntur prostadi gynaeconitidos, ut in thalamego nave Ptolemaei Philopatoris prostadi in puppi collocatae, peripterae, respondebat in prora collocatum προκύλαιον cum similitudine aliqua proscenii, ut supra dixi.

et ex — ornatas — Haec omisit Voss. *ornatos* Guelf. Wrat. Deinde *Cytizena* Wrat.

oecos quadratos tam — Sulp. Franeck. Cotton. Guelf. Wrat. *oecos quadrata ostia*. Deinde Wrat. *ut faciliter*.

in eis — Sulp. Fran. Voss. Guelf. Wrat. *in eo*. Deinde *quatuor triclinii* — *operas* Guelf. Wrat. Barbari Editio *operis* omisit. Probabilis est F. Ursini coniectura in Appendice ad Ciacconii Librum de Triclinio p. 100 scribendum esse: *ministratorum ludionumque operis*.

4.

In his oecis — Hinc Wratisl. Capitulum XVII exorditur.

familiarum — Sulpic. *familias*. Deinde *accumbare* Cotton. Voluit *accubare* dare. Postea *Haec enim* Voss. Denique *versabuntur* Cotton.

Praeterea dextra ac sinistra — Locum accurate si definire velimus hospitaliis, ad sinistram et dextram peristylii posterioris, quod androna ait vocari Vitruvius, constituenda videntur, ita tamen ut aditus suos et ianuas habeant, *ne hospites advenientes* (Vatic. *convenientes*) *in peristylia* (andronas) *recipiantur*. At statim sequitur in Vitruvio: *Inter haec peristylia et hospitalia itinera sunt, quae mesaulae dicuntur, quod inter duas aulas media sunt*

Digitized by Google

interposita. Quomodo vero *mesaulae* dici possunt mediae esse inter duas aulas, si *peristylia* nunc de andronitidis aulą seu peristylio solo dicuntur? Sed Sulpiciana cum optimis Codd. habet: *Inter duo autem peristylia:* deinde sola Sulpiciana omittit verba *et hospitalia.* Si vulgatam scripturam amplectimur, hospitalia erunt intra ipsa peristylia vel utraque vel andronitidis conclusa. At vero Vitruvius hospites in peristylia noluit admitti, sed exclusit. Ergo ad latera exteriora dextra ac sinistra hospitalia constituenda videntur. Consequitur hinc, ut nec mesaulae inter peristylia et hospitalia intermediae esse possint. Igitur verba *et hospitalia* cum Sulpiciana sunt omittenda. *Μέσαυλον* graphice ad mentem Vitruvii describit Apollonius 3, 235. *ἐνθάδε καὶ μέσσαυλος ἐλήλατο· τῇ δ' ἐπὶ πολλαὶ διπλίδες εὐπηγεῖς, θάλαμοί τ' ἔσαν ἔνθα καὶ ἔνθα· δαιδαλέη δ' αἴθουσα παρὲξ ἑκάτερθε τέτυπτο· λέχρις δ' αἰπεινοὶ δόμοι ἔστασαν ἀμφοτέρωθε.* Accuratius Achilles Tatius 3, 19. *εἶχε δὲ ὁ θάλαμος αὐτῆς οὕτως. Χωρίον ἦν μέγα, τέτταρα οἰκήματα ἔχον, δύο μὲν ἐπὶ δεξιὰ, δύο δὲ ἐπὶ θάτερα· μέσος δὲ διεῖργε στενωπὸς ὁδὸς ἐπὶ τὰ οἰκήματα. Θύρα δὲ ἐν ἀρχῇ τοῦ στενωποῦ μία ἐνεπλείετο. Ταύτην εἶχον τὴν παταγωγὴν αἱ γυναῖκες. Καὶ τὰ μὲν ἐνδοτέρω τῶν οἰκημάτων ἥ τε παρθένος καὶ ἡ μήτηρ αὐτῆς διειλήφεσαν, ἑπατέρα τὸ ἀντιπρύ· τὰ δὲ ἔξω δύο τὰ πρὸς τὴν εἴσοδον, τὸ μὲν ἡ Κλειὼ, τὸ πατὰ τὴν παρθένον, τὸ δὲ ταμιεῖον ἦν.* Cetera loca de *μεσαύλῳ* vel *μεταύλῳ* vide in Epimetro ad Xenophontis Memor. p. 279. Reliqua in extremis annotationibus ad hoc caput disputabo.

fuerunt — Sulp. Wrat. *fuerint.* Deinde *et fortuna* Sulp. Fran. Guelf. *et ab fort. opul.* omittit Wrat. *ab fortuna opul.* Vossianus. Vulgabatur *et ab fortuna.* Post *triclinia* Sulpic. *et* inserit.

postero — Ita recte Sulpiciana et Iocundi utraque Editio. Posteriores male *postremo* dederunt contra librorum scriptorum auctoritatem, excepta Rodiana.

Ideo — imitantes — appellaverunt — Cotton. *Ideoque.* Vossianus *imitantur — appellantur.* Deinde *liberalitatem* Fran. Guelf. Wrat. dant pro *libertatem.*

Digitized by Google

5.

Inter duo autem peristylia — Vulgabatur *Inter haec autem p. et hospitalia.* Primum Sulpic. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *Inter duo autem* dant, deinde sola Sulpiciana verba *et hospitalia* omittit. Postea *mesauloe* Vossianus, *mesaluae* Wrat. *mausoloe* Vatic. Rectum est *mesauloe*, (μέσαυλοι). Denique *Nostri aut eas* Wrat. scriptum habet.

andronas — Plinius iunior Epist. 2, 17, 22. *iunctum est cubiculum noctis et somni. — Tam alti abditique secreti illa ratio, quod interiacens andron parietem cubiculi hortique distinguit, atque ita omnem sonum media inanitate consumit.* σύριγγα στενὴν dixit Callixenus in loco supraposito.

non accedunt — Ita Franeck. Voss. pro vulgato *accedant;* at Guelf. Wrat. *accedent.* Dehinc Capitulum XVIII exorditur Wratisl.

xystus — telamones — Sulpic. *xystos — thalamones.* Posterius est vocabulum etiam in Cotton. Guelf. *thalomones* Franeck. Wrat. Postea *huiusmodi* Sulpic. Isaac. Vossius comparat ad h. l. glossam Philoxeni: *Telamo* Ἄτλας τὸ ὄρος. ubi Editio Vulcanii habet scriptum Ἀγλαστορος. Utrumque a τλᾶν derivatum est. Hesychio τελαμὼν est etiam ὁ ἀναφορεὺς τοῦ ξίφους καὶ τῆς ἀσπίδος ἢ δεσμός. Moschion Athenaei 5 p. 208. ἄτλαντές τε περιέτρεχον τὴν ναῦν ἐπτὰς ἐξωπήχεις, οἳ τοὺς ὄγκους ὑπειλήφεισαν τοὺς ἀνωτάτω καὶ τὸ τρίγλυφον, πάντες ἐν διαστήματι βεβῶτες.

hypaethras — xysta — Vossianus cum Wrat. *hypaethrus,* quasi ὑπαίθρους reddere voluerint; deinde *xystis* Guelf. Voss. *xysta* Sulpic. Wrat. et Codices aliqui apud Philandrum, quod restitui in locum vulgati *xystos.*

παραδρομίδας — Ita pro περιδρομίδας Sulpic. Vatic. Franeck. Cotton. Guelf. ubi est scriptum *paradromidas.* Wratisl. *padromiadas* dat. Ciseranus ex libris *paradromidas* et *paradonidas* memoravit. Supra V, 11 *peradromides* Sulpic. *paradromidas* Vatic. Franeck. Cotton. *parthromidas* Guelf. *pathomidas* Wrat.

Digitized by Google

Ibidem *xysta* Sulpic. Guelf. *xista* Wrat. Graeci scriptores, quos reliquos habemus, *περιπάτους* vocant ambulationes subdiales, *παραδρομίδας* et *περιδρομίδας* ignorant. Cicero tamen ad Atticum I, 8 gymnasium xystumque iuxta nominat. Seneca de Ira III, 18 *in xysto maternorum hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulans.* Tandem reperi in Philone de Septem Spectaculis Mundi locum p. 16 de latitudine murorum Babylonis: *τὰ δὲ πλάτη τῶν παραδρομίδων ἅρματα τέτρωρα τέσσαρα κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν διϊππεύει.* quae Allatius vertit: *deambulationum latitudines.* rectius comparavit locum Strabonis de iisdem muris: *ἡ δὲ πάροδος ἐπὶ τοῦ τείχους, ὥστε τέθριππα ἐναντιοδρομεῖν ἀλλήλοις ῥαδίως. Παραδρομὶς* et *πάροδος* vocatur spatium inter eminentes utrinque murorum pinnas inclusum. Sed *παραδρομίδες* Vitruvianae dicuntur ab eo, quod sunt iuxta *δρόμους*, quo nomine Graeci ambulationes tectas vocant, ut in Disputatione de Palaestra demonstravi locis Platonis appositis, quibus accedat postremus Phaedri initio, ubi Acumenus medicus *φησὶν ἀποκωτέρους τῶν ἐν τοῖς δρόμοις εἶναι τοὺς περιπάτους κατὰ τὰς ὁδούς.* quem locum accuratissime interpretatus est Mercurialis de Gymnastica p. 38 et 217. Heliodorus Aethiop. I p. 32 Coray: Isidis templi *προκύλαια καὶ περιδρόμους ἀνθρώπων πεκλῆσθαι* ait, et p. 149 *εἰκόνας καὶ πράξεις ἀνδρῶσι καὶ περιδρόμοις ἐνέγραφον.* ubi Coray *στοὰς* interpretatur.

ante ianuas — Guelf. Cotton. *in ianuas.* Verum, quod coniectura assecutus est Is. Vossius, *ante ianuas* dat Wratisl. Vulgo est *ante in ianuis.* Vocabulum *διάθυρα* alibi non reperi positum; manet ergo dubiae notionis. Budaeus Annot. poster. ad Pandectas p. 275. diathyron esse censebat obicem transversarium ductilem aut versatilem, id est repagulum e materia compactum, quod et vehicula et equos a vestibulo aedium arceat. Quem sequitur Philander ad h. l.

6.

Telamones appellant — Sulpic Wrat. *Thelamones.* Deinde

Digitized by Google

appellaunt Sulpic. Deinde *ratione* Vatic. Cotton. Sequens *dicantur* male Iocundi et sequentes Edd. omiserunt. Postea *vocant* Wratisl.

historia formatur — Wratisl. Guelf. *formatur* (Wrat. *formantur*) *historia.* Argentor. et Tornaesiana male *historice.*

ortus et occasus mundique — Haec omisit Sulp. Guelf. Fran. Vossianus, sed in Guelf. margine adscripta leguntur. In Wrat. *omnium* sequitur post *mundique.*

tradendas, eaque re — Guelf. Wrat. Franeck. *tradenda.* Deinde *res* Sulpic. Franeck. Cotton. Guelf. Wrat.

πλειάδας — Guelf. *pliadas*, Wrat. *paliadas*, quasi πελειάδας voluerit.

7.

perscripsi — Ergo — Franeck. *perscripsero.* Hinc Capitulum XIX exordiţur Wratisl.

decoreque — scriptum — Sulp. *Graecorum — conscriptum.* Posterior forma est etiam in Guelf. Wratisl.

permaneat et — collocetur — Vatic. Franeck. Wratisl. *permanentia — collocentur* dant.

Videamus nunc breviter de dispositione singularum partium domus graecae, inprimis vero de loco hospitaliorum et de mesaulis. Harum enim a recta collocatione plurima loca pendent. Delineationem gynaeconitidis tantum posuit Iocundus in utraque Editione, andronitin lectoribus excogitandam reliquit. Igitur eius iudicium in censum venire non potest. Galiani in Tabula XX. sinistra seu ad orientem andronitin opposuit gynaeconitidi ad occidentem collocatae, sed minori; versus meridiem extremum oecum quadratum utrinque posuit. Hospitalia sinistra et dextra iuxta andronitin et gynaeconitin apposuit, sed mesaulo utrinque separavit. Rode in Tabula XVI Forma X ad gynaeconitin quod pertinet peristylium opposuit in latere dextro oeco magno quadrato andronitidis et ultra eum produxit, ita ut duo peristylia non sibi respondeant opposita; itaque hospitalia utrinque ita sunt apposita, ut sinistra ad

Digitized by Google

latus andronitidis, dextra vero ad latus equiliorum sint collocata, et mesaulo separata, plane ut in forma Galiani. Inter Gallos post Perraltum Mariette domum graecam delineavit, cuius formam prodidit auctor elegantissimus Itineris Anacharsidis in Tabula XIII. Is in caeteris Galianum secutus hospitalia ad latus sinistrum duo apposuit unaque mesaulo ab andronitide separavit. Accessit nuper vir doctus, B. Weiske, qui in novissima Xenophontis Memorabilium Editione formam domus graecae ex Vitruvio delineavit, ita, ut andronitis non ad latus gynaeconitidis sit collocata, sed post eam velut abscondita lateat. Igitur introitus statim patet ad gynaeconitin; quod est contra mores graecos, et arguit virum doctum a mente Vitruvii plane aberrasse, nec formas ab Interpretibus Vitruvii delineatas aut inspexisse aut probasse. De hospitalibus eorumque loco sibi non liquere satis fatetur; de mesaulo plane tacuit. Itaque ex tota eius disputatione nihil plane proficimus vel ad Vitruvium rectius interpretandum, vel ad Xenophontis locos clarius illustrandos. Errandi occasionem viris doctis praebuisse videntur verba Vitruvii, qui *mesaulas* plurali numero vocavit, cum una tantum *μέσαυλος* (Atticis *μέραυλος*) inter andronitin et gynaeconitin intercedat. Sed non animadverterunt Interpretes Vitruvium *itinera* plurali numero dicere hic et ab initio, *oecos* etiam *magnos* in gynaeconitide et *quadratos* in andronitide, quos singulari numero intelligendos esse recte censuerunt viri docti, si ad unam et singularem domum referantur. Stieglitzii versionem seu interpretationem partis alicuius iam vidimus. Breviter nunc opinionem eius de dispositione totius gynaeconitidis addam. Is p. 120. andronitin in anteriore aedificii parte collocatam, gynaeconitin vero in remotissima reconditam fuisse posuit; quam tamen partium dispositionem ex verbis Vitruvii exsculpere nemo facile poterit. Deinde parastadem vel pastadem vertit *Halle*, id est porticum, quod facere reliqua Vitruvii verba non permittunt. Peristylium enim gynaeconitidis tres tantum habuit porticus, ut disertis verbis tradit Vitruvius; quartam igitur extra spatium inter antas re-

Digitized by Google

lictum collocare cum viro docto non licet. Nec tale quid comminisci aut pingere ausi sunt Galiani et Rode; ille vero recte utrinque ad latus oeci magni thalamum et amphithalamum collocavit, quem plane omisit Rode. Ceterum Vitruvii locus hic est clarissimus de parastade vel pastade in quarta parte peristylii, porticu carente, sita: proprie enim *παραστὰς* de lateribus seu pilis ostiorum dicitur. Graeci sequiores eandem partem *προστάδα* et *παστάδα* dixerunt, ut ex Scholiis ad Apollonium 1, 789 docuit Salmasius in Exercit. p. 856. b. Vide dicta in Epimetro ad Xenophontis Memorabilia p. 286.

Postea vidi doctissimum virum, Boettiger, in Prolusione I de Medea Euripidea cum priscae artis operibus comparata, edita 1802, ad locum Euripideum 134 alterumque 1137 praeclare quaedam disputasse de domus graecae antiquissimae partium dispositione, quae repetere hic nolo. Multa enim supersunt ex longa et accurata scriptorum graecorum antiquissimorum lectione demum colligenda et digerenda per diversas hominum aetates, quo diligentius exquiri possit, quid ex antiqua aedium Homericarum forma secula insequentia mutaverint.

Tandem post tertium annum, quo redii ad has annotationes retractandas, addere possum locum classicum de hospitalibus ex Euripidis Alcesti versu 546 et seqq. ubi Admetus advenientem Herculem et domum suam, utpote funere coniugis contristatam, ingredi nolentem ita hortatur: *χωρὶς ξενῶνές εἰσιν, οἷς σ' ἐσάξομεν.* Alloquitur deinde servum et Herculem deducere iubet in hospitalia: *ἡγοῦ σὺ, τῶνδε δωμάτων ἐξωπίους ξενῶνας οἴξας, τοῖς τ' ἐφεστῶσι φράσον, σίτων παρεῖναι πλῆθος· ἐν δὲ κλήσατε θύρας μεσαύλους· οὐ πρέπει θοινουμένους κλύειν στεναγμῶν οὐδὲ λυπεῖσθαι ξένους.* ubi situm hospitalium designant verba *τῶνδε δωμάτων ἐξωπίους*, ubi *δώματα* videntur esse andronitis et gynaeconitis. Barnesius locum vertit: *harum aedium externis id est posticis hospitiis apertis.* Deinde iterum situm indicant verba, ubi occludi fores *μεσαύλους* iubet Admetus, ne lamenta inde lugentium perferantur ad aures hospitis. Denique versu 756 servus

Digitized by Google

Herculi additus queritur de eius immodestia ita: *οὔτι σωφρόνως ἐδέξατο τὰ προστυχόντα ξένια — ἀλλ' εἴτι μὴ φέροιμεν, ὥτρυνε φέρειν.* ubi *ξένια* recte Scholia interpretantur *ὄψα*, apparatum coenae hospiti oblatae. Verba *δωμάτων ἐξώπιος χρονίζων* sunt in Medeae versu 624. *δόμων ἐξώπιος βέβηκε* in Supplicum versu 1038 est *extra domum abiit.* Aristophanes Thesmoph. 881 opponit haec: *Πρωτεὺς ἔνδον ἔστ' ἢ 'ξώπιος; Proteus intusne an foris?* Igitur *ξενῶνες* erant extra et post andronitin et gynaeconitin positi, forte ad dextram aut sinistram, ita ut *μέσαυλος θύρα* media esset inter hospitalia, quam ipsam Admetus occludi iubet, ne hospes clamore lugentium inde exeunte perturbetur. Hesychius, *ξενῶνες οἱ ἀνδρῶνες ὑπὸ Φρυγίων*, coenacula virilia a Phrygibus graece loquentibus *ξενῶνας* vocari ait. Idem habet *ξεινοῦσαι, ξενῶνες.* quae glossa ad intellectum *οἰκίαι* pertinere videtur. De hospitalibus theatri graeci alia disputatio est.

Domus denique graecae partium descriptio qua in re romanae similis aut diversa ab ea fuerit, supra dixi in annotationibus ad Cap. III. ubi de cavaedio, vestibulo et atrio disputavi. Addere nunc lubet vestigia architecturae Graecae et Tuscanicae reliqua et reperta in statione Africae arenosae ea, quam Herodotus 4, 182. *Ἄυγιλα*, Arabes hodie *Otschéla* vocant, quae annotavit civis noster *Hornemann*, ex cuius Itinerario ponam locum ex versione Gallica egregiis *Langlesii* aucta annotationibus, T. I p. 70. *Les maisons sont de pierre calcaire tirée des montagnes voisines; elles n'ont que le rez-de-chaussée. Les appartemens sont obscurs, la lumiere n'ayant d'autre issue que la porte. Ils sont pour l'ordinaire disposés autour d'une petite cour, sur laquelle donne l'entrée de chaque chambre afin d'y procurer plus de jour.* Videtur igitur origo huius domorum structurae graecae peregrina esse, aut potius reliquiae illae Africanae arguunt coloniam aliquam graecam olim illuc fuisse traductam. Coloniae vero graecae in media Africa praeter Cyrenen Locrorum solus meminit Virgilius Aeneidis XI, 265. *Libyco habitantes littore Locros* memorans. Ad quem locum inter alia Servius haec posuit: *Alii hos*

Digitized by Google

circa Syrtes posuisse sedes: alii in Libya insulas quasdam inhaerentes occupasse, eosque initio Nisamones, postea corrupte Nasamones appellatos: alii, amissa in Syrtibus classe, per mediterrena arietis fortuito ductu iter facientes ad Ammonem pervenisse et oppidum Aurela inter Nasamones condidisse: alii Africae insulam tenuisse, quae nunc Cercina dicitur. ubi si mecum *Aucela* vel *Augela* scripseris, habebis oppidum ipsum illud, quod eadem in regione Herodotus *Αὔγιλα* nominavit; habes originem structurae graecae domorum, quam in reliquiis hodieque conspiciendis merito miramur. Alibi vestigia huius coloniae Graecorum reperiri in annotatione ad Virgilium venerandus Heyne negavit.

AD CAPUT VIII. (vulgo XI.)

Inscriptio Edd. talis erat: *De firmitate et fundamentis aedificiorum.* Galiani *De firmitate aedificiorum* tantum posuit, Rodiana demum sola: *De firmitate aedificiorum, hypogeis, aedificiis, quae pilatim aguntur, et substructionibus*, quorum verborum pars abundat, quaedam desunt eorum quae caput ipsum tradit. Quare novum titulum apposui, qui summam capitis continere videtur.

quae plano pede — Wrat. *planto.* Columella *pedem areae* I, 4, 8. *in plano sitam cellam vinariam* dixit I, 6, 9. cui opponit *hypogaeam* sect. 11. Varro de L. L. 4 p. 25 Bip. *a quo dicitur in aedificiis area pes magnus, et qui fundamentum instituit, pedem ponit.* Seneca de Tranquill. c. 10. *exiguae saepe areae in multos usus describentis arte patuere, et quamvis angustum pedem dispositio fecit habitabilem.* Galli hinc suum *plain pied* duxerunt. Pro *facta* forte quis *iacta* malit scriptum.

uti in prioribus — Sulp. Guelf. Wratisl. *ut*, Cotton. *aut.* Deinde *superioribus* Vatic. 2. Sequens *a* omisit Franeck. Voss. Pro *ea* est *haec* in Sulp. *hae* Cotton.

quam quae — Wrat. *quod quam.* Voss. *quae* omittit. Deinde *pandantibus* Sulp.

Digitized by Google

2.

inter limina — Fran. Cotton. Guelf. Wrat. *lumina.* Deinde Wrat. *spilas* habet scriptum; postea *supponantur, erunt vitiosae.*

Limina enim — Cotton. Wrat. *lumina.* Deinde *trabis* Wrat. Postea *pondentes* Wrat. *pandentes* Vatic. 1. Sequens *frangunt* omisit Wrat.

sublisi — Ita clare Sulpic. *sublesi* Wrat. *sub lysi* Guelf. sed *sublisi* correctum. *sublysi* Fran. Cotton. unde locundus ineptissime *sub lysi* dedit, quod Philander in *sublisae* aut *sua lysi* mutandum censuit. *sua lysi* dedit Laetiana, Galiani et Rode, idque vertit Perraltus. Omnes enim bene intellexerunt minime huc pertinere lysin coronae iunctam libri 3 cap. 3 et 5 cap. 7. longe diversa significatione dictam. Ceterum etiam librorum scriptorum lectionem vitiosam puto, et *sublestae* scribendum censeo, vocabulum Plautinum, quod Festus *tenue*, *infirmum*, Nonius contra *leve* et *frivolum* interpretatur. Optime eius significatio propria ex loco Vitruvii comparato cum fragmento Plauti apud Nonium cognoscitur:

Nam ubi ad paupertatem accessit infamia,
Paupertas grávior fit, fides sublestior.

Est sublestum proprie quod ponderi ferendo impar cedit, igitur infirmum. Quodsi fidem Codicum tueri velis, a *laedere* derivabis, unde postea ipse Vitruvius *neque eas laedere*, aut a *lidere*, unde *allidere* et *elidere* descendunt. *Syllysi* coniecit Laet. Ciseranus vertit *del sublysio*, annotationi praescripsit *sublysi*, sed annotavit *sublici structuras:* quod interpretatur: *subligatione flexa, si como diressemo uno soto archo vel soto volto.* Locum ita vertit Perraltus: *de mettre des poteaux au-dessus de chaque linteau au droit de l'un et de l'autre jambage — mais ces poteaux étant mis dessous et bien arretés empecheront que les poitrails ne s'enfoncent.* Galiani: *ove sono le soglie, se a dritto de' pilastri e degli stipiti se metteranno de' puntelli sotto, queste non patiranno — ma se vi si porrano i puntelli a stretta.*

Digitized by Google

3.

fornicationes — Wrat. *fornices.* Deinde *cumeorum* Cotton. Guelf. Wrat. Ceterum *conclusura* aut sunt *coagmenta*, quae mox bis dicuntur, aut mutanda sunt in *conclusae*, ita ut scribatur *divisionibus ad centrum respondentium conclusae.* Ita statim sequitur: *arcus cuneis conclusi*, et *fornices concludantur cuneorum divisionibus, coagmentis ad centrum respondentibus.* Perraltus vertit: *par des décharges faites de pierres taillées en maniere de coin et disposées en voute: car les deux bouts de l'arcade de décharge étant posés sur les bouts du linteau ou du poitrail.* Galiani: *con degli archi fatti a conj ben divisi.*

liminum — Wrat. *luminum.* Deinde Cotton. *cuneus.* Postea *conclusae* Fran. Guelf. Wrat. Denique *pandebit* Vatic. 1. Wrat.

levata onere — Cotton. *levat onera.* Deinde *si quid* Fran. Sequens *e* omittunt Fran. Voss. Guelf. Wrat.

ceperit — Sulp. *coepit.* Guelf. *ceperit* suprascripto *coeperit*, quod est in Wrat. Iocundeum *coeperit* dedit Rode, sed in Addendis restitui voluit id quod cum Philandro, Laeto et Galiano dedi.

fulturarum — Non opus erit obmovere tibicines et fulcimenta, si quid erit immutandum. Ita Philander comparans locum Plinii 36 c. 5. *Cyzici vocant buleuterion aedificium amplum, sine ferreo clavo ita disposita contignatione, ut eximantur trabes sine fulturis et reponantur.*

4.

pilatim aguntur — i. e. per pilas. Sunt autem pilae quadratae, quas Graeci στήλας vocant, quo nomine utitur Plinius 6 cap. 28. Ita Philander. Cato R. R. 14, 1. *pilas ex lapide angulari* habet. Caesar B. C. 2, 15. *ubi aut spatium inter muros aut imbecillitas materiae postulare videretur, pilae interponuntur, quae firmamento esse possint.* Festus: *Pila, quae parietem sustentat, ab opponendo dicta est.* Στήλας Hesychius cum auctore glossae Apollonio Grammatico interpretatur οἱ λίθοι τοῦ

Digitized by Google

τείχους οἱ προεστῶτες κάτωθεν πρὸς ἀντέρεισμα καὶ θεμέλιον. Respexit is Iliadis 12, 259. ubi est στήλας τε προβλῆτας ἐμόχλεον. ubi Scholia explicant per λίθους τοὺς θεμελίους, alia per ἀντηρίδας ἢ τοὺς προμαχῶνας. Perraltus h. l. vertit: *dans les édifices qui sont batis sur des piles jointes par des arcades.* Galiani: *nelle fabbriche fatte a pilastri ed a archi commessi di conj tirati a un centro.* De his pilis postea accuratius dicetur.

et cuneorum — Wrat. *et acimea.* in quo quid lateat, non exputabam. Ceterum vulgarem huius loci distinctionem, ubi post verbum *concluduntur* est punctum, et *Extremae pilae* novam periodum exordiuntur, solus correxit Galiani, quem male deseruit Rode. Scilicet verba ita struenda sunt: *Quae pilatim — aedificia, et* (repetendum *quae*) *cuneorum — fornices concluduntur, in his* et cet.

faciundae — Wratisl. *faciendae*, deinde *ea*, Cotton. *hae.* Sequens *extrudunt* ex Sulpic. revocavi. Vulgatum *extruderint* debetur Iocundo. In Guelf. Wrat. Cotton. est *extruderent.*

incumbas — Incumbentes cuneos videtur appellare, id est reliquos praeter medium, qui unus recte sive ad perpendiculum ad centrum fertur, aut, quod magis placet, eam pilae partem, ubi arcus innituntur. Itali *impostas* ab imponendo vocant. Sic Philander, quem sequitur Perraltus *Impostes*, et Galiani *impostature* vertens. Ab incumbendo dictas fuisse apparet. Similes sunt *subcumbi* vel *succumbi* lapides in Scriptoribus agrimensoriis Goesii p. 265 et 302. Columella 1, 5, 9. *quippe ab imo praestructa valent et resistent contra ea quae postmodum superposita incumbent.* Pertinet huc narratio Procopii de fornicibus templi Sophiae I c. 1. οἱ δὲ πεσσοὶ (pilae) τῶν ἐγκειμένων σφίσιν οὐκ ἐνεγκόντες τὸ μέγεθος, ἀμηχέπη ἐξαπιναίως ἀποῤῥηγνύμενοι οὐκ εἰς μακρὰν διαλυθησομένοις ἐώμεσαν; deinde: οἱ λῶροι τοῦ νεὼ τῇ οἰκοδομίᾳ ἐξωγκωμένοι ἠώρηντο. βαρυνόμενα δὲ αὐτοῖς ἐπεκονήπει τὰ ἔνερθεν (incumbae) πάντα, κίονές τε οἱ τῇδε ὄντες χάλικας μικροὺς ὥσπερ ἀποξυσθέντες ἀφίεσαν. — τούτων δὴ τῶν πεκονηκότων τὰ ἄκρα ὅσα τῶν ἀψίδων ἐπέψαυσε, διελεῖν μὲν ἐν

Digitized by Google

τῷ παραυτίκα ἐπέλευσεν, ἐντιθέναι δὲ πολλῷ ὕστερον, ἐπειδὰν τὸ τῆς οἰκοδομίας ὑγρὸν ἀπολωφήσειεν αὐτοῖς μάλιστα.

si angulares — Sulpic. *singulares*. Pilae hae, quas noster supra etiam 5, 1 nominavit, graece πεσσοὶ dicuntur. Ita Strabo 16 p. 1073. συνέχεται δὲ ψαλιδώμασι παμμαρωτοῖς ἐπὶ πεσσῶν ἱδρυμένοις κιβωτοειδῶν. Salmasius Exercit. p. 520 comparat locum Procopii de Aedificiis Iustiniani I, 1. κατὰ δὲ τοῦ νεὼ μέσα λόφοι χειροποιητοὶ ἑπτανεστήκασι τέσσαρες, οὓς καλοῦσι πεσσούς. (Idem paulo post structuram harum pilarum accuratius describit.) et Codini: τῶν δὲ κιονῶν ὑψωθέντων καὶ τῶν μεγάλων κιόνων σταθέντων ἔμελλεν μετ' αὐτῶν καὶ τοὺς Ῥωμαίους κίονας στῆσαι. Quod addit *Pinsum vocat Vitruvius*, quo pertineat, equidem non assequor. Vocabulum locis plurimis scriptorum sequioris aevi illustravit Cangii Glossar. Gr. sub voce Πινσός.

Videamus nunc de graecis fornicum nominibus, quae plura fuerunt. Antiquissimum quidem videtur ψαλὶς, quo usus est Sophocles in fragmento apud Pollucem IX sect. 49. Usurpavit etiam Plato de fornice subterranea monumenti sepulcralis libro XII Legum p. 189 ed. Bipont.: θήκην δὲ ὑπὸ γῆς αὐτοῖς εἰργασμένην εἶναι ἀψῖδα προμήκη λίθων προτίμων καὶ ἀγήρων εἰς δύναμιν, ἔχουσαν πλίνας παραλλήλας λιθίνας πεπεμένας. ubi Pollux l. c. et Suidas in vocabulo ψαλίδα — πολυτίμων rectius scriptum in suis libris repererunt. Suidas etiam addit ἣν ἡμεῖς ἀψίδα φαμέν. Ita etiam Scholion Platonicum a Ruhnkenio editum p. 243 scriptum in suo libro interpretatur, quod scholion inde transtulit totum Suidas, nisi quod auctor scholii ἀψῖδα ἤτοι παμάραν ὡς νῦν addit. Monuerunt de vitio loci Platonici viri docti ad Pollucem, inter quos Hemsterhusius vidit etiam verba εἰς δύναμιν, a Ficino omissa, esse delenda tanquam ab aliena manu addita atque inutilia.

Philoxeni glossarium: ψαλὶς, ἡ ἀψὶς, arcus. Vocabulum ipsum Phoeniciae originis esse suspicatur Hemsterhusius ad Pollucem; contra Galenus in Ant. Cocchii Chirurgis veter. p. 106 rationem significationis inde repetit, quod forficum ansae additum habebant arcum vel anulum oblongum, ut nostri etiam forficum ansas fabri-

Digitized by Google

cantur. Laurentius Lydus de Mensibus: *ψαλίς ἐστιν οἰκοδομῆς εἶδος ἡμικυλίνδριον τὸ σχῆμα ἐχούσης.* Paulus Silentiarius in descriptione conchae templi Sophiae: *τὴν δὲ μέτ' ἐπδέχεται πρατεροῖς ἀραρυῖα θεμείλοις ἐς βάσιν εὐθύγραμμος, ὑπερθε δὲ κύκλιος ἄντυξ, σχήμασιν οὐ σφαίρης ἐναλίγκιος ἀλλὰ κυλίνδρου ἄνδιχα τεμνομένοιο.* Unde et ex loco Platonis patet fornicem esse oblongam. Sic Philander ad Vitruvii VII c. 3. Camerarum, inquit, species sunt testudo et hemisphaerium, de quibus dixi ad libri 5 cap. 10, et fornix, quae oblonga et in arcum curva est, quo genere in hypogaeis et cryptoporticibus utuntur. Apposuit ibidem Philander testudinis et fornicis formam cum hemisphaerio et lunulata camera ab Italis inventa. Altero loco idem ita tradit: Hemisphaerium a testudine differt, quod haec ex duobus arcubus in crucem se in centro secantibus constare videtur, illud autem plane sphaericum atque orbiculatum est. Itali vocant cuppolam. Aliter sed non rectius Salmasius Exercit. p. 855 distinxit vocabula. Seneca Epist. 90. *Posidonius, Democritus, inquit, invenisse dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paullatim inclinatorum medio saxo alligaretur.* Medium hoc saxum graece *ὀμφαλὸς* appellatur. Auctor libri de Mundo cap. 6 sect. 20. *τοῖς ὀμφαλοῖς λεγομένοις τοῖς ἐν ταῖς ψαλίσι λίθοις, οἳ μέσοι κείμενοι κατὰ τὴν εἰς ἑκάτερον μέρος ἔνδοσιν ἐν ἁρμονίᾳ τηροῦσι καὶ ἐν τάξει τὸ πᾶν σχῆμα τῆς ψαλίδος καὶ ἀκίνητον.* Fornicem lapidibus conclusam cum periodo comparat Demetrius sect. 13 *ἔοικε τὰ περιοδικὰ κῶλα τοῖς λίθοις ἀντερείδουσι τὰς περιφερεῖς στέγας καὶ συνέχουσι.* Recentiores, veluti Procopius, porticus cameratas et cameras ipsas *θόλους* dixerunt, ut alibi docui. Idem Procopius de Aedific. I cap. 1 fornices ab artificibus ait *λώρους* vocari. *Lora* posuit ibi versio latina.

Camera vel camara vocabulum est generale, ut supra recte annotavit Philander, quod plures species complectitur. Hinc *camera tectus locus ut testudo* Varro R. R. 3, 7, 3. Apud Diodorum Siculum 2, 9 Semiramis ductum aquae (*διῶρυγα*) ducit per Euphratem cocto latere, (*συνοικοδομήσασα τὰς καμάρας*) cuius

Digitized by Google

latera excepta fornice (*χωρὶς τῆς καμφθείσης ψαλίδος*) erant duodecim pedes alta. ubi Wesseling. apposuit locum Strabonis 16 p. 1073. ubi *αἱ ψαλίδες καὶ τὰ καμαρώματα* iunguntur. et libro 17 p. 1167 est similiter *κατὰ καμφθεισῶν ψαλίδων*. Plura vide in Indice Script. R. R. p. 124. *Camara* est curvatura, *fornicum* curvatura, *ψαλίδες καμφθεῖσαι*, et a verbo *κάμπω*, *κάμπτω* factum est, ut curvatura a curvare. Hinc Strabo 5 p. 167 S. *ὑπόνομοι συννόμῳ λίθῳ καταπαμφθέντες*. i. e. quadrato saxo concamerati vel fornicati. *Κόγχην* Graeci recentiores dixerunt *σφαίρης τεταρτημόριον λάχος τὸ τέταρτον*, ut ait Paulus in Descriptione templi Sophiae. Salmasius Exercit. p. 853 concham interpretatur cameram dimidiati hemisphaerii figura. Sed omnino cameram concham dixerunt variis recessibus distinctam, ad quorum quartum supremum pertinent verba Pauli laudata; ipse enim alibi: *ὡς ἡ μὲν βαθύκολπος ἀνέσσυται ἠέρι κόγχη ὑψόθεν. ἀντέλλουσα μία, τριτσοῖσι δὲ κόλποις νέρθεν ἐπεμβεβαυῖα*. Pervertit locum interpretatione Salmasius p. 854. De concha comparabis etiam Cangii Glossarium Graecum.

5.

perpendiculo — Guelf. Wratisl. *perpendicula*. Est pro *ad perpendiculum* dictum. Deinde *reclinationes* Franeck. Cotton. Postea *debet esse* Wiat.

substructionum — Sunt eaedem supra I, 5. III, 3. et V, 3. Recte Barbarus: Instruimus, inquit, medias, struimus extimas, substruimus infimas partes; inde substructio fundamentorum, structurae frontium, instructio est partium mediarum. Substructio occulta in imo, instructio in medio, sola structura apparet. Livius 6 c. 4. *Capitolium quoque saxo quadrato substructum est.* Idem 38 c. 28 *substructionem in Capitolio locare.* Plauti Mostell. I, 2, 40 *fundamentum substruere.* Columella I, 5, 9 *cum ex depressiore loco fuerint orsa fundamenta, non solum superficiem suam facile sustinebunt, sed et pro fulcura et substructione fungentur adversus ea, quae mox ab superiore parte*

Digitized by Google

applicabuntur. Plinius X Epist. 48 de theatro rimis discedente et hiante: *nam fulturae ac substructiones, quibus subinde suscipitur, non tam firmae mihi quam sumptuosae videntur.* Caesar B. C. 2, 25 *theatro, quod est ante oppidum, substructionibus eius operis maximis.* quibus in locis fere omnibus Interpretes male vocabulum explicant, ut ipsum etiam Lexicon Schellerianum.

terrae congestio — Perraltus vertit: *à cause de la terre qu'ils soutiennent.* Galiani *il terrapieno*, Rode male *die Erdmasse.* Quid sit, optime docebit locus I cap. 5 sect. 7 de simillima fundamentorum muri oppidani structura. *Cum autem fundamenta' ita distantia inter se fuerint instituta, tunc inter ea alia transversa coniuncta exteriori et interiori fundamento pectinatim disposita, quemadmodum serrae dentes solent esse, collocentur. Cum enim sic erit factum, tunc ita oneris terreni magnitudo distributa in parvas partes neque universa pondere premens, non poterit ulla ratione extrudere muri substructiones.*

solet esse — Sulp. *solet etiam.* Deinde *dirumpit* Wrat. qui a verbis *Itaque ut huic vitio* Capitulum XIX exorditur, ubi scriptum habet *mediatur.*

6.

faciundum — Wrat. *faciendum.* Deinde *ut* Guelf. Wrat. Postea *anterides suavissime sub una exstruantur* Sulp. *aerismae* Wrat. qui cum Guelf. Cotton. *sunt* habet. Hesychius: *ἀντηρίδες, τὰ ἀντερείδοντα ξύλα ἢ λίθινα κατασκευάσματα.* Glossae: *Obices, ἀντηρίδες, ἀντιθέσεις.* Alibi *tibicines ἀντηρίδας* exponunt. Haec Salmasius Exercit. p. 856 qui monet *erismae* esse graecum *ἐρεισμαια*, factum ut schemae pro *σχήματα.* Etymol. M. ex Euripide posuit locum: *πρήμνη σεαυτὴν ἐκ μέσης ἀντηρίδος.* Idem Euripides Rhesi versu 785 de equis currui iunctis *αἱ δ' ἔρεγμον ἐξ ἀντηρίδων θυμὸν πνέουσαι.* ubi Barnes inepte columellis frenorum vertit, rectius forte Musgrave *ἀρτηριῶν* emendat. Fulcra retium Xenophon Venat. 10, 9 *ἀντηρίδας* vocat. Geminas *ἐκωτίδων* navium

Digitized by Google

bellicarum ἀντηρίδας memorat Thucydides 7, 36. Fulcra mobilia ita vocat Polybius 8, 6. contos vertunt. Suidas nescio quo auctore ἀντηρίδα etiam interpretatur θυρίδα. Philander ad h. l. Nos, inquit, contrafortia et arcus obnitentes dicimus, Itali speronos. Perraltus h. l. vertit: *il faut lui faire en dehors des eperons et arcs boutans.* Galiani: *de' barbacani o sieno speroni.* Reliqua ad finem annotationum reiicienda puto, quae de re ipsa dici adhuc possunt.

eaeque — Sulpic. Cotton. *haeque.* Deinde *quanto altitudo* Sulpic. et Edd. reliquae; *quanta* dedit Galiani et Rode. Postea *crassitudinis* Sulp. Vatic. Fran. Cotton. Guelf. Wrat.

Procurrant — Guelf. Vatic. Cotton. *procurrat.* Deinde *ima* Sulp. Postea *crassituta* Wrat. pro *crassitudo constituta* habet. Denique *fuerat* Guelf. Wratisl. De vitio loci aperto dicetur sub finem annotationum.

contrahantur — Vatic. Cotton. Guelf. Wrat. *contrahatur.* Sequens *ita* omisit Wrat. Postea *habeat* Vatic. Cotton. Wratisl. *prominentem* denique Sulp. *quanti* Wrat.

7.

uti dentes — Non sunt haec in Sulpic. Fran. Voss. Guelf. Wrat. Deinde *coniunctae* Sulp. *coniuncta* Fran. Voss. Wratisl. Guelf. Postea *distent* revocavi ex Sulp. Vatic. Franeck. Cotton. Guelf. Wrat. Iocundus *discedant* primus edidit.

Crassitudines — Ita Guelf. Wrat. *Crassitudinis* vulgabatur. Deinde *habeat* Wrat.

diagonios — Guelf. cum Sulp. *diagonus*, sed correctum *diagonu.* Wrat. *diagoni* spatio parvo relicto. *diagonius* Cotton. qui deinde *collocentur* dat. Denique Guelf. *diagonie* infra adscripto *diagonii.*

retinendo — Vatic. Guelf. Wrat. *retinendum.* Cotton. *congestiones.* Postea *sine vitiis opera constitui oporteat* Cotton. Wratisl.

Digitized by Google

8.

aut tignis — Sulp. *et tignis.* Deinde *mutandis* Guelf. Postea *est eadem* Sulpic. Wrat. Denique *quamvis sunt* Cotton. Guelf. Wrat. et duo Codices Leidenses apud Oudendorpium ad Sueton. p. 233.

solida — Cotton. Wrat. *solidi.* Deinde *putant* Wrat. Postea *poterint* Fran. Voss. Wrat. Perraltus vertit: *de rendre firmes et stables des edifices, qui semblent ne le pouvoir être de leur nature.* Galiani: *quelle parti, le quali non si crederebbono altrimenti stabili.* Rode: *wie das, was der Festigkeit unfähig zu seyn scheint, zu befestigen und anzulegen ist.*

9.

est expositum — Wrat. *exp. est.* Deinde *utrumque lateriaio* Wrat. *in lateritio* Cotton. qui postea *caementio* dat. *ac saxo* Wrat.

tripartito — Voss. Wrat. *tripertito.* Deinde *consideratur.* Ante *magnificentia* copulam *et* inserunt Fran. Voss. Guelf. Wrat.

aspicietur, a domini potestate — Vulgatum *ab omni* ita egregie correxit Meister in Comment. N. Goetting. T. V p. 155. Wrat. liber *ab omi* habet scriptum. Sulp. *aspicitur* dat; et *laudabitur* postea. Officinatorem Philander interpretatur fabrum qui extruit.

venustate — Vatic. 2. Wrat. *venuste*, Fran. *venustae*, Cotton. *fenustae.* Postea *gloria auia architesti* Cotton.

10.

recte constituuntur — Sulp. *const. recte.* Wrat. *ratione* dat pro *recte.* Sequens *et* omittit Wrat. *hiis* idem pro *is* dat. Sulpic. *is* omisit.

omnes homines — Sulpic. *omnis.* Deinde *factum fuerit* Vatic. 2. Wrat. Postea *quid sit futurum* Sulp. Guelf. Wratisl. Sequens *autem* omisit Sulp.

Digitized by Google

inceperit — Sulpic. *incoeperit*. Wratisl. *conceperit*. Deinde *quales* Cotton. Postea *diffinitum* Sulp.

faciundae — Vatic. Guelf. Cotton. Wrat. *faciendae*. Sulpic. et Edd. ante Rodianam *sit faciundum*, nisi quod Laetiana *faciendum*, habent. Postea *expoliationibus* Cotton. Wrat.

Superest vitium apertum loci sect. 6 *procurrant autem ab imo per quam crassitudo constituta fuerit substructionis.* quod satis manifestum reddit structura verborum laborans. Quod quomodo sanari posse videatur antequam dicam, de tota periodo et de re, quam tractat, dicendum est breviter. Queritur enim ipse etiam Perraltus de obscuritate et corruptela loci, sed is alia in parte vitium sibi animadvertere visus est. En tibi annotationem viri docti: *Le texte latin est si corrompu en cet endroit qu'il n'a point de sens, et celui qu'il semble avoir, est contraire à la raison: car il semble que ce texte veuille dire qu'il faut que les éperons soient autant distans les uns des autres que le mur qu'ils soutiennent a de hauteur, ce qui n'est point raisonnable. Car plus le mur que les éperons appuyent est haut, et plus les éperons doivent être prôches les uns des autres, parceque plus ce mur est haut, et plus il a besoin d'être appuyé par un grand nombre d'éperons. Desorte que j'ai crû qu'il y avoit faute dans le texte par la transposition de deux lignes et qu'il faut lire, remettant ces lignes à leur place:* una struantur, crassitudine eâdem qua substructio; eaeque inter se distent tanto spatio, quanto crassitudo constituta fuerit substructionis: procurrant autem ab imo quantum altitudo substructionis est futura.

Itaque locum sic vertit: *ils seront distans les uns des autres par des espaces égaux à la largeur que l'on a donnée au mur qui soutient la terre. Mais il faut qu'ils avancent dans terre par le pié, autant que le mur même a de hauteur; qu'ils aillent en diminuant par degrés depuis le bas, et qu'ils ayent autant de saillie vers le haut que le mur a d'épaisseur.* At primum ipse vir doctus confitetur rationem eam, qua motus vulgarem lectionem mutandam censuit, adversari vulgari omnium architecto-

Digitized by Google

rum opinioni, quae distantiam anteridum definit non latitudine sed altitudine substructionis. Deinde ipse Vitruvius dentium distantiam a muro introrsum eadem substructionis altitudine definit. Postea admissa Perralti emendatione verba *procurrant autem ab imo quantum* (voluit *quanta* dare) *altitudo substructionis est futura, deinde contrahantur gradatim ita, uti summam habeant prominentiam, quanta operis est crassitudo*, sententiam eam minime sua sponte fundunt, quam extorsit vir doctus. Distantiam enim anteridum a substructione putavit Perraltus a Vitruvio significari his verbis *procurrant ab imo*, quae reddidit: *qu'ils avancent dans terre par le pié;* eamque in opinionem induxisse videtur virum doctum locus sequens de dentibus introrsum substructioni adiunctis, qui singuli distant a muro vel substructione spatio altitudinis eius; itemque structura diagonios contra angulum muri introrsum facta, in media sua parte distat ab angulo muri interiore spatio altitudinis substructionis. Verum non animadvertit Perraltus Vitruvium bis verbo *distare* vel altero in loco *discedere* (uti habent cum Iocundo vulgares Editiones) *a muro* usum fuisse, tertio vero in loco *recedere ab interiore angulo muri.* Contra verbum *procurrere ab imo* ad summum gradatim, uti sequentia docent, nullo modo ad distantiam anteridum a muro trahi potest. Ita enim *procurrant autem a muro per terram* aut *per imum* dicendum fuisse videtur. Sed in his ipsis verbis inest vitium apertum, uti antea dixi; cui qua ratione medendum sit, equidem non reperio: et miror reliquos Interpretes de vitio tacuisse. Fortasse alios in vestigium verae lectionis perducet varietas librorum aliquot scriptorum, qui *procurrat — fuerat — contrahatur — habeat*, scriptum habent, ita ut suspicari liceat, totum locum de crassitudine substructionis esse intelligendum. Galiani locum ita vertit: *Partano dal fondo a quella larghezza corrispondente all' altezza del fondamento, indi vadano di grado in grado ristringendosi, finché venga la cima a sporgere tanto quanto è la larghezza del muro dalla parte di dentro.* Vides igitur eum extremam correctionis Perraltianae partem adsumsisse; sed adiecit quaedam, quae verba *quanta*

Digitized by Google

operis est crassitudo in sententiam alienam detorquent, quasi murus vel substructio crassitudinem interiorem diversam habuerit ab exteriore. Britannicus interpres, Newton, ita locum reddidit: *Their projection at bottom is also to be equal to the thickneſs of the foundation-wall: from thence diminisking gradually, till at the top they may be as prominent as the thickneſs of the work.* In annotatione primum queritur de loci obscuritate, deinde veriorem sibi videri ait sententiam, quam Barbarus expresserit vertendo: *Dal basso tanto habbiano di piede, quanto esser deve grosso il fondamento, mai poi a poco a poco inalzandosi si rastremino tanto, che di sopra siano cosi grosse, quanto è grosso il muro dell' opera che si fa.* Ad eundem igitur modum censet verba Vitruvii vertenda esse: *that the anterides should project at the top of the foundation no more than is sufficient to receive the thickneſs of the work of the superstructure with its projecting pilasters.* Cardo igitur interpretationis huius novae vertitur in verbis *quanta operis est crassitudo*, quae Galiani plane pervertit vertendo, Perraltus contra ad ipsam substructionem vel murum retulit, quae ima et summa est eadem crassitudine; itaque Perraltus opus habuit adsumere altitudinem substructionis ad crassitudinem anteridum definiendam. Neutonus autem cum Barbaro opus super substructione erigendum eiusque parietes intelligit. Rode denique locum multo obscuriorem fecit ita interpretando: *Unterwärts lasse man sie um so viel, als die bestimmte Dicke des Grundbaues beträgt, hervortreten, dann aber nach und nach sich einziehn, bis sie oberwärts gerade noch so weit hervorspringen, als die Dicke des Werks beträgt.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google